UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Bonacinæ Vtrivsqve Signatvræ Referendarii Compendium Omnium Operum de Theologia Morali, omnibusque conscientiæ nodis


Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152


Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Th. 2148.

G. II
28.



COLONIÆ Sumptibus IOAN WILHELMI FRIESSEMI Iuni. 1671
Cum Priuilegio Sac. Cæs. Majestatis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ph. 387.

MARTINI

BONACINÆ

VTRIVSQVE SIGNATVRÆ
REFERENDARII

COMPENDIUM

Omnium Operum de Theologia Morali, omnibusque conscientiæ nodis collectum, & ordine Alphabetico digestum.

Per R. D. ANTONIVM GOFFAR
Leodiensem, SS. Theol. Doctorem &
Protonotarium Apostolicum.

Nunc primùm Notis & Additionibus ex probatissimis Auctoribus & manuscriptis auctum, illustratum, & cum aliis Casistis collatum, atque omnibus editionibus novissimè accommodatum prodit.

EDITIO NOVISSIMA

Collegii Sortis Jesu



Paderborn

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Sumptibus JOANNIS WILHELMI Friessem
junioris ANNO 1671.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PERILLUSTRI
AC GENEROSO
DOMINO
D. GUILLELMO
A BAVARIA,

Baroni de Hollinghoven, Sereniſſimi Electoris Colonienſis, Epiſcopi & Principis Leodienſis, Supremo aulæ Præfecto, necnon Conſiliario intimo, &c.

DVM orbi prodit hoc Bonacinæ Compendium, meritò ſub tuæ Amplitudinis patrocinio prodit (PERILLVSTRIS DOMINE,) tuumque nomen in fronte præfert; cùm tu probitatem, induſtriam, ceteraſque artes bonas, uno veluti compendio contineas; eaſque ita adæquet tui nominis ac famæ claritudo, ut quæ potiorem ſibi in animo tuo locum vindicarint, judicare difficillimum ſit: ſi enim in apertum manifeſta virtutis tuæ teſtimonia proferant, claræ diei lampada & lumen mutuabo Soli. id ne faciam contra naturæ æquique leges pluribus ſuperſedebo, nec omnia virtutum tuarum monumenta perſequar. Verum ut multa taceam, pro ſe ipſa loquitur tua illa prudentia, lumen illuſtre magnæ mentis, quæ Belgii Germaniæque finibus arctari non potuit, ſed in Vrbe orbis principe Romana (ignoſce Perilluſtris Domine, numquam poteſt

test non esse virtuti locus) VRBANO VIII. Pontifici Maximo sæpius affuit, qui te in dignitate constitutum, & aulæ & arcanorum consortem esse voluit. Nec tacere possum, PHILIPPVM IV. Hispaniarum Regem te sibi à gerendis rebus satis superque notum Equitum Calatravæ jussisse. Denique & Sereniss. FERDINANDVM Bavarum, Electorem Colonien sem, Episcopum & Principem nostrum clementissimum, longè certissimum integritatis ac eximiæ tuæ mentis testem dedisse, cùm te supremum aulæ suæ Præfectum constituit, & secretis consiliis adhibuit; unde & multorum decus te gratificari, & innumera in dies in Reipublicam manare commoda, clarius est, quam ut verbis exprimatur.

His titulis evocatus in lucem Solemque prodit iste liber, & in aula principe tuos oculos, manus, favores expectat; hoc uno tantum tutus & liber, si tuis teratur manibus, usurpetur oculis, favore teneatur: & verò favorem spondet tua illa comitas & humanitas, quæ suos & externos omnes ita sibi devincit, ut nescias quod ames, aut mireris magis, an in viro Principe dignitatem, an in optimo bonorum omnium Mœcenate humanitatem. Vtraque amo & veneror. VALE.

Perillustris ac Generosæ
Dominationis tuæ

Humillimus cliens & servus

ANTONIUS GOFFAR.

CANDIDO LECTORI.

QVÆ & qualia sint opera D. Martini Bonacinæ (viri undecumque eruditi) vel ex eo facile est conjicere, quòd prælum nullius alterius operis Theologici tam frequenti editione, infra paucos annos tota penè Europa caluit, quàm eorum quæ ab ipso hactenus edita sunt; non exiguo argumento adamatæ ab omnibus passim illius doctrinæ, summa & ingenii perspicacitate & styli nitela traditæ. Quæ porro ipse pluribus diffuseque prosecutus est, & ingentibus complexus voluminibus, horum breve quoddam succinctè ac summatim concinnare Compendium studui; ita tamen, nullum ut dubium seu difficultatem omiserim, quin ejus qua potui brevitate, & quoad licuit, facilem & dilucidam solutionem afferam. Et ut tuis, Lector, commodis magis consulerem, singulas materias alphabetico ordine ita dispositi, ut habeas in promptu eorum quæ tibi subitò occurrent dubiorum facilem expeditionem. Adjeci præterea cuique dubio & sententiæ tomum, disputationem, quæ-

quæstionem, punctum & paragraphum, ex quibus singula depromuntur, ut, si ita tibi videatur, possis in difficultatibus ad ipsum Auctorem nullo negotio recurrere, ibique loca propria & sententias Auctoris cujusque fusius examinare. Quo autem fructu id|præstiterim, tu Lector amice judica; & hoc quantulocumque labore meo fruere, meque tuis Deo Opt. Max. suffragiis commenda.

IN-

INDEX

Eorum Titulorum, qui in hoc Compendio continentur.

A.

ABsolutio. Vide *Censura, Excommunicatio, Casus reservatus, Lex.*
Accusator.
Acedia. Vide *Charitas.*
Adjuratio.
Adorare, Adoratio. Vide *Decalogus.*
Adulterium.
Advocatus. Vide *Accusator.*
Affinitas. Vide *Matrimonium.*
Alienatio bonorum Ecclesiasticorum.
Quæ personæ pœnam incurrant ratione alienationis bonorum Ecclesiasticorũ.
Apostata.
Assecuratio.

B.

BAptismus.
Baptismi materia.
Baptismi forma
Baptismi Minister.
Baptismi subjectum.
Baptismi effectus.
Baptismi solemnitates.
Bellum.
Beneficium, Beneficiarius.
Bestialitas.
Bigamia, Bigamus.
Blasphemia.

C.

CAmbium.
De justitia cambii sicci.
Canonicus. Vide *Distributiones.*
Casus reservati.
Qui ab illis absolvant.
Censura.
Censuræ causa efficiens.
Censuræ causa materialis.
Censura quomodo feratur.
Censuræ finis & effectus.
Causæ excusantes ab incurrenda censura.
Censurarum absolutio.
Censuræ absolutionis forma.
Census.
De justitia emptionis cẽsus.
De quibusdam circumstantiis in censibus.
Cessatio à divinis.
Cessationis effectus.
Charitas.
Charitati vitia opposita.
Circumcisio. Vide *Baptismus.*
Claustrum. Vide *Moniales, Religiosi, Monasterium.*

Cle

Clericus.
Coadjutor, Coadjutus. Vide Distributiones.
Commodatum.
Concubinatus, Concubinarius. Vide Fornicatio simplex.
Conductio Vide Locatio.
Confessio, Confessarius.
Causæ excusantes ab integritate confessionis.
Confessio quando nam iteranda.
Confessionis obligatio.
Causæ excusantes à confessione.
Confessor.
Confirmatio.
Contractus.
Quibus competat restitutio in integrum.
Contritio & Attritio.
Contumelia.
Correctio. Vide Charitas.
Correptio.
Cultus.
Curiositas.
Custos.

D.

Dæmon. Vide Maleficium, Superstitio, Divinatio, Observatio vana, Adjuratio.
Debitor. Vide Restitutio.
Debitum conjugale. Vide Matrimonium, Votum.
Decalogus.
Decalogi I. præceptum.
Decalogi II. præceptum. Vide Iuramentum, Adjuratio, Votum.
Decalog. III. præceptum.
Decalog. IV. præceptum.
Decalogi VI. & IX. præceptum.
Decalogi VIII. præceptum. Vide Mendacium.
Decima.
Degradatio.
Delectatio morosa.
Denuntiatio, Denuntiator.
Depositio.
Depositum.
Detractio.
Causæ excusantes à restitutione famæ.
Modi restituendæ famæ.
Dispensatio. Vide Lex, Censura, Excommunicatio, Votum, Privilegium, Irregularitas.
Disputare. Vide Fides.
Distributiones.
Cui ad distributiones jus competat.
Absens quibus ex causis lucrari possit Distributiones: & an ligatus censura eas quoque lucretur.
Divinatio.
Divortium.
Dolus.
Domicilium.
Dominium.
Dominus.
Domus.
Donatio.
Dubium. Vide Peccatum.
Duellum.

E.

Ecclesia. Vide Sacrilegium. Immunitas.
Ejecti à religione. Vide Apostata.
Eleemosyna. Vide Charitas.
Emphyteusis. Vide Feudum.
Emptio.
Episcopus. Vide Suspensio, Lex Suffragium.
Eucharistia.
Excommunicatio.
Excommunicationis majoris effectus.
Excommunicatio minor.
Excommunicatio ob violentam manuum injectionem in Clericos.
Absolutio ab Excommunicatione ob Clerici percussionem, cui competat.
Excommunicatio ob hæresim. Vide Hæresis.
Excommunicatio contra cogentes feminas ad religionem, aut eas retrahentes à religione.
Exemptus.
Exilium.

F.

Falsarius.
Familia.
Festum. Vide Decalogus.
Feudum & Emphyteusis.
Fidejussio.
Fideicommissum.
Fides.
Filiusfamilias. Vide Furtum. Restitutio.
Fiscus.
Fœmina.
Fornicatio simplex.
Furtum.
Restitutio ob defraudata vectigalia, ob Furtum filiifamilias, uxoris, &c.
Restitutio propter homicidium. Vide Homicidium.

G.

Gabella.
Gratia.

H.

Hæres
Hæresis.
Histrio. Vide Ludus.
Homicidium.
Honorare. Vide Decalogus.
Horæ Canonicæ Vid. Officium divinum, Distributiones.

I.

Idololatria.
Jejunium.
Causæ excusantes à jejunio.
Ignorantia.
Imago.
Immunitas locorum sacrorum.
Impossibile.
Impotentia. Vide Matrimonium.
Incestus.
Indulgentia & suffragia.

In-

Indulgentia pro defunctis.
Infamia.
Infans.
Infidelis.
Infirmus.
Ingratitudo.
Injuria.
Interdictum.
Interdicti causa.
Interdicti effectus.
Interdicti effectus secundus, id est privatio divinorum officiorum.
Interdicti tertius effectus, id est, privatio Ecclesiastica sepultura.
Interdictum violãtium pœnæ.
Interdictum quibus casibus incurratur.
Relaxatio ab Interdicto.
Invidia. Vide Charitas.
Irregularitas, Irregularis.
Irregularitatis causa.
Irregularitatis effectus.
Irregularitas ex defectu animæ & corporis.
Irregularitas ex defectu natalium.
Irregularitas ex defectu ætatis
Irregularitas ex defectu Sacramenti. Vide Bigamia.
Irregularitas ex infamia
Irregularitas ex pœnitentia publica.
Irregularitas ex culpabili iteratione Sacramentorum.
Irregularitas ex susceptione & exercitio Ordinum illicito.
Irregularitas ex delicto hæresis.
Irregularitas ex homicidio.
Irregularitas quæ incurritur accusando vel testando.
Irregularitas contracta ob bellum.
Irregularitas contracta medendo, aut chirurgiam exercendo.
Irregularitas ex homicidio facto ad sui defensionem.
Irregularitas ex homicidio casuali.
Irregularitas ex homicidio injusto voluntario.
Irregularitatis dispensatio.
Iudæus.
Iudex, Iudicium publicum.
Iudicium temerarium.
Iuramentum.

L.

Legatum. Vide *Testamentum, Heres, Substitutio.*
Lex, Legislator.
A quo Lex possit ferri, & quæ conditiones requirantur.
Legum materia & subjectum.
Legis effectus.
Legis obligatio quando cesset.
Legis dispensatio.
Dispensatio quibus modis viam suam amittat.
Legitima.
Libri.
Libellus famosus. Vide Detractio.
Ligamen. Vid. *Matrimonium.*
Littera.
Locatio & Conductio.
Locus sacer. Vide *Immunitas.*

Ludere, Ludus.
Luxuria. Vide *Sacrilegium. Decalogus.*

M.

Maleficium.
Martyrium. Vide *Baptismus.*
Matrimonium.
Matrimonium conditionatum
Matrimonii impedimenta dirimentia.
Impedimentum erroris.
Impedimentum conditionis seu servitutis.
Impedimentum voti.
Impedimentum cognationis naturalis.
Impedimentum cognationis spiritualis.
Impedimentum cognationis legalis.
Impedimentum criminis.
Impedimentum disparitatis cultus.
Impedimentum vis.
Impedimentum ordinis.
Impedimentum ligaminis.
Impedimentum publicæ honestatis.
Impedimentum impotentiæ.
Matrimonii impedimenta non dirimentia.
Confessarii munus circa Matrimonii impedimenta.
Matrimonii usus licitus, & illicitus.
Mendacium.
Metus.
Minor.
Missa.
Missa auditio.
Monasterium.
Monasterii monialium ingressus, quibus personis permissus, & quibus de causis.
Violatio clausuræ ob ingressum feminarum in Monasteria religiosorum virorum.
Causæ excusantes feminas ingredientes Monasteria virorum.
Moniales, & pœnæ violatoribus clausuræ impositæ.
Ad quem pertineat facultatem exeundi Monialibus concedere, & quibus ex causis.
Monitorium. Vide *Denuntiatio.*
Monopolia.
Mons pietatis. Vide *Usura.*
De aliis Montibus, qui alibi in usu sunt.
Mora.
Mortis articulus.
Munera, Munerum largitio.
Mutilatio. Vide *Irregularitas.*
Mutuum.

N.

Negotium.
Nomen.
Notarius.

O.

Obedientia.
Oblatio.

Obses.

Obſes.
Obſervatio vana.
Odium. Vide *Charitas.*
Officium.
Officium divinum.
ad Officium divinum qui teneantur.
Officium divinum qua forma recitandum.
ad Officium devote perſolvendum requiſita.
Officium divinum quo tempore recitandum ſit.
Officii divini quis ordo ſervandus in recitatione.
Quo loco recitandum ſit, & quo corporis habitu & ſitu.
Officii recitationis fructus & effectus.
Officium prætermittens quàm graviter delinquat, & ad quid teneatur.
ab Officii recitatione cauſæ excuſantes.
Officium recitandi obligatio an extet in choro.
Oleum.
Opinio.
Orare, Oratio.
Ordo.
Ordinis miniſter.
Ordinis ſubjectum.
Ornatus.
Oſcula, tactus, turpiloquium, & aſpectus.

P.

Pallium.
Papa.
Parentes. Vide *Charitas, Decalogus.*
Parochus. Vide *Reſidentia, Beneficiarius.*
Peccatum originale.
Peccatum actuale, & habituale.
Peccatum mortale & veniale.
Peccatorum diſtinctio ſpecifica & numerica.
an Peccatum omiſſionis differat ſpecie à peccato commiſſionis.
Peccatorum cauſæ efficientes, ſubjectum & effectus.
Cauſæ excuſantes à Peccatis.
Penſio. Vide *Simonia.*
Percuſſor clerici Vid. *Cenſura. Excommunicatio, Clericus.*
Perjurium. Vid. *Iuramentum.*
Pignus.
Pœna.
Pœnitentia, Pœnitens.
Pœnitentiæ forma.
Pollutio, ſeu mollities.
Præceptum.
Prælatus.
Præſcriptio.
Precarium.
Princeps. Vide *Privilegium.*
Privilegium.
Procurator. Vide *Accuſator.*
Profeſſio. Vide *Religioſus, Apoſtata, Votum.*
Promiſſio.
Puer.
Purgatorium. Vide *Indulgentiæ.*

Quæ-

Q.

Qvestuarii.

R.

Raptus.
Ratificatio.
Ratihabitio.
Religio, Religiosi.
Quibus ex causis Religioso competat jus reclamandi contra professionem.
Reliquiæ.
Represalia.
Residentia.
Resignatio beneficii. Vide Simonia.
Respublica.
Restitutio.
Vbi, cujus expensis, & quo tempore & ordine faciendæ sit Restitutio.
Causæ propter quas differri vel omitti possit Restitutio.
Reus. Vide Accusator.

S.

Sabbatum. Vide Decalogus.
Sacramentum.
Sacra.
Sacrilegium.
Sacrilegium in materia luxuriæ.
Satisfactio, & quomodo injungenda à Confessario.
Pœnitentis obligatio circa pœnitentiam acceptandam, & adimplendam.
Sacramenti Pœnitentiæ effectus.
Opera per Pœnitentiam an reviviscant.
Scandalum.
Schisma.
Scrupulus. Vide Peccatum.
Secretum.
Sepultura.
Servus.
Sigillum confessionis.
Simonia.
Simonia quotuplex.
Simonia quo jure prohibita, qualis peccatum sit, & quænam illius materia.
an Simonia committatur in permutatione beneficiorum aliarumve rerum spiritualium, aut occasione pensionum.
an Simonia committatur in resignatione beneficiorum vel transactione.
Simoniæ labem quinam committere possint.
Quæ causæ excusare possint à Simonia.
Simoniacorum pœnæ, & de ipsarum dispensatione.
An acta Simoniacè valida sint.
Vtrum Simonia inducat obligationem restituendæ acceptæ simoniacè.
Societatis contractus.
Societas inter fratres.
Sodomia.
Sollicitare, Sollicitatio. Vide Denuntiatio.

Spes.
Sponsalia, Sponsus.
Sponsalia incerta.
Sponsalium rescissio.
Stabularius.
Stuprum, Stuprator.
Substitutio.
Superfetio.
Suspensio.
Suspensio contra clericos.
Suspensio contra Episcopos.
Suspensiones contra Conventus & Capitula.
Suspensiones contra Religiosos.
Suspensionis absolutio.
Sustentatio.
Susurratio.

T.

Tentatio Dei.
Testamentum & legatū.
Testis. Vide *Accusator.*
Thesaurus.
Torneamentum.
Tortura.
Transactio.
Tyrannus.

V.

Vana gloria.
Vectigal. Vide *Restitutio.*
Venatio.
Venditio.
Verba.
Verbera.
Vidua.
Virginitas.
Vita.
Vnctio extrema.
Vnctionis extremæ forma, & minister.
Vnctionis extremæ subjectum, & quæ partes ungenda.
Vnctionis extremæ effectus.
Votum. Vide *Matrimonium, Religiosus, Apostata, Hæres.*
Voti materia.
Vsura, Vsurarius. Vide *Census, Cambium, Societas, Mutuum.*
Vulnera.

X.

Xenodochium, sive Hospitale.

FINIS INDICIS.

IHS

COMPENDIVM D. MARTINI BONACINÆ OMNIVM OPERVM DE THEOLOGIA MORALI, OMNIBUSQUE CONSCIENTIÆ NODIS, Ordine Alphabetico digestum.

A.

Absolutio.

Vide V. Censura, Excommunicatio, Casus reservatus, Lex.

Accusator, Denuntiator, Reus, Testis, Advocatus, & Procurator.

ACCUSATIO est delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facta. Accusatio semper datur in scriptis, denuntiatio verò fieri potest solis verbis; & qui accusat, suscipit in se onus probandi, sed non qui denuntiat; consequenter non se subjicit pœnæ talionis ferendæ. Ante accusationem per se loquendo non prærequiritur admonitio secreta, cùm finis accusationis sit punitio. *tom.* 2. *circa* 8. *Decal. præcep. disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 1. *& seq.*

2. Possumus, imò etiam aliquando tenemur alium accusare ob aliorum utilitatem; ut quando crimen vergit in dam-

num commune, vel tertiæ personæ,& adhuc est in fieri. Et qui delinquentem non accusat, peccat,& tenetur ad restitutionem si delinquentem accusare tenebatur ex justitia; at non tenetur ad solvendam pœnam, quam delinquens persolvisset, si accusatus fuisset: *ibid.n.6.& seq.*

3. Ab accusatione repelluntur excommunicati,in pœnam suorum delictorum,proditores,inimicî, publici concubinarii, usurarii,& quicumque jure infames. Excipe tamen casus hæresis & criminis læsæ majestatis, qui vergunt contra bonum publicum, in quibus non repelluntur à denuntiatione, sed tenentur denuntiare. *ibid. n. 10.*

4. Reus non tenetur veritatem aperire dum crimen est occultum; quia tunc juridicè non interrogatur; secus si præcessit infamia,aut si crimen ad judicis aures pervenit per semiplenam probationem, vel per indicia gravia sufficienter probata:tunc enim Judex dicitur legitimè seu servato juris ordine procedere; consequenter reo imponere potest obligationem aperiendi veritatem;imó potest etiam pœnam imponere, si ex certissima conjectura sufficienter probata præsumatur ipsum esse criminis reum. *ibid. punct.2.n.1.*

5. Reus qui juridicè interrogatur, tenetur verum fateri, etiamsi alioquin damnandus sit ad mortem,nisi aliter de rationabili judicis voluntate præsumatur; quamquam non videtur improbabilis sententia illorum qui asserunt reum non peccare mortaliter negando veritatem in causis gravibus,modò denegata veritate spes subsit evadendi.Ideò Confessarius non tenetur cogere reum ad veritatem aperiendam, quamdiu spem habet evadendi. Item neque tenetur eum cogere ad retractandum dictum,quoties retractato condemnaretur; debet tamen illum admonere,ut veritatem aperiat, si iterum interrogetur. *ibid. n.7 & 8.*

6. Judex potest aliquando uti aliqua simulatione ut veritatem extorqueat: ut constat exemplo Salomonis dum simulavit occisionem infantis vivi,fingens se velle dimidium utrique mulieri contendenti tradere. *ibid. n 9.*

Reus vel ipsius Advocatus non peccat contra justitiam aperiendo crimina,quamvis occulta testium,dum crimina, quæ aperiuntur,valent ad infirmandum dictum testium,ut sunt perjurium,crimen falsi,excommunicatio,à qua testis nondum est absolutus,& infamia juris vel facti; quia reus potest uti mediis ad sui defensionem ordinatis; caveat tamen majus malum inferre accusatori quam necesse sit ad sui defensionem. *ibid.n,10.*

7. Reus potest è carcere fugere,nisi juraverit se ibi permansurum,

surum, etiamsi carcere detineretur ob debita, aut etiam si custos carceris ob ipsius fugam damnum patiatur. Idem dic de damnato ad perpetuum carcerem, vel ad triremes. *ibid. n. 13. & 14.*

8. Cui licitum est fugere è carcere, licitum etiam est fugere ne capiatur, & carcerem ac vincula perfringere: neque tenebitur ad restitutionem, etiamsi ob ipsius fugam reliqui vincti, & in carcere detenti occasionem fugiendi arripuerint; tenebitur tamen ad restitutionem carceris perfracti fugiendo. *ibid. 15. & seq.*

9. Licitum est fugam reo consulere, aut instrumenta ad perfringendum carcerem præbere, non verò cooperari ad fractionem carceris. *ibid. n. 19.*

10. Reus non tenetur per se loquendo obedire sententiæ quæ nititur falsa præsumptione; quamquam non potest per vim se tueri contra judicem, ne hanc sententiam exequatur. Præterea reus negans veritatem, non tenetur ad solvendam pœnam, quam manifestata veritate persolvisset, modò ad eam pœnam non teneretur ante sententiam, aut ex jure naturæ ob actionem injustam vel contractum: nam si tenebatur, non idcircò eximitur ab onere solvendi: & occultatio veritatis non tollit obligationem antecedentem. *ibid. num. 22. & 23.*

11. Quando Judex legitimè procedit, & interrogat, tenetur testis interrogatus respondere & veritatem aperire, nisi justam habeat reticendi causam; qualis est justa compensatio, secretum confessionis, &c. Unde nullus per se loquendo tenetur manifestare quod sub secreto, vel gratia consilii, vel auxilii accepit. Item nullus tenetur testari, dū inde sibi aut suis grave damnum timet. Nullus quoque per se loquendo tenetur offerre se ad testandum, quoties suo dicto causa esset mortis alterius; secus si juridice interrogetur. Item non tenemur ex justitia, sed ex charitate offerre nos ad testandum in alterius utilitatem, præciso pacto vel officio. *ibid. punct. 3 n. 4. & seq.*

12. Probabiliter defendi potest eum non peecare contra justitiam, sed contra obedientiam, qui post citationem fugit ne testimonium ferat: neque testis tenetur ex justitia jurare se veritatem dicturum dum interrogatur à judice, nam judex nullam ei justitiæ obligationem imponit. *ibid. n. 13.*

Testis qui adhibita morali diligentia, quæ ad debitè recordandum debiteque testandum requiritur, pernicioſam falsitatem dixit inadvertenter, ex oblivione, vel ex alia causa excusante ab omni peccato, non tenetur ad ullam restitutionem damnorum, quæ alter passus est ob ipsius testimonium; secus si

cum culpa, & antequam sufficienter probatum esset delictum. *Ibid, n.* 15.

13. Is cujus falso testimonio inferenda est alteri mors, tenetur falsum retractare etiam cum periculo similis pœnæ; modò peccaverit in falso testimonio ferendo, & credat retractationē profuturam: testis autem qui veritatem negavit, non tenetur se iterum offerre ad manifestandum, nisi damnum pendeat in futurum. *ibid. n.* 16. *&* 17.

14. Accipiens pecuniam pro vero testimonio ferendo, non tenetur ad restitutionem; accipiens verò pro falso, tenetur ad restitutionem pecuniæ ante factum; post factū verò tenetur ad restitutionem damni suo falso testimonio illati. *ibid. num.* 18.

Testis curare potest ut sibi reficiatur damnum emergens & lucrum cessans pro tempore, quo se causa ferendi testimonii detinuit. *ibid. n* 19.

15. Dum testes actoris & rei adinvicem discordes sunt circa substantialia, judicandum est in favorem rei, cùm possessio stet pro ipso, & nullus præsumatur nocens nisi probetur. *ibid. num.* 20.

16. Quilibet Advocati officium exercere potest, modò illud exercere valeat, & à jure non repellatur; quia actus patrocinandi liber est. *ibid. punct.* 4. *n.* 1.

17. Advocatus tenetur gratis patrocinari pauperi extrema, vel etiam gravi necessitate laboranti, ipsiusque opera indigenti, dum nullus alius patrocinium præstiturus est Quodsi clientis causa cadat ob Advocati negligentiam culpabilem, vel imperitiam, Advocatus peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem clienti. Adde eum quoque teneri ad restitutionem omnium damnorum quorum fuit causa, causam injustam defendendo. Idem dicendum quando manifestat parti contrariæ secreta causæ, ob quorum manifestationem cliens causam perdidit, quam alioquin licitè vicisset: hoc tamen limita, nisi fortè periculum sit, ut pars contraria grave damnum iniquè patiatur. *ibid. num.* 2. *& seq.*

18. Advocatus potest tueri causam actoris aut rei, dum utraque pars est probabilis; quamvis altera pars quam ipse non defendit, probabilior sit. *ibid. n.* 8.

19. Procurator aut Advocatus percipere potest pretium, seu stipendium taxatum à lege, vel consuetudine, vel judicio prudentis viri; nisi majus liberaliter donetur; non licet tamen ipsis pacisci de quota litis, ut de medietate, &c. quamquam licitum est absolutè pacisci de tanto pretio solvendo, sive causa obtineatur, sive non; tunc enim cessat periculum fraudis. Imò

Ad-

Advocatus potest integrum stipendium sibi pro lite promissum recipere, etiamsi cliens litem inchoatam deserat, si non fuit habita ratio temporis. *ibid. nu.* 9. *& seq.*

20, Adde, posse adhuc eum integrum sibi stipendium retinere, si alium Procuratorem vel Advocatum idoneum substituat, assignata illi dimidia solùm, vel tertia stipendii parte, reliqua sibi retenta; modò hoc faciat sine damno eorum, quorum patrocinium suscèpit. *ibid. n.* 12.

21. Procurator seu Advocatus cui Notarius, v.g. acta gratis concessit, non intuitu Procuratoris, sed quia ita visum fuit in honorem Dei, vel ob alium finem, non potest sibi salarium Notario debitum retinere, neque petere à cliente. *ibid. n.* 13.

22. Procurator qui litigantis causam non conductus suscepit animo mercedis obtinendæ, potest peracta causa stipendium, quòd alioquin alteri Procuratori traditum fuisset, petere. *ibid. nu.* 11.

ADDITIO.

Denuntiare jussus per edictum generale, intra certum tempus, si non fecit, tenetur quàm primùm potest, nisi post illum terminum sciviset.

Navar. *cap.* 25. *num.* 46.

Peccat denuntians, quæ probare non potest. Navar. *in c. inter verba, concl.* 6. *num.* 23.

Accusare non potes crimen etiam in damnum commune, quod probare nequeas; teneris tamen denuntiare judici, ut inquirat, Salon *q.* 68. *art.* 1. *concl.* 2. At Navar. *cons.* 10. *n.* 5. & 11. *n.* 4. *de offic. jud. ordin.* néminem denuntiare debere dicit, quæ probare non potest, unus autem testis sufficit. Navar. *in c. inter verba.* 1, *n.* 779. *& c.* 25. *n.* 35. proditio autem & hæresis secreta denuntianda. *ibid.*

Hæreticum quem scis resipuisse, non teneris denuntiare, Tol. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 3. Sót. *l. q.* 5 *art.* 1. Navar. *l. c. n.* 46.

Cùm scis, aut probabile est, non esse aliquem hæreticum pertinacem, non teneris denuntiare, nisi admonitus videatur pertinax, Tol. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 1. vide Graff. *p.* 1. *c.* 69. *n.* 18 Cast. *l.* 2. *c.* 25. *de just. h. p.*

Denuntiare juridicè ab accusare differt. Denuntians correctionem spectat, in commune bonum, & non tenetur ad probandum. Accusans vindictam, & tenetur probare.

Peccatorum alia sunt contra bonum publicum, ut hæresis, alia in damnum privatum, ut furtum, alia contra ipsum peccatorem

torem, ut fornicatio. Ex his alia jam patrata & emendata, alia patranda His observatis, nota quatuor conclusiones.

Prima: Peccata præterita actu non manentia nemo tenetur vel accusatione, vel denuntiatione detegere, etiamsi sint contra publicum bonum.

Secunda: Crimen contra commune bonum, si in procinctu est, ut admittatur, accusatione, si potes, sin minus, denuntiatione detegere debes, si sceleris admittendi auctor fraternè admonitus nolit resipiscere.

Incorrigibilis tamen, ut hæreticus pertinax, sine admonitione denuntiandus est.

Si valde probabile sit, non profuturam admonitionem, eam prætermittere oportet: præterea si magnum damnum ex ea timetur, aut si temporis angustiæ non permittunt.

Tertia: Si crimen est in grave detrimentum tertii, idem prorsus dicendum. Intellige hæc, si crimen hoc extra confessionem agnovisti.

Quarta: Cum peccata non vergunt in damnum publicum, vel tertii, tunc homo fraternè corrigere tenetur, si correctionē profuturam censeat, aut prælato fraternè denuntiare, Idem faciendum, cùm prælati publicè præcipiunt, ut fornicarii, concubinarii, & alii denuntientur. Clerici non possunt accusare in causa mortis, sed denuntiare cum protestatione, quòd non intendunt pœnam mortis.

Accusator debet esse verax; si falsum dicat, mortificè peccat, & pro illato damno restituere tenetur, si initio putavit, se verum dicere, & ante sententiam agnoscat se falsum dixisse, tenetur desistere; si post sententiam, reddere, quæ ob illam sententiam acquisivit,

In accusando, & petendo, debitum modum servare debet, & falsis testibus abstinere, si non accuset, in bonum publicum, vel ad res suas recuperandas, sed ut aliis noceat in re gravi, peccat mortiferè. Debet etiam inceptam accusationem absolvere, præcipuè si sit in publicum bonum, de qua re Toletus.

Occultum hæreticum, cujus crimen probari nequeat, denuntiandum esse, alii ajunt, alii negant: utriusque sententiæ auctores leges apud Victor. ad hunc locum. Villadieg. de hæret. negantem sequitur, quia occulta divino judicio committi decet, pro hac sententia Menoch. *de arbitr. jud. cap.* 358. citat S. Thom. Quodl. *art.* 16. *Angel. verb. Denuntiatio, & verb. familia* § *Sylv. verb. excommunicatio, q.* 8. *Socin. lib.* 4. *cons.* 102. *Cordub. lib.* 1. *q. Thom. q.* 43. occulta crimina in perniciem Reip. vel proximi impendentia, præcipuè

teneri

teneri nos ei detegere, ait, (licet ea probare nequeamus) qui creditur prodesse, & non obesse, quantum tamen sufficiat, remedium iis malis adhibendum, & tunc summa diligentia damnum rei vitandum.

Parentes hæreticos à filiis in judicium vocari posse, alii affirmant, alii negant, affirmant Ludov. Paramus *lib. 3, de orig. S. inquisit. q. 8. num. 83.* Penna *2. part. Direct. Inquisit. com. 15.* verius ut placet Navarr. *concl. 6. n. 429 in cap. inter verba*, tum, quia filius patrem patriæ proditorem ob commune bonum, occidere potest. Negant Abulens. *qu. 3 ad c. 13. Deut. & qu. 16. ad cap. 15. lib. 5. reg.* & Jac. Simancas *de cathol. instit. tit. 29. num. 37.* qui tamen limitat, dicens, debere filium contra patrem hæreticum verum fateri cùm à judice legitimè interrogatur. 2. cùm videt, patrem velle perniciem afferre Reip. hæretica lue, dummodo, ait Navarr. *loco cit.* alii testes non adsint, ad criminis probationem sufficientes, & admonitus pater à filio, vel ab alio, non resipiscat, si enim resipiscat, non est Censoribus fidei denuntiandus Joan. Steph. Oriolan. Episc. *de bell. sacr. ad 2. cap. lib. 1. Machab.* primam sententiam probat in iis locis, ubi jam multis annis fides colitur, & firmas egit radices: secundam in iis, ubi nondum satis tradita est, & adulta fides, ut apud Morischos.

Quæres 1. Quando accusator peccet contra præceptum octavum. Resp dupliciter ferè peccare, ut habetur in utroque jure, *2. q. 3. can. si quæ pœnituerit*, & *l. 1. ff. de absolut.* Primò, quando idem utitur calumnia, cùm falsum crimen intendit reo, vel etiam verum ex malitia, odio vel causa levi, vel si ab accusatione non desistat, cùm advertit se falsum crimen intendisse. 2. Quãdo utitur prævaricatione fraudulenta, vel collusione, ut si reo non objiciat omnia crimina, quæ objicere debet, vel falsas reo excusationes permittat. 3. Quando utitur tergiversatione inordinata, ut cùm sponte à justa & debita accusatione desistit, ut si tergiuersetur auctoritate principis, vel quia deficiunt testes, vel quia advertit se ab advocato deceptum, vel quia timet judicem injustè judicaturum, non peccat tergiversando.

Quæres 2. An admonitio præmittenda sit accusationi? Resp. Præmittendam, quando crimen nondum est commissum, modò adsint quatuor conditiones, 1. ut sit certa spes emendationis secuturæ. 2. Ut fiat sine gravi damno admonitoris. 3. Ut satis temporis sit ad faciendam admonitionem. 4. Ut monendus non habeatur incorruptibilis. Resp. 2. Non esse necessariò præmittendam admonitionem, quando crimẽ est commissum.

Quæres 3. Quibus secundum Jus non liceat accusare?

Resp. Tribus hominum generibus non licere, 1. Hæreticis, excommunicatis, usurariis, concubinariis, & infamibus; possunt tamen denuntiare crimen vergens in perniciem Reip. 2. non licet filiis parentes, servis dominos, discipulis magistros, subditis superiores accusare. Possunt tamen aliquando ex zelo justitiæ, quando magna Reip. necessitas postulat. 3. nec licet Ecclesiasticis, maximè in causa sanguinis, quia non decet: & si faciunt, fiunt irregulares.

Objicitur: Quid si magna injuria afficiâtur Ecclesiasticus, quid faciet? Quòd possit accusare, modò protestetur, se nec mortem, nec mutilationem accusati quærere, Ita habetur *cap. prælati tit. de homicid.*

Quæres: An accusatio debeat fieri viva voce? Resp. Posse fieri in re levi, in re autem gravi debet fieri in scriptis, ut habetur 2. *q.* 8. *c.* 10. *& seq.* Ratio, quia judex usque ad finem judicii debet tenere memoria objectum accusatoris.

Reus non potest interrogari de sociis occultis, nisi in crimine nimis pernicioso, aut atroci: aut lege, aut consuetudine rationali id concedente, aut requirente id damno alicujus, quod aliter non possit impediri: nec sociorum relatio extorquenda tormentis, nisi sint indicia sufficientia quòd habeat socios.

Ut est maleficium, proditio, crimen adulterandi numos, hæresis. Navarr. *cap.* 18. *num.* 53. vide Bannez. *q.* 69. *art. col:* 2. Tol *l.* 2. *num.* 5.

Non tenetur quis ideò suum crimen prodere, quòd videat alteri ab aliquo falsò imponi; potest tamen si velit.

Sot. *l.* 4. *q.* 6. *art.* 3. Navar. *cap.* 15. *num.* 17.

Potest quis metu torturæ prodere socium delicti, & occultum suum crimen dignum morte, (etsi id quidam negent,) & crimen alienum sibi secreto commissum; non enim tenetur cum tanto dolore celare.

Ad supplicium ductus non tenetur fateri, quod malè negavit, nisi alioqui grave damnum sequeretur.

Navar. *cap.* 25. *num.* 38. sed contra Sylv.

Reus non tenetur illa fateri, ob quæ revelata injustè condemnaretur; potest ergo negare, intelligendo se non feciſſe sic, ut teneatur prodere, vide Bann. *l. c. col.* 9.

Reum & fugere licet satellites insequentes, & ab alio ad id juvari, non tamen resistendo, non est autem resistere, se à prehendente excutere, etiam illum trahendo, & fugere etiam effracto carcere, & vinculis, etiamsi alii vincti sint etiam fugitivi. Si autem est justè ad mortem damnatus, etsi potest, non tamen tenetur fugere; licet aliis ad id juvare, nisi lex prohibeat, aut officii proprii ratio,

Hen-

Hen. Gand. *q. l. 9. art. 25.* carceres frangere illicitum putat.

Damnatus ad solum carcerem, non potest fugere, secundùm quosdam. Certè qui ob debita, quæ non potest ullo modo solvere; illic tenetur, & fugere potest, & ad id juvari abaliis.

Ad tempus damnatus non potest fugere, neque ad vitam, si data optione de morte, & carcere, carcerem elegit; at damnatus absolutè ad perpetuum carcerem, vel triremes potest fugere. Salon. *c. contr. 2. concl* 4. Bann. *c. concl. 6.*

Damnatus ad inediam, potest oblatum cibum comedere; an verò etiam teneatur, non convenit inter Doctores: potest quidem alius, cui ex officio non est prohibitum, ei offerre; non tamen tenetur.

Non convenit:) Covar. *l. 1. var. resol. c. 2. n. 8.* Vict. *de homicid. concl.* 28 Cajetan. *2. 2. q. 69. art. 4. ad 2.* Arag. *l. c.* putant teneri, negat Sot. *l. 5. q. 6. art. 4. in fin.* Salon *l. c.* Tolet. *7. pecc. mort. c. 31. n. 3.*

Vict. *de homicid.* sed Victoriæ contrarius est Cajet. cum Sot. Salon. *l. c. controv* dicens non posse judicem reo illicitam rem præcipere. Victoriæ sententiam *relect. de homicid. nu.* 30. probabiliorem putat Arragon. *l. c. & q. 62. art.* 3. Covarr. etiam *l. c. n.* 14. putat, frangentem carcerem teneri ad restitutionem damni carceri, Reip. & privatis hominibus illati. Tol. *l. 5. c.* 58. Sot. *l. 5. q. 56. art.* 4. Salon. *2. 2. q. 69. art.* 4. *contr.* 2.

Reus, qui capi non potest, post sententiam potest in alio territorio puniri, de voluntate tamen Domini saltem præsumpta.

Non potest Reus in judicem, vel in ministros insurgere, neque custodibus vim inferre, sed fugere, & ad hoc impedimenta tollere, carcerem frangendo, potest, etiamsi alii justè detenti fugam arrepturi sint, & custodes damnum, illata tamen damna restituenda. Licere extra carcerem positis carcere detento instrumenta porrigere, ad carcerem frangendum, alii ajunt, alii negant; consilium huic dare, ut fugiat, licet iis, qui justitiæ ministri non sunt, pœnæ contra fugientes è carcere non obligant in conscientia.

Damnatus justè ad temporarium carcerem non potest fugere, nec qui carcere detinetur ob contractum æs alienum, si possit solvere. Damnati ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, (qui non sit S. Inquisitionis,) fugere possunt, ex Salon. *in 2. 2. q. 69.* Vict. *in hunc locum.*

Quæres: Quando reus peccet contra præceptum octavum? Resp. Quando legitimè interrogatus non fatetur veritatem. Ratio: Quia quilibet ex justitia tenetur obedire suo superiori:

deinde mendacio fit injuria accusatori, & testibus.

Legitimè autem interrogatur is, qui interrogatur à proprio judice, quando præcessit vel infamia, id est, malè apud suos cives audiat, vel indicia manifesta, vel semiplena probatio, id est, testimonium unius hominis, omni exceptione majus: ut si quis dicat, se vidisse crimen, vel homicidium committi.

Quæres: An semper sit peccatum, non fateri verum in judicio. Cajet. semper putat esse mortale, etiamsi quis legitimè rogetur. Sed probabilior est sententia Navarr. & Covarr. committi tantùm veniale peccatum. Res levis autem dicitur in judicio, quæ non variat judicium, vel parum admodum, hoc est, quando judex propter illud non judicat aliter, quàm fecisset.

Quæres: An qui rogatur legitimè possit eludere judicis interrogationem amphibolia sermonis. Resp. Quòd sic, modò non mentiatur. Itaque potest dicere, non scio, scilicet, ut tibi dicam, ut loquitur Christus etiam Marc. 13. die autem illa nemo scit, nisi filius, scilicet, ut diceret.

Quæres: An possit etiam dicere, non feci, si rogetur, an sit furatus. Soto putat, quòd non, quia non potest supponi, ut dicerem tibi. sed rectiùs Adr. Med. Navarr. Cajetan putant licere, quia iudex non potest rogare, nisi de manifestis. Itaque si roget, fecisti, semper intelligitur manifestè, ut testibus probari queat: deinde potest subintelligi, non feci, scilicet in carcere, vel heri.

Quæres: Num Reus debeat fateri, si dubitet, num legitimè rogetur. Palud. Panorm. & Sylv. putant, quòd sic. Rectiùs Navar. Cajet. & Soto. quòd non: ratio, quia quando duo litigant, non tenetur, qui possidet, rem tradere ei, cui debetur, nisi constet de jure deberi: ergo nec famam suam quis tenetur prodere judici, nisi quando constat judicem jure præcipere.

Testi uni in re magni momenti, si est fide dignus, potes quidem credere, sed non teneris. Aliquando tamen unus testium probat, ut cùm nulli fit præjudicium; ut quòd quis sit baptizatus, quòd Ecclesia consecrata: vel cùm impediendum peccatum, ut matrimonii illiciti, vel de consensu partium, vel cùm quis dicit se confessum, vel de ejus licentia confessor pœnitentem esse emendatum, &c.

De testibus multa Bannes ad 2. 2. *q.* 7. *art.* 1. 2. 3. Salon. *ibidem.* Sot. *l.* 5 *quæst.* 7. Val. *t.* 3. *d.* 5. *qu.* 14. D. Thom. 2. 2. *q* 70. Quædam Navarr. *c.* 25. *à n.* 40. P. N. *l.* 2. *cap.* 3. *num.* 250. Tol. *l.* 5 *cap.* 59.

Vide Salon *l.* 1. *controv.* 1. Sylu. *Testis num.* 5. singulares testes

testes non faciunt fidem in judicio. Sot. *l. c. art.* 3. Sylvest. *l. c. num.* 3.

Aliquando) vide Bannes *l. c. art.* 2. Vel cum testis unus integer, vel fama sufficit ad impediendum nondum contractum matrimonium, Covarr. *in* 4. *decret. p.* 2. *c.* 6. *nu* 20. & qui novit occultum contrahendi matrimonii impedimentum, licet sit ex occulto scelere contrahere cupientis, & probari nequeat, tenetur id judici denuntiare. Covarr. *ibid.*

Nulli testi in judicio creditur non jurato, creditur autem duobus contra quemcumque, vide Bann. *l. c.*

Duo testes supplent vicem unius, quantæcumque auctoritatis.

Testis regulariter non potest esse servus, mulier in criminalibus præter Sodomiam: aut testamentis, impubes, minor viginti annis: in criminalibus, infamis, infidelis contra fidelem, nisi in hæresis crimine, cognatus ascendens, vel descendens per lineam rectam, familiarisve actoris inimicus, amicus, laicus in crimine contra clericum, socius criminis, perseverans in crimine ignotus.

Vide Syl. testes, *num.* 1. Val *t.* 3. *d.* 5. *q* 14. *p.* 3.

Ascendens) Bannes *l. c. art.* 2. *col.* 8. nisi commune bonum periclitetur, ut in crimine hæresis, & læsæ majestatis; nam tunc, si testes desint, compelli possunt. Salon. *l. c. controv.* 2. *concl.* 3.

Testes singulares deponentes super diversis factis, regulariter non probant.

Vide Sylv. *l. c. num.* 3. Sot. *l. c. art.* 2.

Cùm testes sunt pares, favendum reo, nisi in matrimonio, libertate, dote, testamento, &c.

Qui falso testimonio conjecit aliquem in vitæ discrimen, tenetur, cum suæ vitæ discrimine dicta revocare, si sit profuturus. Navarr. *c.* 5. *num* 17. Lopez *p.* 1. *c.* 316. *concl.* 3. Sot. *l.* 4. *q.* 6. *art.* 5. *ad* 4. Medic. *de restit. qu.* 3. *caus.* 4. *ad quartum.* Cajet. 2. 2. *q.* 70. *a.* 4. Cova. *Reg. peccatum* 1. *p.* §. 3. *n.* 6. P. N. *l.* 2. *c.* 3. *num.* 251.

Considerantur in teste, obligatio, repulsa, culpa.

Qui videt proximum damnum pati, tenetur ex charitate veritatem cognitam, etiam non inquisitus, aperire, si speret suum dictum profuturum, & nullum timeatur detrimentum.

Testis infidelis, excommunicatus, infamis, alia etiam ob vitia repellitur. Contrariæ parti licet testium defectus, etiam occultos, aperire, ad eorum testimonia infirmanda: si tamen verum asserat, si ea tantum crimina detegat, quo invalidum testis dictum, & damnum multo majus testis non

patiatur

patiatur, quàm pars. Quod intellige, cùm causa est injusta, cùm quis enim justè accusatus est, non possunt occulta testium vitia detegi, unde ii damnum patiantur, præcipue si juridicè inquisiti sint, & non sponte se obtulerunt.

Testis dubia, ut dubia, certa, (id est, quæ ipse talia judicat,) fateri tenetur: mentiri, mortalis juris jurandi violatio est ad restitutionem obligans, & qui mentitus aliquem in grave mortis, vel infamiæ periculum conjecit, tenetur etiam cum periculo vitæ, mendacium suum aperire.

Qui videt, se mentitum sine dolo, (cùm existimaret se verum fateri) ante sententiam judici veritatem aperiat, si possit sine periculo, & speret hoc profuturum; si hoc animadvertat post sententiam, & nulla sit spes fructus, dicat ei, in cujus favorem testimonium dixit, ut restituat.

Pecuniæ acceptæ pro falso testimonio dicendo, non sunt restituendæ, sed acceptæ pro vero; damnum tamen falsis dictis illatum, compensandum.

Occulta testium vitia aperiri posse, docet Sot. *lib. 5. q. 7. art. 3. de just.* Sanchez *lib. 1. de sponsal. d. 70.*

Testes debent pollere usu rationis. In matrimonio (quidquid dixerit Graffius de uno teste) duo testes cum Parocho semper sunt necessarii ex *Conc. Trid.* eorumque moralis præsentia. Lege Sanchez *lib. 2. d. 41. de consensu matrim.*

Quæres: Quando testis peccet contra præceptum octavum? Resp multipliciter posse peccare. 1. Si à legitimo judice secundùm formam juris, rogatus, vel requisitus nolit testimonium ferre, cùm possit. Deinde, quia tenetur obedire superiori, justa præcipienti. 2. Peccat, si nolit ferre testimonium, cum illud ad avertendum notabile damnum Reip. vel tertiæ personæ necessarium est, etiamsi non fuerit à quoquam in judicio requisitus. Ratio, quia lege charitatis tenetur quisquam malum proximi sui cavere Prov. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. 3. Peccat, si falsum testimonium dixerit in judicio justo, quod peccatum mortale est in re gravi; leve verò in re levi, vel in judicio injusto in re etiam gravi. 4. Peccat, si non retrahit testimonium, cùm advertit se falsum testimonium in judicio dixisse. 5. Si non addubitavit, vel testimonium dedit de crimine occulto, in nullius damnum vergente, quod promiserat se non revelaturum.

Quæres: Quot debeant esse testes? Resp. Duorum, vel trium testium fide dignorum dicta ordinariè in judicio sufficere, ut habetur in jure. 2. *q. 5. can. quod verò. & l. ubi nu... ff. de test.* Resp. 2. Aliquando etiam requiri plures testes, quia in ju-

re

re Canonico definitum est contra Episcopum requiri 72. testes. Contra clericos septem testes. Ratio, quia ex eorum infamia magnum damnum posset accidere ordini Ecclesiastico Jus quoque civile in testamento nunc 7. nunc 5. testes exigit, propterea, quòd defuncti pro re non possint respondere. Resp. 3. Aliquando etiam unum testem fide dignum sufficere, idque tribus casibus 1 Quando est magnæ auctoritatis, ut Imperator, Pontifex, Episcopus etiam in re gravi. Nam in rebus levibus omnibus sufficit unus testis, ut custos vinearum contra raptores, & fures uvarum. 2. Casus est, quando in judicio non agitur de condemnatione alicujus, vel sententia non fertur in præjudicium tertii; ut si de parvulo dubitetur, an sit baptizatus, sufficit unus testis, qui viderit, ut habetur *can. parvulos, de confess. dist.* 4. Tertius casus est in religionibus monasticis, quia non exigitur omnino judicialis probatio Quidam tamen in gravibus criminibus dicunt requiri plures testes, quod Cajetan. negat. Tutissimum est ea in re sequi Constitutiones religionis.

Quæres: Quinam repellantur à testimonio ferendo in judicio? Resp. Quotquot sunt suspecti, vel ob culpam suam, ut infideles peccato Reip. infames, usurarii, simoniaci, mendaces in judiciis. Vel sine sua culpa, idque vel ob defectum rationis, ut pueri, & amentes: vel ob levitatem sexus, ut mulieres: vel ob affectum odii, ut inimici: vel amoris, ut domestici, propinqui: vel ob vilem conditionem, ut servi: vel ob inopiam, ut pauperes, qui facilè corrumpuntur.

Advocatus potest, quamdiu causa dubia est, patrocinari, quo autem tempore tenetur scire, esse injustam, tenetur de damno. Navarr. *c.* 25. *n.* 28. vide Sot. *l.* 5 *q.* 8. *art.* 3.

Advocare potest coram judice sæculari religiosus ob monasterii necessitatem.

Imperante prælato, *c. ex parte. de postul.* vid. Syl. *Advocatus* §. 7 alii etiam Sacerdotes pro rebus Ecclesiasticis, & pro sæcularibus in quatuor casibus. *Syl ibid* 4.

Advocatus tenetur sub p. m. pauperes gratis defendere, quando alia via in promptu non est. Sot *l. c. art.* 1.

Advocatus ancipitem causam tueri non potest, in re gravi honoris, aut vitæ; nam melior est conditio possidentis; at in re parum gravi, expressa clienti causæ imbecillitate, potest, sine mendaciis. Id. *art.* 3. *concl* 3.

Advocatus pro causa à se putata justa, potest idem patrocinari; pro injusta, lèthale piaculum patrocinari, obligans ad restitutionem damni illati.

Pro dubia ex utraque parte patrocinari potest; cùm cognoscit injustitiam, tenetur desistere. Si

Si causa ex una parte justa videatur, ex altera verò magis justa, tunc, si reus, vel actor, qui defendendus est, magnum damnum patiatur, justam causam tueri potest; si verò contraria pars gravi damno afficiatur, non potest.

In rebus exigui momenti potest minùs justam defendere, (dum tamen injusta non sit) sed debet partem admonere hujus rei.

Advocatus debet scire necessaria muneri suo, unde si cliens causa cadat ob illius inscitiam, tenetur restituere damna clientis; idem dicas, si hoc accidat ob negligentiam.

Debet servare modum, unde si torquens leges in falsos sensus, vel allegans falsum pro vero, damnum inferat, restituere tenetur. Probabiles Doctorum sententias sequi potest.

Debet esse contentus justo pretio, vel à principe taxato, vel arbitrio boni viri decreto. Non potest autem cum cliente pacisci de aliquota parte, si vincat.

De Advocato multa Clavis Regia *lib.* 12. *c.* 22. 23. videri possunt S. Thom. 2. 2. *q.* 71. Cajet. Bannes, Aragon. Salon. *ibid.* Aug. Triumph. *q.* 111. *de potest. Pap.* Sot. *lib.* 5 *q.* 8. *de just.*

Advocatus sit fidelis, merita causæ non detegat adversario, non suadeat clienti, ut falsos testes, vel scripturas usurpet, aut dolis utatur; dilationes non necessarias in damnum alicujus non quærat. Quod sibi ab aliis cupit justi fieri, alteri faciat; quod nollet sibi fieri, alteri non faciat.

Quæres, quando peccat advocatus contra 8. præceptum. Resp. multipliciter posse peccare. 1. Si sciens prudens, injustam defendat causam, quo casu etiam ad restitutionem tenetur. 2. Peccat, si sine ulla Jurisprudentia, vel negotiorum experientia, advocati officium exerceat: vel si peritus juris sit, tamen nullum studium in gravibus causis cognoscendis, & determinandis adhibeat. 3. Peccat, si leges torqueat in sensus apertè falsos, vel falsò illas alleget. 4. Si causam non retardet, quam in processu deprehendit esse injustam, licet non teneatur tunc pristinum institutum adversario manifestare.

Quæres. Num Advocatus possit suscipere, vel persequi causam dubiam. Soto putat posse, si utraque pars sit æquè dubia, vel altera eorum probabilior, in judiciis parvi momenti, at in gravissimis judiciis, dicit non licere tueri partem debiliorem, nisi sit pars rei. Probabilior verò videtur aliorum sententia, etiam in gravioribus judiciis tueri licere causam magis infirmam, modò verè sit dubia. Ratio, quia licet cuique suum jus tueri; at cùm causa est dubia, tam actor, quàm reus habet jus persequendi litem. 2. Quia advocati munus non est defendere causam

sam justiorem, sed solùm sine fraude afferre ea, quæ faciunt pro sua causa, ut veritas elucescat; at hoc munus locum habet in omni causa dubia.

Quæres: Qui in jure repellantur ab officio advocati. Resp. Quosdam repelli ob culpam, ut infideles, excommunicatos, hæreticos, infames; quosdam ob impotentiam, ut mutos, cœcos, surdos, pueros. quosdam denique ob indecentiam, ut clericos & religiosos in negotiis sæcularibus coram judice sæculari, nisi aliud postularet necessitas, in qua etiam clerici pro suis Ecclesiis, & religiosi pro causis sui monasterii, advocati esse possunt.

Quæres: An Advocato liceat accipere pecuniam pro patrocinio. Resp. 1, licere. Ratio. Quia, quæ hominis propria sunt, neque alteri ex justitia debentur, possunt æstimari pretio, & vendi, ergo. 2. Si advocatus aliquid per improbitatem ultra modum extorqueat à suo cliente, posse peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. In officiis quæ pretio æstimantur, excessus pretii facit injustitiam, 3. Certum est advocatum non posse paciscí cum suo cliente, de quota litis, i.e. dimidia tertia, quarta parte, id enim legibus vetitum est. *l. litem. C. de procur.* 4. Advocatum ordinariè non posse plus accipere pretii, quàm lege taxatum est, si modò illa sit recepta, & contraria consuetudine non abrogata; si autem nulla lege taxatum sit pretium, non licebit adhuc advocato accipere, quantum lubet, sed quantum bonus & sapiens vir judicaverit, habita ratione gravitatis causæ, laborum, dignitatis, personæ, consuetudinis.

Quæres: Quando procuratores peccent contra præceptum octavum? Resp. Posse multipliciter peccare. 1. Si defendunt injustam causam, vel falsa, vel incerta pro defensione clientis obtrudant. 2. Si ex ejus ignorantia, vel negligentia in tractanda causa, cliens causa cadat. 3. Si officio suo in defendendo, probando, respondendo, appellando, cum opus est, non facit satis. 4. Si cùm prævidet causam suam mutare, urget clientem, ut fortiter neget, vel affirmet, etiam juridicè rogatus, quod negare; vel affirmare sine mendacio non potest. 5. Si litem susceptam sine causa justa prosequi negligat. 6 Si plus mercedis à cliente, quàm par est, extorqueat, aut post victoriam causæ auctarium aliquod laboris postulet. Quod tamen postulari posse putat Navar. si moderatum sit.

Acedia.

Vide v. *Charitas.*

Adiuratio.

1. Adjuratio est contestatio rei sacræ, cujus reverentia inten-

tendimus alterum promovere ad aliquid præstandum. Duplex est, nempe deprecativa, quæ fit deprecando; & imperativa, quæ fit præcipiendo. Dæmon non adjuratur adjuratione deprecativa, sed solùm Deus, sancti & homines. Sola rationalis creatura congruenter adjurari potest, videturque peccatum mortale ex suo genere directo, adjurare creaturas; quamquam ratione bonæ fidei, vel levitatis materiæ, ut plurimùm est tantummodò veniale. *tom. 2. circa 2. Decal. præcept. disp. 4. q. 1. punct. ult. n. 1. & seq.*

2. Non licet adjurare dæmones, ut opem ferant ad fugandas grandines, & similia: quia non licet beneficium à dæmone expectare. Facultas adjurandi & expellendi dæmones pertinet ad solos Clericos ordine exorcistatus insignitos, quoties adjuratio fit secundùm ritum exorcismorum, & juxta formam præscriptam ab Ecclesia. A dæmone humanum corpus obsidente licitum est tantùm ea petere, quæ spectant ad aliorum utilitatem, vel ad ipsum expellendum. *Ibid. num. 5. & seq.*

3. Qui ex levitate aut curiositate aliquid imperativè à dæmone petit, non verò deprecativè, non peccat mortaliter; modò longi sermones, præsertim vani non adhibeantur; vel modò hoc non fiat causa aliquid addiscendi à dæmone; vel modò non sit periculum detegendi alicujus occultum peccatum; vel modò certa fides illi non præstetur. Sacerdos non potest dæmoni præcipere sub pœna excommunicationis ut exeat, neque terminos judiciarios præscribere ad exeundum, quia dæmon non est capax excommunicationis *Ibid. num. 9. & seq.*

4. Adjuratio differt à juramento, quòd in juramento adducitur Deus in testem; in adjuratione verò adducitur Deus seu res sacra, ut ejus amore vel timore res petita obtineatur. *Ibid. num. 11.*

5. In adjuratione peccatum committitur, quoties sine debita reverentia & necessitate adjuratur Deus aut sancti, aut adjuratur ad rem aliquam illicitam; aut quando falsus Deus adjuratur, ut Jupiter, Bacchus, &c. aut quando adjuratio fit sine voluntate obtinendi quod petitur per Dei nomen. *Ibid n. 12.*

6. Adjurans dæmonem non peccat adhibendo rutam, flagella, &c. in contemptum dæmonis; secus si adhibeat quasi vim naturalem habeant ad fugandos dæmones. Item adjurans connivendo pactioni dæmonis, seu ei aliquid permittendo è corpore egressuro, peccat, si dæmoni rem malam concedat. Potest tamen à dæmone egressuro è corpore petere aliquod signum, quo indicet se è corpore egredi, & non rediturum; quia licitè petuntur ea quæ conducunt ad fugandum dæmonem. *ibid. n. 13. & seq.*

7. Uno

7. Uno dæmone (saltem superiore) expulso, ut plurimum omnes exeunt: & sicut per quamlibet corporis partem potest dæmon ingredi, ita & egredi; cùm sit spiritus & quantitate careat. *ibid. n.* 16.

8. Dæmon non ita corpus obsidet ut semper vexet, vel semper in corpore resideat: sed dicitur obsidere, quia tempore ferè imperceptibili adest ad illud vexandum, & suam potestatem exercendum cruciando & affligendo. *ib. n.* 8. *& seq.*

Adorare. Adoratio.

Vide v. *Decalogus.*

Adulterium.

Vide v. *Decalogus.*

1. Adulterium est accessus ad alienum thorum, seu illius violatio. Ad adulterium requiritur, ut saltem unus eorum qui adulterium committit, sit conjugatus: erit autem adulterium multò gravius peccatum, si uterque sit conjugatus; duobus enim fit injuria, & duplex thorus violatur: vel quando femina conjugata congreditur cum duobus viris solutis, quàm si vir conjugatus copulam habeat cum duabus feminis solutis. *tom.* 1. *de iis, quæ pertinent ad usum matrim. q.* 4. *punct.* 15. *n.* 1. *& seq.*

2. Pœnæ adulterii sunt, ut uxor adultera amittat dotem, arrhas, & munera propter nuptias: deinde ut possit fieri divortium ab adultero. *ibid. num.* 6.

3. Adulter, qui filium ex adulterio susceptum indubitanter credit esse suum, tenetur in solidum cum matre ad restitutionem damnorum, quæ patitur verus maritus & filii lègitimi, vel hæredes; propterea adulter tenetur ad restitutionem alimentorum prolis spuriæ, saltem post tertium nativitatis annum: si tamen probabiliter credat prolem non esse suam, non tenetur ad restitutionem. *ibid. n.* 8. *&* 9.

4. Quando duo carnaliter cognoverunt aliquam solutam ex qua suscepta est proles, sed dubitatur cujusnam sit proles susceptа, uterque tenetur alere pro sua parte, & altero nolente, tenetur alter in integrum. Præterea adulter tenetur ad restitutionem alimentorum, quæ facta fuerunt ab hospitali

domo in alenda prole spuria, modò adulter non laboret egestate. Adde debere adhuc adulterum resarcire damnum dotis & hereditatis, quod legitimis heredibus infertur. Militat eadem ratio in casu quo unus aut una suppositit partum cum præjudicio veri mariti, aut legitimorum heredum. *ib. nu.* 10. *& seq.*

5. An verò adulter teneatur ad aliquam restitutionem præcisè ratione adulterii, quamvis non susceperit filium ex adulterio, sunt qui affirment, sunt qui negent. *ibid. n.* 15.

6. Adultera honestæ conditionis, aut quæ passim pro tali habetur, non tenetur manifestare adulterium cum periculo vitæ suæ vel famæ, ad impediendum ne filii legitimi damnum in hereditate licet ampla patiantur; debet tamen si potest damnum aliunde compensare, aut spurium ad religionem inducendo, aut tradendo aliis filiis bona paraphernalia. *ibid. n.* 17. *& seq.*

7. Filius non tenetur credere matri asserenti etiam cũ juramento, aut in articulo mortis ipsum esse spurium, si mater tempore conceptionis habitabat cum viro, consequenter filius non tenetur abdicare à se hereditatem *Ibid. n.* 22.

8. Quare caveat Confessarius, ne ultra modum compellat adulteram in articulo mortis detegere suum adulterium, rarò enim prodest detectio adulterii. Nec est consulendum, ut adultera detegatur post mortem per Confessarium, quia periculum est ne proles adulterina, vel Confessarius ipse occidatur. *Ib. n.* 23. *& seq.*

ADDITIO.

Cum sponsa de futuro non est adulterium, Covarr. *epit. p.* 1 *c. n.* 8 contra quosdam & Sanch *l.* 1. *d.* 2. *n.* 2. sed hic ait, esse circumstantiam necessariò confitendam, ille negat.

Adulter ad nullam restitutionem tenetur, si probabiliter dubitat filium esse suum, secus si credat. Quidam tamen putant, nec, si ei constet esse suum, teneri, nisi ex quadam æquitate, quia damnum non dat, quod vulgo non receptum, quare tenenda communis opinio, quam primò posui.

Vide Nav *c.* 16. *n.* 49. Non solùm expensas educationis, sed si filia fuit, dotem datam à putativo patre tenetur restituere, si credat, Navar. *l. c.* vide Aragon. *q* 62. *art.* 6. *de just.*

Quidam,) Sot *lib.* 4 *q.* 7 *art.* 2. *in fin.*

Adulter uxori occultus potest debitum exigere: jus enim non amisit in foro conscientiæ, Sanch *de matr. l.* 1. *d.* 68. *n.* 4. *&*

5. vide tamen eumdem, *l. c. d.* 10. *n.* 8. Sot. *l.* 16. *de matrim.* Lop. *p.* 1. *cap.* 83. contraria tamen sententia multis probatur. Uxori publicæ adulteræ debitum reddere cum scandalo p. m. est. vide Covar. *l.* c. ex Cajet. vide Lop. *l. c.* Navar. *c.* 16. *n.* 28. & Sanch. *l.* 10, *d.* 13. *de divort.*

Adulter ab altera habens legitimos filios, & filium ex adulterio, si habeat alia bona, quibus legitimorum filiorum detrimentum sublevare possit, & si bona non habeat, & non speret revelationem suam profuturam, non tenetur suum crimen prodere, si profuturam speret, & nullum subeat vitæ, vel publicæ famæ periculum, tenetur prodere. In his idem omnes sentiunt. De hac re Rodriquez *part.* 1. *cap.* 205. Clavis Regia copiosè *l.* 8. *c.* 3.

Ad vitandam infamiam, aut vitæ periculum, licet illegitimos filios hospitali exhibere: parentes tamen hospitali damnum reficere tenentur, si queant. Abortum procreare, aut filium occidere nunquam licet. Adulterium patrans amittit jus petendi debitum.

Adulter occultus in foro conscientiæ non amittit jus exigendi, ex Covarr. *in quart. Decret. p.* 2. *c.* 7. *§. nu.* 4. alter conjunx innocens, si certò sciat ab altero adulterium fuisse commissum, potest debitum negare.

Si ambo adulterio polluti sint, vir & uxor, neuter potest debitum negare, Leg Rodriq. *p.* 1. *c.* 242. *n.* 16. Injuriæ enim mutua compensatione tolluntur.

Uxor adultera interrogata à viro, an fidem fregerit, si dubitet, se à viro cædendam, potest dicere: Non fregi, intelligens animo, se non fregisse eo die, quo verè non fregit, Rodriq. *p.* 1. *c.* 205. *n.* 12.

Conjugatus, qui cum conjugata peccavit, si à Confessario non cognoscatur, debet dicere, se esse matrimonii nodo devinctũ; uxori enim fidem fregit, & injuria affecit adulteræ conjugem, ex Rodriq. *p.* 1. *c.* 212. *n.* 4. Sot. 4. *dist.* 10. *q.* 2. *art.* 4.

Quæres: Quomodo peccent conjuges in petendo & exigendo debitum conjugale. Resp. 1 Ab iis posse peccari, 1. Ratione temporis, vel mortaliter, ut si vir peteret tempore menstrui; vel venialiter, si quis petat debitum tempore, quo communicandum est, licet uxor possit reddere petenti, etiamsi communicare velit. 2 Ratione loci, nam si sacer sit locus, tam petere, quàm reddere est peccatum mortale, nisi fuerit tempore belli, & actus esset necessarius, & occultus.

3. Ratione periculi, vel mortis, vel abortus, vel maximi morbi, ut lepræ. 4. Ratione finis, peccat enim venialiter saltem qui peteret, vel redderet debitum, gratia solius voluptatis. Nam si quis vel ratione generationis prolis, vel vitandæ fornicationis suæ, vel consortis, vel causa reddendi debitum, voluptatem caperet, non peccaret. Resp. est Soto, quia delectatio semper est bona, quæ sequitur operationem bonam. 5. Nomine induciarum, post ratum matrimonium, quæ solent esse duorum mensium.

Quæres: An sit peccatum mortale negare debitum petenti, maximè si steriles sint conjuges, vel pauperes, & non possint alere numerosam prolem Resp. 1. Non esse peccatum, si petatur tantùm debitum rogando, alliciendo, vel insinuando vel si petitur nimis crebrò, ac nimis importunè. Resp. 2. Fore peccatum mortale, quando negando conjiceret petentem in periculum fornicationis, vel pollutionis. Deinde, quando petit seriò, & instanter. 3. Ob sterilitatem, vel numerosam prolem secuturam non posse negari debitum; si tamen negaretur, peccatum veniale futurum.

Quæres: An inchoato coitu liceat se conjugi subtrahere, ne gignatur proles. Palud. putat, non fore mortale, si non possint ali tot proles. sed rectius Sylv. & Aug. dicunt, esse mortale, quia non licet semen effundere extra vas naturale, & generationem prolis impedire.

Quæres: Liceatne viro occidere uxorem adulteram cum adultero. Resp. 1. Si occidat sine auctoritate judicis, deprehensos in flagranti delicto, peccare quidem mortaliter, sed impunè, quoad leges civiles; si verò cum auctoritate judicis occidat, ne quidem peccare. Et ratio est, quia adulterium est crimen, quod justè morte puniri potest. Et *Deut.* 22. jubetur puniri; ergo etiam judex potest adulteros morti adjudicare. At quis potest exequi justam sententiam judicis? Resp 2. Illam occisionem posse per accidens fieri sine peccato, quia rarò fit sine odio.

Advocatus.

Vide v. *Accusator.*

Affinitas.

Vide v. *Matrimonium.*

Alie-

Alienatio bonorum Ecclesiasticorum.

Vide v. *Feudum.*

1. Alienatio bonorum Ecclesiasticorum vetita est primò jure naturali divino, annexo juramento, si loquamur de Summo Pontifice, & de Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ, aut de Episcopis & Prælatis respectu bonorum suæ Ecclesiæ *tom. 1. de alienatione bonorum Ecclesiasticorum, disp. 2. q. unic. punct. 1. n 1.*

2. Secundò vetita est jure Cæsareo *in l. iubemus, &c.* Tertiò jure Canonico pluribus in locis, præsertim in Concil. Trident. *sess. 25. c. 11. & in extravag. Ambitiosa, de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Hoc tamen intelligitur & limitatur primò, nisi alienatio fiat ex justa causa, & cum debita solemnitate, vel ad breve tempus locationis, aut in causa emphyteusis in casibus à jure permissis; vel nisi alienatio fiat de re levis momenti, aut rerum quæ servando servari non possunt; aut nisi fiat bona fide; aut nondum perfecta sit alienatio, & ab eo qui bonorum administrationem habet. *ibid. n. 1. & seq.*

3. Nomine autem *alienationis* hoc in loco intelligitur actus, quo dominium rei directum vel utile, aut ususfructus, aut jus in alterum transfertur, vel abdicatur. Bona immobilia Ecclesiastica, & mobilia pretiosa quæ servando servari possunt, hac extravaganti alienari prohibentur: bona verò mobilia & pretiosa quæ servandò servari non possunt, ab Episcopo aut administratore possunt vendi sine alia solemnitate: unde valida est alienatio vini, frumenti, olei, ovium, caprarum, &c. facta sine solemnitate. Oblationes quoque factæ sacræ imagini possunt de licentia solius Episcopi alienari. *ibid. punct. 2. n. 1. 2. 3. 4. & 6.*

4. Pecunia Ecclesiæ mutuo dari, aut in alios usus alienari prohibetur, quàm in eos, ad quos destinata est. Item arbores solo adhærentes, seu quæ radices solo egerunt & durioris ligni sunt, non possunt incidi sine debita solemnitate. Invalidus est similiter contractus, quo quævis bona Ecclesiastica (etiam bona Confraternitatis, Collegii, Hospitalis auctoritate Episcopi fundati) alienantur sine debitis solemnitatibus. *ibid. n. 5. 7. & seq.*

5. Usus Capellæ cum sepultura alicui concedi potest ad usum sine debita solemnitate, cùm hoc non sit alienare. *ibid. n. 12.*

6. Commendæ S. Joannis Hierosolymitani, aut aliæ; item bona monasterii non possunt alienari sine assensu Apostolico; sicut neque jus patronatus Ecclesiasticum transferri in laicum absque debita solemnitate. Similiter in retrovenditione rei ab Ecclesia emptæ requiritur dicta solemnitas. *Ibid. n. 13. & seq.*

7. Denique ut bona incorporalia, jura & actiones & servitutes Ecclesiæ alienentur; aut ut res non solitæ tradi in emphyteusim, aut feudum licitè infeudentur, aut emphyteuticentur, aut ut bona immobilia, vel mobilia pretiosa oppignorentur, vel hypothecentur, requiritur dicta solemnitas. *Ibid. n. 19. & seq.*

8. Bona patrimonii, ad quorum titulum quis ordinatus fuit, non possunt alienari absque Episcopi licentia, donec Clericus, qui ad titulum illorum fuit promotus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum; vel aliunde habeat, ex quo vivere possit; quamvis hujusmodi bona ipso mortuo pristinam retineant libertatem. *Ib.* n 28.

9. Res Ecclesiæ pretiosæ, quæ servando servari possunt, non possunt locari ad longum tempus, videlicet ultra triennium; & locatio beneficii ultra triennium, invalida est, etiamsi firmetur juramento. *Ib. n 24. & seq.*

10. Lampades argenteæ, & his similia, non possunt alienari (secluſa in contrarium consuetudine) ut earum pretium convertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ, aut in alium usum *Ib. n. 30.*

11. Prælatus potest validè repudiare legatum relictum Ecclesiæ non servata solemnitate requisita ad alienationem: nam Prælatus repudiando legatum nondum acceptatum, non dicitur alienare bona Ecclesiæ. *Ib. n. 33.*

12. Quæres utrum valida sit cessio hereditatis nondum aditæ facta à Prælato sine debita solemnitate in favorem alterius? Respondetur negativè, si fiat in favorem extranei, ad quem hereditas non perveniret, sed solùm pervenit eò quòd Ecclesia sua jura illi cedat. *Ib. n. 34.*

13. Quatuor causæ assignantur à Doctoribus, propter quas alienatio bonorum Ecclesiasticorum licitè & validè fieri potest; videlicet necessitas urgens, pietas, utilitas evidens Ecclesiæ, & quando Prælatus credit subesse legitimam causam, licet posteà comperiat non fuisse legitimam causam. *Ib. punct. 3. n. 1.*

14. So-

14. Solemnitates requisitæ ad alienationem bonorum mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, præter justam causam, sunt hæ : unus saltem tractatus, id est, discussio quæ fit allatis rationibus pro & contra, utrùm expediat hujusmodi bona alienare : post tractatum requiritur consensus expressus majoris partis capituli, eorum scilicet qui sunt præsentes: non est necesse ut hic consensus præstetur à Canonicis in communi, sed sufficit si præstetur singulariter: præterea ad dictam alienationem requiritur consensus Superioris: & alienantes ante consensum Superioris, dicendo, *salvo superioris assensu*, non excusantur, cùm hæc protestatio sit contraria facto. Potest tamen Prælatus res modicas & parvæ utilitatis alienare absque consensu, & tractatu particulari *Ibid punct. 4. n. 1. & seq.*

15. In alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis, jure antiquo requiritur facultas Sedis Apostolicæ ut sit licita, etiamsi Episcopus in consecratione juret se id non facturum inconsulto Pontifice. *Ib. n. 6.*

16. Consensus Summi Pontificis licet suppleat solemnitates jure antiquo requisitas, non tamen supplet causam, nisi exprimatur. *Ib. n. 7.*

17. Ad validam alienationem bonorum Ecclesiæ carentis Collegio requiritur consensus rectoris Ecclesiæ cum consensu Episcopi; imò etiam cum assensu Summi Pontificis post extravagantem *Ambitiosæ*. Per *Collegium* autem intellige non solùm communitatem Canonicorum, sed etiam beneficiariorum illius Ecclesiæ. *Ib. n. 9. & 10.*

18. Res legata alicui Ecclesiæ cum conditione ut alienari possit, non potest reverà alienari sine prædicta solemnitate; quia hæc conditio habetur pro non apposita: & è contra, res legata cum conditione ut nullo in casu alienari possit, quit nihilominus alienari ex justa causa cum solemnitate *Ib. n. 11. & 12.*

19. Petes utrùm incurratur pœna caducitatis adjecta rei, quæ donata fuit Ecclesiæ cum hac conditione, *ut non alienetur*, alioquin ad donatoris heredes devolvatur. Resp. pœnam caducitatis incurri, quoties alienatur absque justa causa, & sine debita solemnitate, ac consensu Sedis Apostolicæ; quia quilibet est rei suæ moderator & arbiter. *Ib. n. 13.*

20. Contractus alienationis bonorum Ecclesiæ sine debita solemnitate invalidus est in foro externo & interno, etiam

iam ſi celebratus ſit in favorem Eccleſiæ, resque accepta ſine prædicta ſolemnitate, reſtituenda eſt loco pio, ad quem ante alienationem pertinebat. *ibid. n.* 14. & 15.

Quæ perſonæ pœnam incurrant ratione alienationis bonorum Eccleſiaſticorum.

21. Omnes & ſinguli Eccleſiaſtici ſæculares & regulares, res Eccleſiæ malè, & ſcienter alienantes, excommunicationem incurrunt: Epiſcopi verò & Abbates interdicto vel ſuſpenſione puniuntur. Neque excuſatur ab hac cenſura qui alienavit bona Eccleſiaſtica, ſed pœnitentia aut alio titulo ductus, alienationem revocavit ante realem & pacificatam traditionem; quamquam multi Doctores contrariam opinionem non improbabiliter defendant. *ib. punct* 5. *n.* 1. & 2.

22. Etiam Cardinales ſubjiciuntur legibus & pœnis contra alienantes bona Eccleſiaſtica impoſitis, quia cùm ſubjiciantur legibus favorabilibus, æquum eſt eos etiam ſubjici odioſis. Addo eos teneri vinculo juramenti de non conſentiendo alienationi bonorum Sedis Apoſtolicæ. *ib. n.* 5. & 6.

23. Quæres an Summus Pontifex alienans bona Eccleſiaſtica, ligetur his pœnis & cenſuris? Reſpondetur quòd non; tum quia par in parem non habet imperium, tum quia legislator non tenetur ſuis legibus quoad vim coactivam. *ib. n.* 8.

24. Peccatne ſaltem contra juramentum alienando bona Eccleſiaſtica? Reſp. peccare contra juramentum alienando, ſeu infeudando caſtra, civitates, dominia Sedis Apoſtolicæ, niſi juramenti vinculum ſibi priùs relaxet, ſecumque diſpenſet in juramenti vinculo; intellige ſi habeat juſtam cauſam diſpenſandi, alioqui diſpenſatio irrita eſt. *ib.* § 1. *n.* 1. & *ſeq.*

25. Summus Pontifex alienans bona Eccleſiaſtica cum damno Eccleſiarum, peccat contra juſtitiam, niſi alienet ex juſta cauſa (qualis eſt communis neceſſitas, vel publica utilitas) quæ in alienatione facta à Summo Pontifice ſemper eſt præſumenda in foro conſcientiæ, niſi oppoſitum conſtet. *ibid.* §. 2. *num.* 1.

26. Probabile eſt alienationem bonorum Eccleſiæ factam à Summo Pontifice etiam ſine cauſa validam eſſe; at tenetur ad reſtitutionem damni illati per dictam alienationem. *ibid. n.* 4 & 5.

27. Do-

27. Donatio seu alienatio gratuita facta à Papa in laicos de bonis Ecclesiæ sine justa causa valida est, sed injusta; & accipiens hæc bona, potest excusari à restitutione propter bonam fidem. *ibid. n.* 10. *&* 11.

28. Papa spolians innocentem beneficio, illud alteri conferendo, etiamsi spoliatum alia ratione compenset, peccat contra justitiam. *ibid. n.* 12.

Idem sentiendum si alienet bona unius Ecclesiæ in aliam sine causa; secus si alienet alienatione compensativa; nam tunc non peccat regulariter contra justitiam. *ibid. n.* 7. *&* 9.

29. Validæ sunt revocationes bonorum jam alienatorum factæ à Pontifice alienante, vel ab ejus successore. Imò tenetur eas irritare, si advertat factas fuisse in detrimentum Ecclesiæ, cui alia ratione satisfieri nequeat, quàm alienationes irritando. *ibid. n.* 15.

30. Qui aliquid à Summo Pontifice accepit in damnum Ecclesiarum, tenetur restituere rem acceptam, vel saltem id in quo factus est locupletior, si à Pontifice interpelletur, vel alienatio revocetur, & irritetur. *ibid. n.* 16.

31. Commissarii vel delegati à Sede Apostolica facultatem alienandi bona Ecclesiastica in detrimentum Ecclesiæ concedentes, subiiciuntur excommunicationi, modò sint inferiores Episcopis: Episcopi verò, aut superiores Episcopis incurrunt suspensionem per annum ab executione officii; quamquam ista excommunicatio & suspensio non est reservata Summo Pontifici. Contra verò procurantes dolose vel scienter hujusmodi alienationē aut decretum alienationis, lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata; incurriturque præfata excommunicatio etiam nondum secuta alienatione. *ibid. punct* 6. *n.* 1. *& seq.*

32. Petes, an Commissarii, vel delegati excommùnicationem contrahant statim post decretum, etiamsi alienatio nondum secuta sit? Resp. affirmativè, cùm ipsi ex sua parte fecerint actionem ex sua natura damnificativam. *ibid. n.* 5.

ADDITIO.

Arbores Ecclesiæ, nisi sint pretiosæ, cædi, & vendi possunt: Navarr. *cons. 6. & 7. de reb. Eccl. non alien.*

Jurans non alienare rem Ecclesiæ, juramento non ligatur, quò minus servatis alioqui servandis, possit in ejus utilitatem

litatem alienare, itemque rem modicam, intelligitur enim juramentum secundùm juris dispositionem.

Solemnitas juris non requiritur in rebus modicis, nec in iis, quæ Religiosi retinere non possunt: itaque *Mendicantes*, quibus non licet bona immobilia etiam in communi possidere, possunt vendere immobilia, sibi aliquo testamento relicta, vel aliàs donata: nec (secundum quosdam) in rebus mobilibus, etiamsi possint servari, ut ovibus, modò non sint mobilia pretiosa.

Ecclesiæ rem posse Rectorem obligare pro illius, vel sua necessitate, tenerique successorem, probabiliter quidam dicunt: itemque posse vendere rem Ecclesiæ hujus debitis solvendis. Nec hæc putanda prohibita alienatio, cùm sit in evidentem ejus utilitatem, dummodo fiat cum debita solemnitate. Conc. Trid. *sess.* 25 *c.* 11. Nav. *c.* 27. *n.* 149. *& conf.* 4. *de reb. Eccl, non alien.* Sylv. *verb. alien. qu.* 6.

Res Ecclesiæ malè alienatæ recuperandæ sunt, Guil. Redoan. *de rer. Eccles. alien q.* 77. *n.* 3. *ex c. August.* 12. *q.* 2.

Ordinarius, secundùm Archidiac non potest concedere, ut partes altaris, vel Ecclesiæ collapsæ ad usus profanos vendantur. Nav. *de spol. Cler.* §. 18. *n.* 11.

Quæres: Quot sint genera bonorum Ecclesiasticorum? Resp. esse quatuor. In primo genere sunt bona patrimonialia, quæ possident Clerici non ratione beneficii, & Ecclesiæ, sed jure hereditario, donatione, vel proprio labore. In secundo quæ possidet, quasi ratione ministerii Ecclesiastici; non tamen ratione beneficii Ecclesiastici, ut sunt, quæ Clerici acquirunt concionando, Missas celebrando, confessiones audiendo: quæ Navar *in Apologia de reditibus q.* 1. *monitione* 210. vocat quasi patrimonialia. In 3. genere sunt, quæ pertinent ad Ecclesias, hospitalia, vel alia pia loca: ut vasa sacra, vestes sacræ, prædia, vineæ, & in 4. quæ Clerici possident ratione Ecclesiastici beneficii.

Quæres: An Clericus possit abalienare bona Ecclesiastica Resp. cum Covarr *lib* 3. *var resol. cap.* 16. §. 8. illa bona esse duplicis generis, quædam enim deputantur ad ministerium altaris, ut sunt vasa, calices, & vestes sacræ; quædam non deputantur, ut sunt domus, pascua & vineæ. Resp. 1. generis bona posse abalienari in duobus casibus; primò quidem, in redemptione captivorum. 2 ad subventionem pauperum, ne frigòre, vel fame pereant. 3. ut habetur *l. sancimus, l.* 1. *t.* 2. *C. de*

de SS. Eccles. & can. aurum, & can, sicut omnino, l. 2. q. 2 Resp. 2. secundi generis bona, tantùm quatuòr de causis posse abalienari, ut habet Sylvest. *in v. abalienatio.* 1. est necessitas, ut cum Ecclesia est gravata debitis. 2. est utilitas, ut vid. aliquid melius comparetur, ut habetur *can. sine except.* 12, *q.* 2. huc pertinet ædificatio templi, vel augmentum cœmeterii, 3. est pietas pro redemptione captivorum, ut habetur. 12. *quæst. 2. can. aurum.* 4. causa est incommoditas, ut si bona aliqua magis sint damnosa Ecclesiæ, quàm utilia, ut habetur *6. terulus.* 12. *q.* 2. Ad hos autem quatuor aliæ reducuntur.

Apostata.

Vide v. *Religiosus, Monialis.*

1. Apostata dicitur qui à vera religione discedit, animo deserendi statum religiosum, seu intentione non redeundi ad religionem. Et hoc verum est sive discesserit cum habitu, sive non. *tom. 1. de Clausura, & pœnis violatoribus ipsius impositis, quæst. 2. punc* 11. §. 1. *n.* 1

2. Novitius non est Apostata deserendo religionem, quia non discedit à statu verè religioso, cùm nondum professionem in religione emiserit. Idem sentiendum est de nonnullis mulieribus, quas alicubi *Beatas*, alibi *Tertianas*, alibi *Vrsulinas* vocant; & de Monialibus Turris Speculorum in Urbe, quæ non sunt propriè religiosæ. *ibidem num.* 2. *& 3.*

3. Transiens ad aliam religionem, non est propriè apostata, etiamsi forté transeat ad laxiorem; cum hic non habeat simpliciter animum recedendi à statu religioso. *ibid. n.* 4.

4. Fugitivus non est idem cum apostata: fugitivus enim à religione dicitur, qui à monasterio ad tempus discedit, non animo recedendi à religione, sed intentione posteà redeundi, ut si fugiat ob Prælati metum & rigorem, vel ob vagandi voluntatem, aut alia simili de causa. Et hoc verum est sive fugiat cum habitu, sive illo dimisso, sive etiam in carcere inclusus sit, aut perpetuo carcere damnatus, cum recedat à monasterio absque debita licentia: secus dicendum de eo qui è triremibus fugit ut pœnas triremium evadat, aut de eo qui confugit ad Superiorem absque licentia immediati Prælati, ut ab iniqua ejus vexatione liberetur. *ibid. num.* 3. *& seq.*

5. Præ-

5. Prælati religionum tenentur per se loquendo fugitivos & apostatas, aut etiam ejectos data opportunitate revocare, si spes subsit emendationis; tenentur enim ex officio saluti subditorum consulere; & si non revocent annuatim fugitivos vel ejectos, si spes subsit emendationis, privationem officiorum, & alias pœnas in decreto sacræ Congregationis expressas incurrunt. *ibid.* §. 2 *n.* 1. & 2.

6. Apostata & fugitivus à religione ubique capi potest à suo Superiore, etiam extra suum monasterium & territorium: & si habitu dimisso apostata prætendat irritam fuisse professionem suam, non gaudet privilegiis religionis; secus si cum habitu recessit sive licitè sive illicitè, tunc enim adhuc gaudet privilegiis toti religioni concessis, quia non extat jus in contrarium. *ibid.* §. 3. *n.* 1. 2. & 3.

7. Apostata vel fugitivus privatur alimentis seu jure alimentorum quæ religio ei exhibuisset; quia pater non tenetur alere filium sua culpa discedentem: ergo neque religio tenetur religiosum à religione fugientem alere. *ibidem num.* 4.

8. Apostata eligi potest in Abbatem vel Superiorem peracta pœnitentia: nisi obstet alia circumstantia aut aliud impedimentum; aut nisi aliud ferant constitutiones ac privilegia religionis. *ibid. num.* 6.

9. Apostata jure communi excommunicationem non incurrit propter apostasiam præcisè, cùm ista excommunicatio in jure non reperiatur. Dicitur *jure communi*, quia apostatæ in nonnullis religionibus ex peculiari privilegio ipsarum religionum sunt excommunicati, ut patet ex privilegiis Societatis Jesu concessis à Gregorio XIII. anno 1584. in Bulla *Ascendente Domino*. *ibid.* §. 4. *n.* 1 & 2.

10. Apostata à religione, repellitur ab ordinum susceptione, & ab exercitio illorum quos apostasiæ tempore suscepit, consequenter suspensus est, vel potiùs irregularis: neque potest dimissa apostasia ad superiorem promoveri ante dispensationem Summi Pontificis, ad quem pertinet absolutio suspensionis latæ contra apostatas. *ibidem. num.* 4. & 10.

11. Apostatæ religionum participantium privilegia Societatis Jesu non sunt excommunicati, præcisis suæ religionis privilegiis. *ibid. n.* 3.

12. Transiens seu advolans ad aliam religionem, ibique

sacrum

sacrum ordinem susciplens, non est suspensus ab exercitio illius ordinis, sive illa religio sit arctior, sive laxior. *ibidem num. 6.*

13. Detinens apostatas, non videtur reus excommunicationis in genere loquendo, nisi admonitus ab ordinario loci eum dimittere nolit, juxta Pauli IV. constitutionem. *ibid. §. 5. num. 1.*

14. Religiosus potest justa concurrente causa ob religionis utilitatem à monasterio expelli, ita *cap. quia* 81. *distinct.* non potest autem expelli absque justa causa seu incorrigibilitate: & religiosus injustè expulsus à religione petere potest alimenta futura, non verò præterita, nisi fortè debitum contraxerit ad se alendum. *ibid. punct.* 12. §. 1. *num.* 1. 2. & 4.

15. Expelli non potest religiosus, qui celato aliquo vitio professionem validam emisit, cùm deceptio non sit circa substantialia religionis, ut suppono. Item neque expelli potest virtute privilegiorum religioni concessorum, nisi privilegia post decretum congregationis iterùm confirmata vel concessa fuerint. *ibid, n.* 7. & 8.

16. Monialis non potest à monasterio ob incorrigibilitatem eiici, sicut vir religiosus; quia publico religionis bono expedit ut monialis à monasterio non excludatur. *ibidem num.* 9.

17. Religio præclarissimæ Societatis Jesu laudabiliter & sine ullius injuria institui potuit, ut hac conditione Reverendissimo P. Generali libera facultas competat expellendi religiosos post biennii vota. Ratio est, quia volenti & scienti nulla fit injuria. Patres autem Societatis scientes & volentes hoc gravamen, admittuntur ad professionem, ergo, &c. *ibid. num.* 11.

18. Religiosus Societatis Jesu liber remanet ab obligatione votorum, postquam à religione dimissus fuit: modò dimissus non fuerit ob fraudem, vel ob peccata hac intentione commissa ut expelleretur: nam si hoc pacto dimissus fuit, non videtur liber remanere ab obligatione votorum, quia illa dimissio seu licentia irrita est & invalida, utpote per dolum dantem ipsi causam obtenta. *ibid n.* 13.

19. Religiosus qui ejectus est à religione tenetur suos depravatos mores corrigere & emendare, ut iterùm admittatur, alioqui per ipsum stat, ne votum perseverantiæ in religione

ligione adimpleat. Quòd si in religionem iterùm recipiatur, admittendus non est in eodem loco & gradu, quẽ anteà obtinebat, in punitionem delicti commissi. *ibid.* §. 2. *n.* 1. & 2.

20. Religiosus professus à religione ejectus, tenetur (excipe Religiosos Societatis Iesu) vota religionis substantialia servare; quia adhuc est religiosus professus; ita ut si à Superiore repetatur, teneatur redire, & ad id cogi possit. Ejectus expendens aliquid inutiliter, non peccat contra paupertatis votum juxta sententiam nonnullorum Doctorum: quia ejectis permittitur, dum vivunt, administratio bonorum ac si religiosi non essent, *ibid.* §. 3. *n.* 1. & *seq.*

21. Religiosus ejectus, qui jam emendatus est, sed desperet fore, ut ad primam religionem admittatur, potest propria auctoritate (sed cogi non potest) absque ulla licentia aliam ingredi æquè perfectam, vel etiam laxiorem. Quod si ejectus fuit in perpetuum, non tenetur aliam religionem ingredi, nisi fortè ejectus fuerit cum hac conditione ut ad aliam transiret. *ibid.* §. 4. *n.* 1. & *seq.*

22. Religiosus ejectus non tenetur ex voto obedire Episcopo; sed tamquam subditus jurisdictioni illius in cujus diœcesi habitat. *Ibid.* §. 5. *n.* 1.

23. Religiosus ejectus à religione, si privatus fuit habitu, non potest illum deferre, quia sententiæ justæ obedire tenetur; si verò cum habitu expulsus fuit, tenetur illum deferre, quia adhuc est religiosus. *Ibid. n.* 2.

24. Religiosus professus à religione ejectus, suspensus remanet, ita ut repellatur ab exercitio ordinum, sitq; irregularis quando delictum gravissimum & notorium commisit; nec absolvi potest nisi à Summo Pontifice. *Ib.* §. 6. *n.* 1, 4. & 5.

ADDITIO.

Acquisita per apostatam extra Religionem, quidam dicunt esse Cameræ Apostolicæ, alii monasterii.

Apostasia à fide, est error hominis baptizati, fidei Catholicæ ex toto contrarius.

Ex toto: quia hæresis ex parte repugnat fidei. Deserentes obedientiam Ecclesiæ, vel Clericatum, vel religiosorum ordinem, non sunt apostatæ à fide.

Apostasia tribus modis, ut hæresis, committitur. Apostata interiùs & exteriùs, & excommunicatus in Bulla Cœnæ: nam

nam nomine hæretici intelligitur etiam apostata, non autem è contra. Apostata interiùs non est excommunicatus, neque exteriùs tantùm, in foro conscientiæ. Dubium voluntarium, cum pertinacia contra totam Christianam fidem ad apostasiam reducitur. De Apostatis Azor. *lib.* 8, *c.* 21. Maiol. *lib.* 5. *cap.* 34. *de irregul.*

Quæres: Possitne religiosus ab uno ordine transire ad alium. Resp. 1. cum D. Thom. 2. 2. *q.* 198. *a.* 8. in suo genere, non esse laudabile, ab una religione ad aliam transire, nisi evidens necessitas, vel utilitas id postulet. Et ratio est, quia id numquam fieri solet, sine scandalo sociorum ejusdem religionis. 2. Quia faciliùs is proficere potest in sua religione, ad quam est assuefactus 3. Quia est signum inconstantiæ. 4. Quia ita docet Cassian. *coll.* 14. *c.* 4 Respond. 2. Posse nihilominus eos transire ad aliam religionem, tribus ferè de causis; ut transeant ad religionem perfectiorem. Profectio autem religionis, ut hic docet S. Thom. non tam sumitur ex securitate, quàm ex fine, ad quem religio ordinatur. Nam jure communi prælatis omnis potestas data est transmittendi suos subditos ad strictiorem, & perfectiorem religionem, *cap. licet. de reg.* imò etiam sine licentia eorum possunt transire, licet humilitas religiosa requirat, ut licentiam petant; licet ea non obtenta, si transeant, non peccent. 2. causa est, si religio à veteri sua perfectione degenerarit. Unde Joann. Abb apud Cassian. *coll.* 19. *cap.* 3. 5. 6. ab eremitica vita ad communem transiit, quòd illa à sua perfectione degenerasset; hoc tamen non potest fieri, ut inquit D. Thom. sine licentia superioris. 3. Causa est, ratione infirmitatis, ut si is non posset severioris ordinis leges ampliùs servare. & in hoc inquit D Thom, necessaria est dispensatio Pontificis.

Quæres: Possitne aliquis cum licentia Summi Pontificis transire ad æqualem ordinem, vel etiam leviorem. Ant. *pag.* 3 *tit.* 18. *cap.* 4. putat, eos non posse etiam cum licentia superioris. Sed probabilior est sententia Sylvest. *in v. religio.* 4. *quæst.* 2. & Navarr. *in cap. statuimus.* 19. *qu.* 3. *nu* 10. posse eum transire ad æqualem, cum sola licentia superioris, ita enim Gloss. in *gl. cùm singula. §. prohib. in* 6. Respond. 2. licentiam superiorum non sufficere, ut possint transire ad ordinem leviorem, ut docet Navar. *ibid* quod maximè verum est, in ordinibus Mendicantium. Excipitur tamen religio Carthusianorum, ad hanc enim omnes possunt, cum licentia superiorum

riorum transire, ut patet ex *Extrav. Matth. 4. de regul.* quam refert Navarr. *loco cit. n. 24.* & Benedictus *in extravagant. de perpetuis*. Notandum tamen, hanc transitionem ad leviorem religionem, debere fieri ex legitima causa, quia nec Papa potest sine justa causa dare aliam potestatem, transeundi ad leviorem, ut docet Navar. *loco cit.* & ratio est, quia licet per facultatem Pontificis ille religiosus, non totaliter absolvatur à voto religionis, absolvitur tamen à parte voti servandi perfectiorem religionem.

Quæres: An qui transit ad aliam religionem, debeat edere professionem illius religionis. Resp. cum Navar. *lib. 3. cons. de relig. cons 3.* quòd sic, quia alioquin ad illam novam religionem non obligaretur, & esset aliis dissimilis. contra *c. recedentes. de statu monach. & cap. in nova. 16. quæst. 71.* etsi sufficiat professio tacita.

Quæres: An religiosi possint dimitti à religione, si se malè gerant Respond. ex communi sententia posse dimitti. Nam *Proverb. 21.* dicitur, ejice pestilentem à consilio, & exibit cum eo contentio, & Origen. *Homil. 7. in Ioseph.* dicit, ovem scabiosam separandam, ne gregem inficiat. Hieron. *in epist. ad Pamach.* dicit, membrum putridum resecandum. *24 q. 3.* ex ratione, quia nihil magis religionem labefactat, quàm perversi religiosorum mores, ut ostendit Bonaventura *c. 4. in reg. Sancti Francisci.*

Quæres: An professi possint dimitti. Videtur enim, quòd non, quia professionem suam non solùm Deo, sed etiam religioni fecerunt, per modum contractus, qui cònsistit in mutua quadam obligatione. Respond. ex cõmuni sententia DD. professos etiam posse dimitti, probatur ex jure Canonico. Nam Alexand. III. in Conc. Lateran. ut habet *c. relato. tit. in Eccl.* de monachis imperat Episcopo, ut monasterium quoddam reformet, & fratres rebelles ejiciat, & in *c. cùm ad monasterium. de stat. monach* habetur de expulsione monachi proprietarii, & eodem tit. statuitur, ut visitatores oves morbidas ejiciant. 2. probatur, ex regulis præcipuarum religionũ.

Nam regula Sancti Basilii, quam sequuntur Orientales, ita habet, ut patet ex reg fusius *disp. quæst. 28.* ubi citat illud *Matthæi 5.* Si oculus scandalizat te, erue illum. 2. Ex regula S. Augustini, qui idem docet, teste Navar. *cap. ne dicatis 12. quæst. 1. num. 65.* Unde Dominicani, qui regulam S. Augustini sequuntur, professos possunt dimittere, teste Ant. *loc. cit.*

4. §. 4.

4. §. 4. & habetur in illius ordinis constitutionibus. 3. Idem habet regula S. Benedicti c. 28. 4. Denique idem habetur in regula S. Francisci: nam jubet fornicarios penitus expelli, & in speculo Minorum Pontif. privilegia extant. Probatur etiam exemplis Sanctorum Nam S. Benedictus ejecit è monasterio monachum inquietum teste Greg. *li. 2 Dial. ca. 25.* & S. Pachomius quemdam viginti annorum monachum, inquietum, teste Metaphraste apud Surium. & S. Bernardus *epist.* 12. monet Abbatem quemdam, si se emendare nolit, ejiciat, juxta illud Apostoli: *Auferte malum ex vobismetipsis*, 1. *Corinth.* 5 & epistolam concludit, *melius est, ut pereat unus, quàm unitas.* Idem docet S. Thomas *in quodl. ultim.* & Bonaventura *quæst.* 14. *in regul. sancti Francisci.*

Quæres: Quibus de causis possint professi dimitti à religione. Resp. Secundùm jus commune una tantùm de causa posse dimitti, nempe ob incorrigibilitatem, vel contumaciam, ut patet ex *c. final. de statu monach.* Ratio est, quia ut sese habet excommunicatio in tota Ecclesia, ita se habet expulsio à religione; sed excommunicatio fertur nisi in contumacem, ergo. 2. Quia expulsio à religione est pœna gravissima, quæ non videtur imponenda se corrigere volenti, ut docet Syl. *v. relig. 6. quæst. 7* Resp. 2. Secundum specialia instituta religionum posse plures esse causas. Nam Minoritæ ex concessione Leonis X. duabus aliis de causis possunt dimittere. 1. quidem, si post professionem detegeretur aliquod impedimentum substantiale. 2. Si ob crimen commissum infamia aliqua redundaret in totum ordinem.

Quæres: Ad quid teneantur professi, postquam suum ordinem dimiserunt Nota, duo esse genera hujusmodi professorum, unum eorum, qui sua culpa sunt ejecti; alterum verò eorum qui ex ordine ad Episcopatum sunt assumpti, de quibus resp. 1 Eos, etiamsi maneant exempti ab obedientia Superiorum suorum, non esse tamen omnino à voto obedientiæ liberos, ut docet S. Tho. 2. 2. *q.* 186. ac reliqui Theologi, & Canonistæ, cum *gloss. 16. qu. 5. cap. de monachis* prima pars patet ex *c. statutum* 18. *q.* 1. Ratio est, quia Episcopus est in altiori statu, quam omnes superiores suæ religionis. 2. Pars probatur, quia est per accidens, inquit S. Thom. quòd in illo statu nullum inveniat superiorem suæ religionis, sicut, nec invenit Generalis ordinis. Unde tenetur obedire ratione voti, saltē Papæ, & cuivis personæ, quam illi Pontifex Superio-

periorem assignarit. Respond. 2. Secundum omnes teneri ad castitatem; ad paupertatem verò, quatenus non potest suscipere ullum dominium rerum temporalium Resp. 3. cum Cajet. 2.2. *qu.* 185. *a.* 8. non teneri ad regulas sui ordinis, saltem quoad pœnas & censuras. Et ratio est, quia Episcopi sunt magistri perfectionis, non autem discipuli, quales sunt religiosi, quare nec debent discipulorum instar constringi pœnis

Quæres: An teneantur ad observantiam rituum sui ordinis. Resp. Certum esse, non teneri ad observantias illas, quæ non conveniunt Episcopali dignitati, ut est illa, inquit Cajet de populo obediendo utraque manu.

Dubium autem est, an teneantur ad observantias, quæ juvant ad perfectionem, & Episcopalem dignitatem decent, ut est gestatio monastici habitus. Cajetan. hic putat. omnino teneri. Sot. vero *lib.* 10. *de just. q. ult.* putat eos non teneri ad ullas observantias, sub aliquo præcepto, præterquam ad votum, & ratio ejus est, quia ut observantia aliquem obliget ad peccata, necesse est, ut illi sit subjectus. Sed Episcopi sunt liberi à regulis, ut habetur 18. *quæst* 5.

Assecuratio.

Vide v. *Fidejussio.*

1. Assecuratio est contractus quo quis ob pretium, vel aliud interesse, vel gratis suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad illius compensationem si perierit; ita ut teneatur ad compensationem totius si tota res perierit; vel ad restitutionem partis, si pars tantummodò perierit. Et hic contractus non est usurarius; sed licitus, modo justum intercedat pretium cum ratione periculi, & servatis sequentibus conditionibus: videlicet ut absit æqualitas inter pretium datum assecuranti; & obligationem, quam assecurator in se suscipit, consideratis circumstantiis temporis, loci, & personarum; ut qui petit assecuratorem non cogat alterum ad contractum assecurationis secum ineundum; ut assecurator ab eo qui petit assecuratorem admoneatur de veris periculis quibus res assecuranda subjacet; ut res de qua contractus assecurationis initur, existat; imò ut res non solùm subsistat, sed etiam sit periculo exposita, alioquin si assecurator sciat contractum, rem ex gr. pervenisse ad portum, vel ad terminum, ad quem erat deferenda, nihil accipere potest. Ex his patet mercatorē invalidè contrahere, qui sciens navim periisse,

iisse, petit assecurationem; quia adest dolus ex parte ipsius, qui eo ipso quo petit assecurationem, indicat rem non periisse, vel se existimare rem non periisse. *tom. 2. de. Contractibus, disp. 3 quæst 9 punct. 3. num. 1. & seq.*

2. Invalidus est contractus assecurationis, quando quis aliquid assecurat, fingens se habere bona ad satisfaciendum, re pereunte, cùm reverà non habeat, nec brevi speret habere; quia dolus dat causam contractui. *ibid. n. 4.*

3. Quæres: utrum vita possit assecurari, sicut possunt assecurari merces? Respondetur, vitam posse assecurari ad certum aliquod tempus, ut si mutuavi alicui amico pecuniam ad quinque annos, quem timeó moriturum intra hos quinque annos, possum vitæ illius assecuratorem petere, traditis ex. gr assecuratori quinq; pro centum; sic enim tam assecurans, quam assecuratus subit æquale periculum lucrandi & perdendi. *ibid. n. 6.*

B

Baptismus.

Vide v. *Sacramentum.*

1. NOmen *Baptismi* significat ablutionem, seu potiùs immersionem in aquam, quia per Baptismum sordes peccatorum abluuntur, & purgantur; & quamvis propriè loquendò unus tantùm sit Baptismus, nihilominus si metaphoricè, & minùs propriè loquamur, triplex est Baptismus, fluminis, flaminis, & sanguinis: quorum quilibet appellatur Baptismus, quia Baptismi vices supplet. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2.* Vide v. *Baptismus.*

2. Baptismus flaminis, est pœnitentia, seu dolor perfectus de peccatis ob Dei amorem. *ibid.*

3. Baptismus sanguinis, est martyrium, ideò sic dictum, quòd efficiat effectus Baptismi, & illius vices aliquando suppleat. *ibid.*

4. Baptismus fluminis est verus, & proprius Baptismus, & verum ac proprium Sacramentum; & quoniam incidit mentio martyrii, videndum obiter quid sit martyrium, & quid ad ipsum requiratur. *ibid.*

5. Martyrium est passio, seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute. Conditiones ad mar-

tyrium requisitæ sunt, ut in adultis adsit voluntas suscipiendi martyrium, simul cum attritione supernaturali, si adultus habeat peccatum mortale; deinde qui patitur martyrium, debet pati ob honestam causam, vel ob conservationem fidei Catholicæ, & religionis Christianæ, vel castitatis, vel immunitatis Ecclesiasticæ, vel alterius veræ virtutis; præterea est necessaria passio seu cruciatus lethalis illatus in odium Christi, vel in contemptum fidei. *ibid. qu. 1. punct. 1. n. 1, 5. & seq.*

Martyrium confert gratiam ex opere operato, tribuitque remissionem omnis culpæ, & pœnæ. *ib. punct. 2. n. 1. & 4.*

6. Baptismus est sacramentum consistens in ablutione corporis exteriori, sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem. Institutus fuit Baptismus Matthæi 3. quando Christus baptizatus fuit in Jordane à Joanne; non verò post resurrectionem, quando Christus dixit Discipulis suis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. ibid. quæst. 2 punct. 1. n. 1 & seq.*

7. Baptismus est non solùm necessarius necessitate medii, verùm etiam necessitate præcepti: quia sine Baptismo in re vel in voto, non potest salus obtineri: obligatque adultos, ut quamprimum, moraliter loquendo, commodè & dignè possunt; Baptismum recipiant, vel saltem non multo tempore differant. Hinc fit, ut pater curare teneatur, ut filii & domestici quamprimum baptizentur: & Catechumenus, quamvis sit in gratia constitutus per actum contritionis, tenetur sub mortali recipere Baptismum, oblata opportunitate; nec salvantur pueri si moriantur ante realē Baptismi, vel matyrii susceptionē; imò verò tenetur infans etiā justificatus in utero matris ex privilegio recipere Baptismū. *ib. p. 2. n. 3. & seq.*

8. Hæc tam stricta Baptismi recipiendi obligatio incepit generaliter, & quoad omnes post sufficientem promulgationem Evangelii, factam universo mundo, quæ fuit in die Pentecostes; vel ut alii etiam probabiliter volunt, post excidium Jerusalem, anno scilicet quâdragesimo post Christi passionem, quamvis respectu aliquorum, quibus Baptismus fuerat promulgatus, obligatio Baptismi inceperit ante illud tempus. *ibid. n. 10. & seq.*

ADDITIO.

Quæres: Qua de causa martyrio tribuatur nomen baptismi,

smi, cùm sanguine potiùs inquinemur, quàm abluamur. Resp. Ideò tribui, quòd vices suppleat baptismi aquæ. Idque in tribus. Nam primò per martyrium æquè ac per baptismum remittuntur peccata omnia, etiam originale. Unde *Luc.* 8. dicitur, Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam: & ita docent SS. Patres, nominatim verò Cyprianus *lib. de exhortat. martyr.* Ubi martyrium etiam dicit præstantius baptismo. 2. Remittit omnem pœnam temporalem, sicut baptismus. Nam Ecclesia numquam orat pro martyribus, injuriam enim facit martyri, inquit S. August, *serm. 17. de verb. Apost.* qui orat pro martyre. 3 Remittit peccata ex opere operato, secundùm probabiliorem sententiam DD. ut D. Thom. Majo. Gabr. quòd accuratè probat Bellarminus in *tom. 2.* Et ratio est, quia Ecclesia innocentes pro martyribus honorat, ex quibus proculdubio multi non erant circumcisi. Verùm Palud. *in 4.* & Sylv, *in v. baptismus*, 1. §. 2. docent, parvulos, sive in utero, sive extra uterum existentes, quando ob fidem, quam tenebant parentes eorum, occiduntur ante baptismum salvari & esse martyres. Et idem habet Sacerdotale Romanum, à Pontificibus approbatum. Ad rationem, & objecta resp. Martyrium vocari baptismum vel ablutionem propter internam ablutionem animarum, à peccatis Unde Apocal. 7. de martyribus dicitur: Hi sunt qui venerunt. &c. qui dealbaverunt stolas in sanguine Agni.

Quæres: Quare contritioni conjunctæ cum voto baptismi tribuatur nomen baptismi. Resp. Quòd vicem etiam suppleat baptismi, quando reipsa baptismus sumi non potest. Nam primo per ejusmodi contritionem remittuntur omnia peccata convenienter divinæ Scripturæ. Nam Ezechiel. 18. dicitur: Cùm averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit. & Luc. 7 de Magdalena dicitur, remittuntur ei peccata multa. 2. Habemus exempla, unum latronis, qui statim pœnitentia sua obtinuit paradisum. Alterum Valentiniani Cæsaris, quem Ambros. *in orat. de ejus obit.* dicit, gratiam baptismi non amisisse, quia baptizari volebat. Præterea ita docet Innoc. III. *in c. ad Apostolicã, tit. de presb. non baptizato*, & Concil. Trid. *sess. 6. c. 4. 5.* Supplet etiam vices, quia per illam contritionem potest remitti omnis pœna temporalis, ut liquet in exemplo Magdalenæ, & latronis, & omnes DD. scholastici ita tenent, posse in aliquo tam esse perfectam contritionem, ut omnis tollatur pœna tem-

poralis. Quòd si autem contingat, illam contritionem in aliquo esse imperfectam, tunc non tollet omnem pœnam temporalem, & erit imperfectus baptismus flaminis.

Quæres: Sitne Baptismus tum flaminis, tum sanguinis Sacramentum. Resp. Nullo modo posse vocari sacramentum. 1. Quia ad essentiam sacramenti pertinet certa verborum forma, & materia, ut dixi; at in neutro baptismorum istorum est certa forma, aut materia, maximè in baptismo flaminis; quia sola contritione interna, quæ sensibilis non est, potest quis salvari. 2. Quia Concil. Flor. & Trident. septem tantùm numerat sacramenta. 3. Quia sacramenta sunt media, & remedia ordinata ad Dei gratiam consequendam, quale certè non est martyrium. 4. Quia martyrium est actus magnæ charitatis & fortitudinis; contritio verò vel desiderium baptismi est propriè actus virtutis pœnitentiæ. 5. Quia sacramentum cùm sit signum, debet aliquam habere similitudinem cum suo effectu. Unde sequitur, neutro baptismo, vel sanguinis, vel flaminis imprimi characterem, quia character est proprius effectus sacramentorum. 2. Sequitur solũ baptismum fluminis esse propriè dictum baptismum, quia solus propriè est sacramentum.

Materia Baptismi.

9. Materia remota Baptismi est aqua naturalis: dico, *naturalis*, ad excludendã cerevisiam, sudorem, lac, urinam, lacrymas, sputum, seu salivam, aquam rosaceam, aquam distillatam, aquam à vite profluentem, aut alium liquorem artificialem specie differentem ab aqua naturali. *tom.* 1. *de Baptismo, disp.* 2 *quæst* 2. *punct.* 3. *n.* 1. *&* 2.

10. Validè ergo baptizat, qui utitur aqua maris, putei, fontis, pluviæ, balnei, etiamsi ex sulphure, aut cinere defluat; sive aqua calida sit, sive frigida, sive tincta colore, sive densa, &c sive profluxerit à nive, aut à gelu, aut à sale, (sal enim fit ex aqua naturali salsa) secùs dicendum de glacie non liquefacta, quæ sic abluere non potest. Nec debet aqua naturalis ita alterata & mixta esse cum alio corpore, aut liquore, ut ampliùs non sit apta ad abluendum, qualia sunt brodium, aut lixivium bene decoctum, aut lutum, aut similia, quæ nequeant ampliùs aqua denominari. *ibid. num.* 3. *& seq.*

Neque potest minister Baptismi, secluſa justa necessitate adhibere

adhibere quamlibet aquam naturalem, veram, & puram, sed aquam sacrorum fontium. Et materia Baptismi non sunt duæ vel tres guttæ aquæ. *ibid. n.* 8. *&* 9.

11. Baptizatus cum materia dubia, rebaptizandus est sub conditione cum materia solita, & consueta, si supervivat: neque in Baptismo præter aquam adhibendus est ignis, contra aliquos hæreticos *ibid. n.* 10 *&* 11.

12. Materia proxima Baptismi est ablutio, seu contactus successivus, quo aqua successivè contingit corpus, qui auferendis animæ sordibus deserviat. Hæc ablutio fieri potest, sive immergendo corpus in aquam, sive infundendo, & applicando aquam corpori: ad quam ablutionem faciendam, sufficit illa quantitas aquæ, quæ sufficit ad abluendam corporis partem, qua abluta possit homo dici ablutus: servanda est tamen ministro ex officio Baptismi consuetudo Ecclesiæ suæ Cathedralis. *ibid. n.* 13. *& seq.*

13. Quæres, an validus sit Baptismus, si aqua vestes tantummodò attingat, aut aliquid aliud extra carnes? Resp. negativè: & consequenter invalidus est Baptismus, si aqua solos capillos attingat, *ibid. n.* 21. *&* 22.

14. Non potest baptizari infans in utero matris existens, qui necdum prodit in lucem; si tamen prodiit aliqua ex parte, Baptismus in necessitate est administrandus in qualibet parte corporis, etiam in solo digito, si nequeat in capite baptizari. Non censetur baptizatus infans, qui ad sacrum fontem defertur, si ante ablutionem moriatur: secus dicendum de eo infante, qui à proferente formam, in flumen proiiceretur, aut in puteum, quamvis hoc non sit faciendum; si fiat nihilominus, tenet Baptismus; sicuti si fune mittatur in flumen, & vivus extrahatur: potest enim denominari ablutus. Valet item Baptismus, quando infans aquæ è tecto desluenti submittitur: denique finita qualibet ablutione perficitur sacramentum: valetque Baptismus, si puer aut Sacerdos moriatur post primam mersionem. *ibid. num.* 25. *& seq.*

ADDITIO.

Quæres: Quæ pars corporis ordinariè sit abluenda in baptismo. Resp. Necessitate præcepti Ecclesiæ esse abluendum caput, patet ex usu Ecclesiæ, ita docet Chrysost. Augustin. *in cap* 3. *Ioan.* & D. Thom. *in* 3. *p. q.* 66 probat quia in capite sunt omnes hominis sensus; ac proinde eo abluto, totus

tus homo rectè dicitur baptizatus Confirm. Quia baptismus ordinatur ad expiandum peccatum originale quod maximè infecit partem hominis sensitivam; unde si quis aliam corporis partem ablueret, peccaret mo taliter. Resp. 2 cum Bonacina; uti paulo superiùs, necessitatis tempore sufficere ablutionem principalis partis alicujus corporis, ut brachii, pectoris, dorsi; si enim minima tantùm pars ablueretur, redderetur dubius baptismus; secus, si unaquæque manus.

Forma Sacramenti Baptismi.

15. Forma sacramenti Baptismi sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti* In forma exprimenda est persona, quæ baptizatur, sed non est necessarium directè exprimere personam baptizantis. Similiter exprimenda est actio, quæ circa baptizatum exercetur; sive exprimatur per verbum *baptizo*, sive per verbum *abluo*, sive per verbum *mergo*. Prætereà exprimenda est unitas divinæ essentiæ & tres personæ sanctissimæ Trinitatis: quare invalidus erit Baptismus in nomine Christi collatus, aut in nomine Dei, vel S. Crucis. Mutatio substantialis adhibita in verbis formæ, invalidum Baptismum efficit. Hinc fit, ut utens forma Græcorum, validè baptizet. Idem dic de eo qui baptizaret omissa particula *Ego*; secus dicendum si baptizaret in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati; validus tamen esset Baptismus, si loco filii, dicatur, *Verbi*. His adde invalidum esse Baptismum si dicatur, intendo te baptizare, aut si puer moriatur nondum finita forma Baptismi; aut si conferatur Baptismus in nomine & virtute beatissimæ Virginis, aut Sanctorum. Invalidus est similiter Baptismus, quem quis sibi confert, dicendo, *Ego me baptizo*: possent tamen duo se invicem baptizare tẽpore necessitatis, dicendo: Ego te baptizo. quòd si duo unum eodem tempore baptizarent, & unus ablueret, alter verò formam proferrèt, non teneret Baptismus. Unde infer non esse validum Baptismum, quando unus incipit formam Baptismi, & alter eam perficit. Adverte prætereà validum esse Baptismum administratũ lingua vulgari, etiã quando omitterentur tres illæ particulæ, *Amen, Ego, In*. quia sensus formæ non destruitur, neq; error circa personam baptizantẽ reddit Baptismum invalidũ. Hinc sequitur valere Baptismum collatũ filio Caij, quẽ Sacerdos opinabatur filium Titij;

Titii; neque rebaptizandus est masculus, qui pro feminâ fuit baptizatus, impositio nomine, quod imponi consuevit feminis potest enim aliquis propria auctoritate, nomen, per se loquendo, commutare, *tom. 1. de Bapt. disp. 2. q. 2. p. 4. n. 1. & seq.*

ADDITIO.

Quæres: Sitne ratus Baptismus collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab utroque. Glossa *in c. multum de consecr. d. 4* putat esse ratum, quam sequitur Palud. *in 4. d. 3.* & Cajet. *in q. 66.* Verùm probabilior est sententia D. Thomæ, Albert. Sot. *in 4 d. 3.* & Petri Sot. *lect. 5 in Enchiridio Sacerdot.* non esse ratum Baptismum, quem vide.

Baptismi Minister.

16 Duplex est Baptismi Minister, videlicet Minister ex officio seu solemnitatis, & Minister necessitatis. Minister ex officio est Sacerdos, ita ut illicitè baptizet, qui cùm non sit Sacerdos, tamen solemniter baptizat; usurpat enim sibi alienum officium. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2. q. 2. punct. 5. n. 1. & seq.*

17 Minister Baptismi in necessitate, est omnis homo, habens usum rationis, potensque & sciens debitam formam proferre, & materiam applicare. Potest ergo fœmina baptizare, ut obstetrices ratione necessitatis; deinde etiam hæreticus, imò Paganus, modò intentionem habeat baptizandi, anima tamen separata à corpore, non potest validè baptizare, quia non est homo: similiter neque Angelus ob eamdem rationem, absque divina dispensatione, ut diximus v. *Sacramentum.* Adverte graviter peccare eum, qui baptizat extra necessitatem, cùm non sit Sacerdos; & qui non est proprius parochus, non potest baptizare solemniter, sine licentia Episcopi, vel proprii parochi. Adverte præterea servandum esse aliquem ordinem in necessitate, in administrando Baptismo, videlicet ut præsente viro fœmina non baptizet, &c. *ib. n. 4 & seq.*

18. In baptizante requiritur necessariò intentio baptizandi; hinc fit ut ille validè non baptizet, qui solùm habet intentionem jocandi, & irridendi. *ib. n. 13. & 14.*

19. Valetne Baptismus, quando quis intendit reportare lucrum, vel infantem occidere? Valet, si intenderit verè baptizare; nam finis extrinsecus non tollit intentionem requisitam ad sacramentum. *Ibid. n.* 15.

20 Requiritur ulterius, ut Minister adhibeat debitam materiam & formam, illamque sciat applicare. *Ibid. n.* 16.

21. In Baptismo unus adhibendus est patrinus; possunt tamen duo adhiberi, si unus sit masculus, & alter femina. *Ibid, nu.* 19.

22. Denique Baptismus collatus alicui jam baptizato, non est validus. *Ibid, n.* 21.

ADDITIO.

Quæres: Utrùm mutus & mancus verè baptizent, si ille abluat, hic verba proferat: videtur enim quòd sic, quia non necessariò minister exprimi debet in forma; sive ergò per unum, sive plures sint, baptismus verus erit baptismus. Cajet. *in q.* 67. 3 S. Thomæ & Mars. *lib.* 4. *sent.* putant verum esse baptisma, sed rectius D. Thom. Alens Scot. Palud. Sot. Ledesm. *in* 4 *d.* 4 negant communiter. Ratio eorum est, quia neuter eorum baptizat: non mutus, quia non profert verba, nec mancus, quia non abluit. 2. Mancus proferens verba, & dicens: Egò baptizo, vel baptizamus, mentitur: ergo non verè baptizat. Nec valet, quod respondet Cajetan. baptizo idem esse, quòd confero sacramentum baptismi, vel applico formam materiæ. Nam baptizo est idem, quòd ego te abluo, quod certè ille non facit; deinde non confert baptismi sacramentum, nisi qui applicat simul materiam, & formam, quod etiam ille non facit.

Subjectum Baptismi.

23 Subjectum Baptismi est quilibet homo natus, existens in hoc mortali corpore, sive sit infans, sive sit adultus, sive sit vir, sive femina. Hinc colligitur Satyrum, aut genitum ex femina & bruto non esse capacem Baptismi; secus dicendum de monstro genito ex viro & femina; quod baptizandum est; quòd si constet duplici anima rationali, (ut si habeat duo capita cum uno pectore, vel duo pectora sub uno capite,) duplex Baptismus conferendus est; unus absolutè in ea parte,

re, in qua perfectius caput vel pectus apparet, alter sub conditione in alia parte. Quòd si dubitetur an monstrum genitum sit ex viro & femina, vel ex femina & bruto, baptizari poterit sub conditione, nisi constet esse animal irrationale. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2 q. 2. punct. 6 n. 2. & seq.*

24. Ex eo quòd Baptismus omnibus hominibus adhibeatur, patet differre à Circumcisione, quæ solis masculis adhiberi poterat. *Ib. n. 6.*

25. Mortuus, & ille, qui existit adhuc in utero matris, non possunt baptizari; quod si mater moriatur, & filius in ipsius utero existens credatur vivere, aperiri poterit, ut infans extrahatur, & baptizetur. *Ibid. n. 7. & seq.*

26. Quid dicendum de matre gravida damnata ad mortem? Differenda est executio donec pepererit. *Ib. n. 10.*

27. Baptismus infanti collatus dissentientibus parentibus validus est. Baptizandus est filius infidelis, altero consentiente. Baptismus potest pluribus unica forma conferri. *Ibid. num. 11. & 12.*

28. In adulto baptizando requiritur intentio actualis, aut virtualis, aut habitualis; deinde requiritur adhuc fides supernaturalis & attritio: in pueris verò carentibus usu rationis, Christus & Ecclesia supplet intentionem & dispositionem. *Ib. n. 15. 16. 24 & 25.*

29. Ex dictis collige adultum non remanere baptizatum, nec characterem recipere, si nunquam voluit baptizari, vel si aliquando voluit, voluntatem tamen suscipiendi Baptismum revocavit; secus dicendum de Baptismo collato dormienti, qui Baptismum petierat ante somnum: hic enim dicitur habere intentionem habitualem. Idem dicendum est de furioso, & amente lucida rationis intervalla patientibus. Similiter tenet Baptismus per metum gravem susceptus, si adfuit debita intentio suscipiendi. *Ib. n. 18. & seq.*

ADDITIO.

In dubio, an fuerit verus Baptismus, sub conditione, si non est verè baptizatus, iterandus est, vide *de consecr. d. 4. c. Placuit. & de bapt. & ejus effectu. c. 2.*

Id est, quando anceps est animus, post diligentissimam indaginem, (neque enim temerè sub conditione iterandus baptismus,) Sot. *d. 5 quæst. ar. q. 9. l. c. de quibusdam, de Bapt. &*

ejus

eius effect. Alex. 3. Forma conditionalis ex *cit. can.* est, si baptizatus es, ego non te baptizo; si non es baptizatus, ego te baptizo.

Compotem rationis puerum baptismum petentem baptizare licet, invitis parentibus infidelibus; in dubio verò, de rationis usu, sufficit esse septem annorum, non compotem autem licet baptizare, si alter parentum Christianus competat.

Sot. *d.* 5. *unic. art.* 10. *col.* 21. Carentes autem usu rationis non sunt baptizandi parentibus invitis, D. Thom. 4. *d.* 5 Sot. *t.c.* contra Scot & Dur. *ex c. de iudiciis* 44. *dist.* (Non compotem) *c. ex litteris extr. de infid. conver.*

Tenentur patrini susceptorum puerorum curam gerere, si urgeat necessitas Sot. *d. q.* 4. *unic. art.* 5. *concl.* 2. *vid. cap. vos ante. de consecr. d.* 4.

Infidelis in baptismo, & non confirmatus in confirmatione non possunt esse patrini. *c. in baptismate. cit. dist.*

In privato baptismo, in quo non est sponsor necessarius, si ceremonia adhibeatur, cognationem cõtrahi probabile putat Suar. *com. art.* 8. *q* 67. cum Sot. Nav. & Sanchez *l.* 7. *d.* 62.

Si plures susceptores, quâm duo, adsint, & nulli designentur, cum soli designati, & à Parocho admissi contrahant, à nullo cognationem contrahi, probabile est, quia nemo est susceptor, ut vult Ecclesia, Suarez *l.c.* & Sanchez *lib.* 7. *q.* 57. contra Navar. putantem, ab omnibus contrahi, dici posset, primis viro & fœmina suscipientibus contrahi spiritualem cognationem.

Ad concubinam accedens, post filium ex ea susceptum à se, in necessitate baptizatum, incestum patrat, Ledesm. *q.* 56 *art.* 1. *dub.* 2. nec potest eam ducere. Sanchez *lib* 7 *d.* 62. *n.* 11.

Baptizans filium non suum, sed uxoris, in necessitate, non privatur jure petendi debitum Id. 16. *dub* 3.

Sola ignorantia inculpabilis conservat jus petendi baptizandi filium extra necessitatem. Ledesm. 16. *dub.* 4. vide Zambr. *l.* 6 qui negat cum Suar. *in q.* 67. *art.* 8.

Patrinum, permissum à se procuratorem, spiritualem cognationem contrahere, quidam ajunt, quidam negant; probabilius lege Sanchez *d* 59 *l.c.*

Qui posuit obicem per peccatum baptismi effectui, debet illum postea à sacerdoti confiteri, non autem alia peccata ante baptismum facta. lege Suar. *tom.* 4 *d.* 28 *sec.* 4. Valent. *tom.* 3. *d.* 4 *l.* 2. *p.* 2.

Quæ-

Quæres: An sit infantibus, si baptizari non possint, aliud relictum remedium salutis. Gerson. & Cajetan. *in* 3. *p. q.* 68. a 2. putant, posse salvari maximè infantes in utero morientes, si parentes pro iis orent, & loco baptismi benedictionem aliquam adhibeant, vel eos offerant Deo, cum invocatione SS. Trinitatis. Resp 1. Deus cùm sacramentis non sit alligatus, pro infinita sua misericordia, potest infantes tales extraordinariè salvare. Resp. 2. Temerarium verò & erroneum est, dicere, aliud remedium præter baptismum à Christo relictum infantibus esse. 1. quia expressè dicitur Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. 2. quia Concil. Florent. in inst. Arm dicit, nullo alio remedio posse illis subveniri, 3. quia August. *Epist.* 28. *ad Hier.* dicit, esse contra Apostolicam prædicationem, & totam condemnare Ecclesiam, quæ ideò curat, dum baptizandus esset infans, quia sine dubio, inquit, creditur, eos aliter vivificari non posse.

Quæres: An saltem liceat ceremoniam illam usurpari, si non cum fide, quòd valeat ad salutem; sed cum spe aliqua, quòd Deus extraordinariè dabit suam gratiam infantibus. Resp. Nullam ceremoniam certam usurpandam, ob suspicionem & periculum superstitionis; posse tamen orari pro parvulo, omnia relinquendo voluntati, & providentiæ Dei.

Quæres: Sintne baptizandi infantes fortè expositi in viis. Resp. 1. Posse & debere baptizari omnes pueros, qui inveniuntur in terris infidelium, cùm à fidelibus occupantur. Et ratio est, quia plusquam probabile est, tales non esse baptizatos. Resp. 2. Si inveniantur in terris, ubi mixti sunt fideles cum infidelibus, debere baptizari cum conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo; nisi fortè schedulam collo appensam habeant, quòd sint baptizati, & non sit suspicio odio Christianorum id factum ab infidelibus. Resp. 3. Si inveniantur expositi in terris fidelium, & hæreticorum, (nisi sint Anabaptistæ, ut in Moravia) & habeant schedulam de baptismo collo appensam, non sunt baptizandi; si verò non habeant, inquirendum est, num ibi sit mos receptus, ut obstetrices recens natos baptizent: nam si non receptus sit ille mos, vel obstetrices adhiberi non soleant, sub conditione essent rebaptizandi, quia tales ferè solent exponi simul ac nati sunt. Idque semper faciendum, quoties est aliqua dubitatio, nam in dubiis magni momenti tutior pars est eligenda.

Quæres: Sintne amentes, & furiosi baptizandi? Resp. 1. Si

illi

illi sunt semper amentes, hoc est, ab ipsa nativitate fuerunt semper rationis expertes, perinde baptizandi sunt, atque pueri ante usum rationis, nisi parentes sint infideles, & nolint eos baptizari. Resp. 2 Si aliquando compotes mentis fuerint, & maneant amentes, usque ad finem vitæ, aliquando possunt baptizari, ut cùm ante amentiam petiverant baptismum; aliquando non possunt, ut cùm non petiverunt, aut propensionem ullam ad baptismum ostenderunt, & idem dicendum de phreneticis furiosis Si verò talibus conferatur baptismus, planè est irritus, quia in adultis semper est necessaria intentio baptismi suscipiendi, vel voluntas. Resp 3. Si amentes illi aliquando habuerint lucida intervalla, eos posse baptizari in amentia, si periculum mortis immineret, & baptismum ante amentiam petiissent; si verò non sit periculum mortis, differendus esset Baptismus, usque dum ad dilucida intervalla redeunt.

Quæres: Sintne baptizandi, qui quidem ante amentiam habuerint desiderium baptismi, non autem affectum relinquendi peccatum, ut usuras, fornicationem. Resp. 1. Si talis baptizetur, verè baptizari, licet non accipiat gratiam baptismi, sed tantum characterem. Resp. 2 Si probabile sit, eum immediatè ante amentiam fuisse in peccato mortali, non debere baptizari, & ratio est, quia nec ante amentiam in statu illo baptizari potuisset; si autem non constet, aut dubium sit, an in peccato mortali factus sit amens, erit baptizandus, ut definiunt Innoc. *in c. majoris. de baptiz.* & Conc. Carthag 3. c. 34. Resp. 3. Quotiescumque probabile est, quòd vel attritionem habuerit, posse baptizari, & recepturos gratiam, ut docet S. Thom. *in 4. d. 5. q. 1. a. ult.* & Gabr. *in 4. d. 4. q. 2. concl 3.* Nam baptismus facit ex attrito contritum: erit autem ille contritus, si non actualiter, saltem habitualiter.

Baptismi effectus.

30. Baptismus confert gratiam simul cum reliquis virtutibus & donis quæ gratiam consequuntur, modo non sit obex ex parte suscipientis. Gratiæ gradum confert Baptismus æqualem omnibus pueris; inæqualem verò adultis pro ratione majoris vel minoris dispositionis. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2. q. 2. punct. 7. num. 2. & 3.*

31. Gratia in Baptismo producta remittit peccatum origi-

ginale, peccataque actualia commissa ante Baptismum, deletque omnem pœnam peccatis debitam; non aufert tamen pœnalitates, quales sunt concupiscentia inordinata, mors, ægritudines, &c. *Ib. n.* 4. 5. & 7.

32. Alius effectus Baptismi est character indelebilis: hinc fit ut Baptismus iterari non possit, nisi sub conditione, quando dubitatur de ipsius validitate *Ib. n.* 9.

33. Utrum verò Baptismus susceptus cum fictione producat suum effectum recedente fictione, constat ex dictis v. *Sacramentum. Ib. n.* 13.

34. Peccata antecedentia Baptismum non sunt aperienda in confessione. *Ib. n.* 15.

35. Extra necessitatem non debent omitti ritus, & ceremoniæ Baptismi: peccatque qui baptizat in aqua non benedicta, aut adhibet chrisma alterius anni. Non sunt tamen ceremoniæ iterandæ, quando Baptismus fuit invalidè solemniter administratus *Ib. n.* 18 *& seq.*

ADDITIO.

Quæres: An qui fictè, id est in statu peccati mortalis, sine ullo dolore, accedit ad baptismum, consequatur prædictos effectus baptismi. Resp. Si velit revera baptizari, illum tantùm recipere characterem baptismi, non autem gratiam; ac proinde nec originale peccatum, nec mortalia ei remitti: imò fictè accedendo, de novo peccat mortaliter, quia sacramento abutitur. Recedente autem fictione, virtute semel accepti baptismi, statim consequitur dictos priores effectus, ut communis habet opinio. Nam sicut lapis primo generatus naturaliter labitur deorsum, sublato impedimento; ita baptismus sublato fictionis impedimento, vi accepti sacramenti, statim consequitur gratiam: tolli autem debet fictio aut per contritionem, aut per attritionem, conjunctam cum sacramentali confessione, (de peccatis nempe ante baptismum commissis, confiteri non tenetur,) & ratio est, quia baptizatus in peccato mortali, non debet melioris esse conditionis, quàm Christianus post baptismum; sed huic cùm in gratia peccat, non sufficit attritio sine confessione: ergo nec illi cum fictione baptizato, & ita docet D. Thom. *quæst.* 69. 3. *p. ar.* 11.

Solem-

Solemnitates Baptismi.

Solemnitates rectissimè ab Ecclesia institutæ, non sunt prætermittendæ, quamvis ad essentiam ejus non spectant, præcedunt baptismum Catechismus, Exorcismus, unctio olei sancti: post baptismum sinciput linitur chrismate, datur vestis candida, &c. *de quibus* Tolet. & Bonac. *loc. Baptismi effectus.*

Adhibentur susceptores, ex Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 2. unus, vel una, vel ad summum, duo: unus, & una. Hi non debent esse monachi, nec religiosi, nec infideles, nec parentes baptizati. Horum onus est, filios susceptos fidei, & morum præcepta docere. Hi contrahunt spiritualem cognationem matrimonium dirimentem cum filio susceptо ejusque parentibus. In Catechismo contrahitur affinitas impediens; si suscipiat nondum baptizatus, cognationem non contrahit.

Per procuratorem suscipi potest puer; mittens procuratorem, non autem procurator cognatus efficitur. Ad contrahendam cognationem puer tangendus. Vir pro fœmina, fœmina pro viro suscipere potest. Vid Victor. ad hoc caput.

Quæres: Quot ceremoniæ antecedant baptismum. Resp. 12. Prima est, quòd catechumeni, qui baptizari cupiunt, dent nomen suum, à quo tempore competentes dicuntur. 2. Est scrutinium, id est, examen an competentes sincere, ac constanter credant, quod olim sæpiùs fiebat 3. Est abrenuntiatio Sathanæ & operum ejus. 4 Professio fidei 5 Signum crucis in fronte, & pectore. 6. Exorcismus, & abjuratio dæmonum, ut à baptizando recedant. 7 Exsufflatio, qua significatur dæmonum expulsio, & Spiritus sancti afflatio. 8 Gustus salis benedicti, ut baptizandus sale sapientiæ conditus, peccatorum fœtore careat. 9. Tactus aurium & narium baptizandi, cum digito & sputo, & dicitur Epheta, id est, adaperire, ad significandum adapertionem spiritualem sensuum. 10. Impositio manuum, & benedictio sacerdotalis. 11. Unctio cum oleo benedicto in scapulis & pectore. 12. Abstinentia vini & carnium, & rei uxoriæ, aliaque opera pœnitentiæ, quæ non ad satisfactionem, sed ut paratiores accederent ad baptismum, imponebantur.

Quæres: Quot ceremoniæ comitentur baptismum Resp. 5. Prima, impositio nominis: nam etiam in circumcisione nomi-

nomina imponebantur parvulis, ut patet Luc. 1. & 2. de S. Joanne, & Salvatore. Quòd autem nomina Apostolorum, & aliorum Sanctorum olim solita sint imponi, docet Eusеb. *lib. 7. hist. cap.* 20. & id decretum est in Concil. Nicæno, *c.* 30. 2. Cerem. ut baptizandus habeat susceptores, quos Tertull. vocat sponsores, Justinus offerentes, August. fidejussores. Virginius Papa patrinos vocat, & habetur *c. in catech. d.* 4. Adhibentur autem 3. de causis. 1. est, ut Ecclesia de susceptо sit securior, acceptis fidejussoribus. 2. ut expressiùs referatur generatio spiritualis, adhibitis spiritualibus parentibus. 3. ut nullus Christianorum sit, qui non habeat pædagogum: nam susceptor, ut ait August. de rectitudine Catholicæ conversionis, baptizatos erudire tenetur ad minimum symbolum Apostolicum, & orationem Dominicam: ut habetur *c. vos autem. de consecr. d.* 4. quod D. Thomas restringit, nisi parentes sint Christiani, & in instituendis filiis diligentes. 3. Cerem. ut baptismus fiat in baptisterio consecrato, eoque lapideo, ut habetur *c. omnis presbyter de consecr. d.* 4 & in publica Ecclesia, non autem in ædibus privatis; licet id concedatur tantùm Regum & Principum filiis, ut habetur in *clem. c. præsenti prohibemus.* In privatis ergo oratoriis non conferendus baptismus, sine licentia Episcopi, ut habetur *ib. can. clericos de consecr. d.* 1. 4. Cerem. Consecratio aquæ baptismalis, addito oleo unctionis mysticæ. 5. Sunt tempus Paschæ, Pentecostes, extra quæ non licebat baptizari, nisi in periculo mortis, aut tempore profectionis, aut naufragii, de quibus multa in Patribus, sed tandem consuetudo illa ob multos, qui sine baptismo decedebant, abrogata est.

Quæres: Quot ceremoniæ sequantur baptismum? Resp. 1 Osculum pacis, in signum, quòd baptizatus sit frater noster. 2 Unctio chrismatis in vertice. 3. Cereus accensus in signum fidei, ac gratiæ acceptæ. 4. Vestis candida, in signum innocentiæ, quam ferebant à Sabbato sancto, usque Dominicam in Albis, quæ & inde nomen obtinuit. 5. Delibutio lactis & mellis, seu vini, quæ modò non est in usu; erat autem signum novæ infantiæ in Christo, teste Hieron. contr. Lucif. Fuit & alia ceremonia lavandi pedes Neophyti, sed in quibusdam Ecclesiis. Cujus meminit Ambros. *lib. 3. de Sacram. cap.* 1. Lege Bellarm. 2. *tom. controv.* & Steph. Durand & Georg. Scherer. *in dialog. de ritib. baptism.* qui accuratè omnes has ceremonias defendit contra hæreticos.

Quæres: Qui homines esse possint patrini. Resp 1. Infideles, & non baptizati non possunt, ut habetur *de consecr. d. 4. c.* in baptism. & si de facto levent, non contrahunt cognationem spiritualem, ut habent Sylv. v. *baptismi. 5. § 5.* & Sot. *loc. cit. art. ult* 2 Schismatici, hæretici, & apostatæ à fide non possunt esse patrini, tum quia tales non possunt esse boni patres spirituales, tum quia cum illis non possumus communicare cum sacramentis; si tamen de facto hujusmodi homines levent aliquem de fonte, verè contrahunt cognationem spiritualem, quia in jure non rejiciuntur, nisi non baptizati. 3. Abbates & monachi, sub quibus videntur comprehendi omnes religiosi, ut habetur can. non licet. *& c non monachi de consecr d 4 & 16. q. 1 cap. placuit.* si tamen levent contrahunt cognationem, ut dicitur *ib.* 4. Imperiti & rudes in casu, quo pueri egerent instructione, ut habet D. Thom 3. *qu.* 67 *a.* 8. sed quia communiter non est talis necessitas, ob multitudinem instructorum, promiscuè admittuntur in patrinos. 5. Mater & pater pueri baptizandi; si autem levent, contrahunt cognationem, & peccant mortaliter. *c. pervenit.* 30. *quæst.* 1. olim etiam talium matrimonia separabantur, sed in C. ad limina, Pontifex excepit eos, qui in necessitate baptizant, aut levant; & quia multæ mulieres levabant olim filios, ut separari possent hac ratione à viris: ideò quidam Pontifices statuerunt, ne ampliùs separarentur, ut habetur loc. cit. Imò de cognatione spirituali, *c* 2. præcipitur, si alter conjugum scienter, aut ignoranter levet, ut nec quidem debitum conjugi neget.

Quæres. an qui virtute prædicti canonis levet suum filiũ de fonte, possit etiam petere debitum. Gloss. ibid. dicit, quòd sic, quia non privatur facultate petendi; sed probabilius est, quòd non, quia manet privatus facultate petendi, ut priùs erat; & ratio est, quia per levationem è fonte, contrahitur cognatio, impediens omnem actum conjugalem. At in hoc Can. solus actus reddendi debitum permittitur: ergo, & ita docet S. Thom *in* 4. *d.* 32. *q.* 1 *a.* 1. Ubi tamen excipit unum casum, quando quis proprium filium levaret, ex ignoratione invincibili, nesciens esse suum filium, quia tunc, ut nullo modo peccat, nullam etiam pœnam incurrere videtur.

Quæres: An si alter conjugum levet proprium filium, altero non contradicente, imo consentiente, possit adhuc petere debitum. Resp. cum Panorm. *in c. 2. de cogn. spir.* neutrum posse petere.

Quæ-

Quæres: An uxor cum marito possint alterius filium levare de fonte. Resp. Id quidem non esse decens, non tamen prohiberi.

Quæres: In qua ætate debeant esse patrini. Panor. cap. debitum, de baptis. vult ea ætate debere esse patrinum, ut possit esse pater carnalis, id est, 18. annorum; verùm hoc non est verum.

Bellum.

Vide v. *Homicidium, Irregularitas contracta ob bellum.*

1. Bellum est armorum conflictus, seu professio nocendi vi & armis contrariæ parti. Ut bellum offensivum licitum sit, tres conditiones requiruntur; auctoritas indicentis (hæc residet penes Principem, qui neminem in sua jurisdictione habet superiorem) seu convocantis alios in suum adminiculum: recta intentio, & justa causa, ut pro tuenda Republica contra adversarios illam injustè oppugnantes, vel quando subditi sunt rebelles, &c. Non potest autem indici ante diligentem inquisitionem illius justitiæ & æquitatis. *tom. 2. de restitutione in particulari, disp. 2. quæst. ult. sect. 1. punct. ult. num. 1. & seq.*

2. Quod attinet ad bellum defensivum, licitum est cuicunque, interveniente necessitate & recta intentione: nam licitum est cuique vim vi repellere propria auctoritate. *lb. n. 4.*

3. Princeps posita justa causa non potest semper bellum indicere; sed priùs petenda est ab adversario condigna satisfactio, qua oblata non licet indicere bellum: nam oblata sufficienti satisfactione cessat injuria præterita. *lb. n. 9.*

4. Militibus qui sunt subditi Principi indicenti bellum, vel qui recipiunt stipendium à Principe, etiam pacis tempore, seu qui ante bellum locaverant Principi operas suas ad pugnandum satis est, si sciant causam belli non esse injustam; in dubio enim obediendum est Superiori præcipienti, & in ejus favorem præsumendum est *lb. n. 10.*

5. Quæres an bellum possit esse justum ex utraque parte? Respondetur materialiter, & re ipsa non potest esse justum ex utraque parte: nam realiter jus competit uni soli; formaliter verò & per accidens potest esse justum ex utraque parte, ut propter invincibilem ignorantiam alterius partis,

aut propter opinionem probabilem, quam quisque sequi potest etiam in bello indicendo, ut quando utraque pars judicio prudentum virorum credit se habere justam causam indicendi bellum. *lb. n.* 11.

6. Illa omnia licitè fiunt in bello, quæ accommodata sunt aut ad rem ablatam recuperandam, vel compensationem faciendam, aut ad vindictam sumendam pro modo culpæ, aut ad pacem componendam & stabiliendam; quare sequitur licitum esse seclusis mendaciis procurare victoriam per insidias & stratagemata; dummodo non fuerit data fides hostibus non ponendi insidias. Licitum quoque est inferre damna cum expressa vel tacita Superioris licentia, etiam in bonis fortunæ hostium pro sumenda vindicta de injuria illata, & pro stabilienda pace in futurum: Clerici tamen & Ecclesiæ tempore belli expoliari non possunt propter immunitatem qua gaudent; nisi fortè per accidens, ut quando victoria nequit aliter reportari. *lb. n.* 14. *& seq.*

7. Petes, utrùm bona alicujus nationis, ex. gr. Romanorum, extracta à militibus Florentiæ è manibus piratarum vel Turcarum acquirantur militibus? Respondetur quòd non: nam Turcæ non acquisierunt dominium illorum bonorum; consequenter bona remanent sub dominio priorum dominorum, illisque restituenda sunt, detracta æstimatione operæ & industriæ positæ in iis bonis acquirendis; possunt tamen aliqua consuetudine mutua fieri capientium. *Ibid. numer.* 23.

ADDITIO.

In bello justo etiam innocentes licet spoliare, & capere, ad debilitandas hostium vires. Quòd si bellum est perpetuum, ut contra Turcas, licet innocentes etiam captivare. Quòd si dati sunt in obsides, & violent fidem datam, non licet illos occidere; licet autem, si sint de nocentum numero.

Fum *Bellum n.* 10. P. N. *l. c. n.* 278. (Quod si) Victor. *de jur. bell.* Mol. *dist.* 120. Val *c p.* 3. *col.* 4.

Capta in bello justo non sunt restituenda; nisi essent res peregrinorum, clericorum, religiosorum, aut rusticorum: quamquam quidam nec talia, ajunt, ex necessitate restituenda, quia justè capta, ut dictum est suprà; sed falsò, maximè quoad clericos, & religiosos.

D. Thom.

D.Thom.*l.c.q.66.art.8.ad* 1.(Peregrinorum)Sylv.*bellum n.*11.*concl.*3.(Clerico)Mol.*d.*121.*concl* 3.

Ablata justo bello ab iis, qui injusto bello acceperant, etiamsi in tutum se recepissent, prioribus dominis sunt restituenda,si stemus jure naturæ,vel etiam Cæsareo;si verò oppositum alicubi,vel lex statuerit vel consuetudo præscripserit,ei standum est: potuit enim licitè privatorum juri derogari ob bonum publicum. Covarr. *reg. pecc. p.* 2. §. 1. *num.*2. Mol.*disp.*118.

Potest Princeps ad vitandum Reip. majus damnum, tradere hostibus aliquam urbem;est enim id exponere periculo partem,pro totius salute.

Milites sine voluntatè saltem præsumpta Principis,damnum hostibus dantes,tenentur restituere:præsumitur autem velle etiam,ut capti etiam à Turcis, cùm fugiunt,dominos suos,aliosque spolient.

P.N.*l.c.n.*285.Sylv.*l.c concl.*4.

Capti etiam justo bello fugere possunt, saltem si sint extra ditionem dominorum.

Vid.*Servus n.*1.Covar *l.c.n.*6.*& l.var.resol.c.* 2.*num.* 10. Navar.*c.*17.*n.*104. docet fidelem ab infideli fugientem debere illi pretium mittere.

Subditi non tenentur ad bellum propriis expensis gerendum,nisi fortè ex pacto,aut consuetudine præscripta.

In bello licet quidem clerico hortari ad pugnam,adeoque ad victoriam;non autem pugnare,nisi se defendendo

Fu.*l.c.n.*8.*hortatu.*25.*q.*8. Nav.*c.*27.*n.*217. (neque efficitur irregularis,si ipse non mutilet)*& con.*5.*de homic.*

Milites nostri temporis non gaudent privilegiis antiquis militum.

Belli tempore non potest Princeps populum deserere. Sot *l.*5.*q.*1.*art.*8.*col.*6.

Militi etiam ægrotanti debetur stipendium. Syl.*l.c.n.*8.

Miles ad discendam pugnandi artem in bellicis ludis nulli nocentibus, & à periculo mortis alienis justè se exercet. Sylv.v.*miles.*

Mentiri non licet,in bello tamen insidiis uti licet, & consilia tegere,ad hostes decipiendos:non licet hosti fidem frangere:licet autem die festo pugnare, ita re postulante. Mo. *dist.*111.

Mortiferè peccat Princeps,si bellum ad Reip.salutem, ad

fidem conservandam, ad inimicorum spirituale bonum necessarium, non gerat, præcipuè si affulgeat victoriæ spes, & tunc sub p. m. præcipere posset subditis, ut arma caperent, Mol. *d.* 99.

Quæres: Liceatne homines occidere in bello. Resp. Licere, si bellum sit justum: ut autem sit justum, tria requiri, ut habetur 23. *q.* 1. & 2. Primùm mandatum Principis, cujus auctoritate bellum geritur: quia privatæ personæ non est bellum gerere, sed judicio suam causam persequi. 2. Justa causa, ut qui impugnatur, sit meritus, ut ei bellum inferatur. 3. Intentio recta, quæ est, ut intendatur vel depulsio mali, vel promotio boni communis.

Quæres: An miles in bello justo teneatur occidere hostem. Resp. 1. Quòd simpliciter teneatur durante conflictu, quia alioqui periculum esset, ne hostis prævaleret: deinde conflictus ipse est executio justitiæ. Resp. 2. Militem quidem aliquando occidere hostem, sed non teneri, ut cùm nullum est periculum; & hostis manum porrigit supplicem. Resp. 3. Licitè posse occidi tria genera hominum. 1. Imperatorem & Capitaneos. 2. Milites pugnantes. 3. Omnes qui in pugna juvant hostem, vel exonerandis bombardis, vel ministrandis armis, & commeatu, vel serviendo militibus, eosque hortando. Resp. 4. Si inter hostes sint pater vel filius, vel amicus, ex officio pietatis, non posse occidi, nisi periculum sit, ne pereat totus exercitus: ut si quis eorum sit dux belli, in cujus morte consistit Reipub. salus. Nam tum bonum commune præferendum est officio pietatis.

Quæres: Quousque extendatur facultas occidendi. Resp. militem privatum non posse occidere quemquam, nisi durante conflictu, & ante partam victoriam. 2. Summo Imperatori etiam post partam victoriam, & conflictum peractum licere occidere hostem, cùm ad injuriam vindicandam, tum edomandam hostium audaciam, & alios terrendos; maximè autem licet more juridico, ratione admissi criminis. Resp. cessante conflictu reliquæ multitudini esse parcendum, quæ numquam pugnavit, cùm post conflictum in pace vivatur, quæ est finis belli.

Quæres: An urbs possit dari diripienda in bello justo, ad animandum militem, aut terrendas alias urbes. Resp. Si aliud sit remedium ad obtinendam victoriam, non licere. 1. Quia directè paterentur omnes innocentes. 2. Quia miles

solet tunc enormia scelera perpetrare. Resp. 2. Si non sit aliud remedium, licere, quia est bellum justum : ergo debet dari possibilis executio, non autem datur alia, quàm hæc: ergo. v. g. hostes possent esse tam obstinati, ut nolint dedere se; quamvis rarò talis necessitas incidat, & ideò raro sit justè illa direptio. Resp 3. Si talis direptio esset necessaria, ad multas alias urbes diripiendas, tùm licitè posset dari una urbs diripienda.

Quæres: An Clericis liceat ire ad bellum, & bellare Resp. 1. Clericis licere interesse ad exercenda ministeria spiritalia. Resp 2. Minorum ordinum clericis licere etiam bellare, quia & uxores licet ducere quamvis sint, qui existiment eos venialiter peccare. Resp. 3. Clericis in majoribus ordinibus constitutis non libet bellare sine dispensatione Pontificis.

Quæres: Sitne licita monomachia, vel duellum? Duellum autem est, propriè bellum duarum personarum, privatarum, vel duarum familiarum indictum cum pacto & conditione præcedente. Resp. 1 Duellum simpliciter esse illicitum: repugnat enim primò juri naturali, quo non licet aliquem occidere, nec se mortis periculo exponere. 2 Divino. Non tentabis Dominum Deum tuum, Matthæi 4. 3. *humano. 2 q. 5. canon. monomachi* & Concil. Trident. *sess. 25. cap* 19 Respond. 2. Quinque personas peccare in duello, 1. Dominos locorum, in quibus committitur. 2. Pugnantes. 3. Patronos. 4. qui dederunt consilium, vel auxilium. 5. spectatores. Resp. 3. Hos quinque non solùm peccare mortaliter, sed incurrere excommunicationem ipso facto. Dominos verò loci incurrere pœnam privationis, & confiscationis bonorum feudalium ipso facto. Patronos, & pugnantes incurrere tres alias pœnas, saltem post latam sententiam. 1 Proscriptionis omnium bonorum. 2. Perpetuæ infamiæ. 3 Homicidii patrati. Resp. 4 Duellum esse illicitum quinque casibus. 1. Si fiat causa manifestandæ veritatis, ut v. g. Deus ostendat, uter sit innocens. Ratio est, quia illud testimonium est fallax. 2. Si fiat ostendendarum virium causa, quod sæpè fit in exercitu. 3. Si fiat vitandæ ignominiæ causa, eò quod provocatus sit ad duellum. Nam ob opinionem vulgi, non est vita tam gravi periculo exponenda. 4. Si fiat causa vitandæ litis, licet Lyranus, & Angel. putent, hoc casu licitum esse. Et ratio est, quia pro testimonio veritatis capitur, quod

est fallax. 5. Est, si fiat vindicandi honoris divini causa, ut si hæreticus provocet Catholicum, ad declarandum, utrius religio sit vera, quem casum Carthusianus putavit licitum. Ratio est eadem.

Respond. 5. Quibusdam etiam casibus licitum esse duellum. 1. Est ad evitanda graviora mala, ut cùm duo exercitus parati sunt pugnare totis agminibus, & inter se conveniunt, ut duo, &c. nam tunc est licitum ex parte ejus, qui justum bellum gerit. Eadem de causa licet ducibus belli id facere, ac etiam regibus, vel principibus licet permittere, ut nobiles, domini, vel milites bello certent. Similiter, si quando ab hoste provocati in bello, milites non parendo efficerent, ut hostis fieret audacior, aut miles contemneretur, vel de victoria aliquid decederet, tunc licitum esset duellum, secundùm Navar. 2. Casus est, quando duo ad mortem justè sunt condemnati, & ob bonum commune expediret, alterum vita donari. Et ratio est, quia tunc unus per duellum constituitur quasi minister justitiæ 3 est, si provocatus ad duellum putet se occidendum, nisi acceptet conditionem, nec aliud remedium suppetat evadendi mortem, nisi suscipiat duellum. Et ratio est, quia hoc est tueri se contra invasorem. Ita Navarr. Cajetan.

Beneficium, Beneficiarius.

Vide v. *Residentia, Simonia.*

1. Beneficiarius dominium habet non solum bonorum patrimonialium, verùm etiam quasi patrimonialium: & etiam fructuum & proventuum beneficii. Per *dominium* intellige facultatem disponendi ad suum libitum suo nomine de re aliqua, modò lege non prohibeatur. *tom. 1. de obligatione beneficiariorum, disp. 4. punct. 1. n 2. & seq.*

2. Potestne beneficiarius fructus beneficii ad suum libitum expendere, seu teneturne illos in pios usus erogare? Respond. fructus necessarios ad congruam sustentationem in pios usus erogari posse ad libitum beneficiariorum; sicut possunt bona patrimonialia vel quasi patrimonialia; quamobrem in illis casibus in quibus beneficiarii non tenentur bona patrimonialia vel quasi patrimonialia in opera pia expendere, neque tenentur fructus beneficii sibi ad congruam

susten-

sustentationem necessarios (secus dicendum de superfluis) in pia opera erogare. *ibid punct. 2. n. 1.*

3. Beneficiarius insumens bona patrimonii in utilitatem Ecclesiæ, potest tantumdem ex beneficii fructibus insumere, ut voluerit. Item habens patrimonium pingue, non peccat beneficium quo vivat acquirendo, ut patrimonium propinquis aut aliis relinquat. *ibid. num. 5.*

4. Quæres quanta pars fructuum constituenda sit pro congrua beneficiarii sustentatione? Respond. eam partem constituendam esse, quæ ad beneficiarii & ipsius familiæ sustentationem necessaria judicatur, habita ratione scientiæ & litteraturæ, nobilitatis aut dignitatis, loci, & annonæ copiæ vel inopiæ. *ibid, num. 7.*

5. Beneficiarius qui fructus beneficii suæ sustentationi superfluos non in pios usus, sed in profana opera expendit: v. g. ad ditandos amicos vel consanguineos, graviter peccat; quamquam potest illos juvare, qui vitam ex suo patrimonio commodè & honestè juxta sui status conditionem traducere non possunt; imò potest aliquam partem fructuum sibi necessariam subtrahere, & consanguineis divitibus tradere. Potest quoque non solùm alere filios legitimos & spurios ex beneficii fructibus, si non habet aliunde, unde eos alat; verùm etiam rationalem dotem trahere filiæ spuriæ vel sorori, dum aliunde non habet quo illis consulat, *ibid. n. 9 & seq.*

6. Percipiens pensionem ex aliquo beneficio potest ut voluerit dispensare, saltem id quod congruæ sustentationi parcè vivendo subtraxit. Similiter Capellanus potest ad libitum expendere acquisita pro celebratione Missarum, pro concionibus, audiendis confessionibus, pro vicariatus officio, aut similibus functionibus, cum hæc sint bona quasi patrimonialia: non potest tamen beneficiarius ad libitum insumere fructus Ecclesiæ, aut bona, quæ ipse emit ex pecuniis aut nomine Ecclesiæ. *ibid. n. 17. & seq.*

7. Commendatarius perpetuus alicujus Ecclesiæ potest de fructibus Commendæ disponere solùm prout ceteri beneficiarii; & habentes Abbatias, Prioratus vel Commendas possunt solùm disponere pro suo arbitratu de ea parte fructuum, quam parciùs vivendo sibi subtraxerunt: secus dicendum de militibus Commendatariis, quales sunt Equites S. Jacobi, Calatravæ, &c. hi enim possunt de fructibus Commendarum liberiùs & securiùs disponere. *ibid. num. 22 & seq.*

8. Beneficiarius attento jure communi antiquo non potest de beneficii fructibus validè testari & disponere ad causas profanas; potest tamen ex privilegio vel consuetudine pluribus in locis recepta, cùm id juri divino vel naturali non adversetur: imò attenta consuetudine loci, in quo spoliorum usus non adest, consanguinei validè succedunt ab intestato in ipsis fructibus beneficiarii. *ibid punct. 3. n. 1. & seq.*

9. Beneficiarius potest non solùm validè, sed etiam licitè testari de bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, & de fructibus beneficii necessariis ad congruam sui & suæ familia sustentationem, ubi consuetudo invaluit ut beneficiarii testentur; si verò sermo sit de fructibus congruę sustentationi superfluis, dicendum videtur beneficiarium non posse licitè de hujusmodi bonis testari. *ibid, num. 4. & 5.*

10. Beneficiarius benèficii fructus superfluos expendens in profanos usus, tenetúrne ad restitutionem? Respond. non teneri, cùm sit illorum dominus: neque etiam à fortiori eum qui fructibus à beneficiario accepit, cum acceptio ipsius non sit magis peccaminosa, quàm traditio beneficiarii. *ibid punct. 4 num. 1. & 2.*

ADDITIO.

Qui habet beneficium sufficiens ad sustentationem, non potest tuta conscientia alia accipere; quòd si à Papa in eo dispensetur, quis audeat tantæ auctoritatis factum condemnare? aut verò causæ, ob quam est dispensatum, æquitatem discutere? Potest quidem Confessor acquiescere dispensationi Papæ etiam in duobus beneficiis curatis, ipse qui possidet, an debeat, viderit: certè interim dum se putat benè possidere absolvi potest: itemque dum per vicarios benè providet pluribus curatis, etiamsi dubitet justa de causa dispensationis, ritè enim possidet dispensante Papa: quamquam nemo non modò curata duo, sed nec simplicia habebit, si unum sufficiat. Quin etiam optandum, ut juxta Panormit. doctrin. *c conquerente de cler. non resid.* Papa iis, qui duo habent beneficia, quorum alterum sufficit, alterum adimeret. Vide Nav. *c 25. n. 125.* Tol. *l. 5. c. 81* Syl. *beneficium, 4. nu. 4.* ubi de causis pluralitatem excusantibus, Trid. *sess. 24. c. 17.* Val. *to 3. d. 5. q. 7. p. 2* Lop. *p. 2 c. 101* fuse differentem. Salen. *q 63. art. 2. cont. 5.* Pet. Arag. *q. 63. art. 2. de just.* per vicarios, Cajet. *verb.* beneficium.

Episco-

Episcopus non potest dispensare ad duo simplicia, si unum est sufficiens, aut si utrumque requirit residentiam: nec secundùm quosdam, ad duo in eadem Ecclesia; quod tamen alii concedunt, si sunt dissimilia officia.

Fu. *verb. beneficium, n* 45 Salòn tamen, *l. c. concl.* 6. ex Sot. probat, posse Episcopum in minoribus non curatis dispensare justa de causa.

Ad pluralitatem eorum, quæ in Hispania præstimonia vocantur, non requiritur dispensatio.

Vide Sot. *l. c. concl* 4. Val *l. c. assert* 4. Navar *l. c. num.* 127. P. Arag *l. c. pag.* 127. Bria *q.* 89. Trid. *l. c.* præstimonia autem sunt beneficia simplicia sine residentia Val. P. Arag. *l. c.*

Dispensatio super pluralitate non valet, si aliquod beneficium in dispensationis petitione tacitum est. Nec valet impetratio beneficii à Papa, vel ejus delegato, si tacetur aliud priùs habitum; secus est, si ab ordinario impetretur, vide *de præbend. & dig. cap.* 6. *& clem.* 2 *de offic. jud. ord.* vid. Lop. *p.* 1. *c.* 103. Syl. Benefic. § 5. *c* 6 *si motu. lib.* 6.

Habens dignitatem, aut personatum, aut curatum beneficium, si alterum tale accipiat, vacat priùs ipso jure, quòd nisi statim resignet, privatur etiam secundo, *c. multa de præbend.* Sed id, per sententiam judicis, nec enim se debet ipse privare: imò, nec prius vacat, secundùm Innoc. & Andr. nisi à judice moneatur, idque post pacificam secundi possessionem. Sunt & quædam alia, quæ excusant, quæ consultò omitto, jam enim sine dispensatione talia non possunt haberi: ubi autem est dispensatum, illis nihil est opus.

Navar. *cons.* 25. *de præb.* vid. Par. *de resignat. benef.*

Habens beneficium curatum suo simplici annexum, non censetur habere curâ animarũ. At Vicariatus perpetuus Ecclesiæ parochialis, tamquam beneficium curatum habetur.

Habens parochialem, aut hujus vicariatum perpetuum, si intra annum à possessione pacifica non sit sacerdos, privatus est ipso jure; nisi justo impedimento excusetur, aut Ecclesia sit collegiata, vel plebania, sub se habens capellanos, vel ille curam per se exercere non tenetur, aut cum illo dispensetur, vid. *c. licet de elect. lib.* 6.

Poterat quidem Episcopus dispensare studii causa per septem annos; sed debebat ille tamen intrà dictum tempus saltem subdiaconatum suscipere, & interim Ecclesiæ per alium providere. Sed post Concil. Tridentin. non est in usu,

cum

cum eo, qui obtinuit beneficium curatum, ex hac causa dispensare. Et ita statuit sacra Congregatio.

Si studium non exerceat, dispensatio nulla est, Navarr. *c.25.n.118. c.cum ex eo, de elect.lib.6.*cit.à Nav. *l.c.*

Collatio beneficii curati ante annum vigesimum quintum, saltem inceptum ejus, cui confertur, nulla est.

Vid. Trid. *sess.24.c.12.* Nav. *l.c.n.115.*

Collatum alicui beneficium, ejus non fit, antequam consentiat.

Resignatio beneficii in favorem alicujus, non transfert in eum jus, antequam ei à Papa, vel Episcopo detur: itaque potest pœnitere qui resignavit, antequam illi detur. Vide Valent. *tom.3.d.6 q.16.p.3. quæsito* 3. ubi & pulcrè de permutatione beneficiorum. Non perditur beneficii possessio per renuntiationem, nisi postquam fuerit per superiorem admissa. Paris. *de resign.benefic.lib.1.q.5.n.24.& 25.* plurimos affert Doctores, & dicit, esse communem.

Beneficium non perditur ipso facto, ante sententiam, per inhabilitatem supervenientem: ut per homicidium, aut aliud ejusmodi impedimentum.

Vid. Nav. *c.27.n.2.51.* docentem per supervenientem irregularitatem non amitti beneficium. Lop. *p.2.c.95. in fin.*

Triennio possidens beneficium pacificè, etiam si mala fide, fit ejus dominus, secundum Navar, & *reg. de trienn.possess.* nec tenetur ostendere titulũ; ut declaratur à Concil. Cõgreg.

Navar. *in c.accepta de rest.spol.oppos.8.n.9.& 10.& cons 30. de præb.* qui *cons.2.de paroch.n.4.* dicit, triennio beneficium possidentem bona fide, facere illud suum, si sine violentia, & simonia obtentum sit. Covarr. autem *regul.possessor.p.2.§. & n.10.* ait non esse tutum in conscientia, qui bona fide, & titulo tolorato, obtentum beneficium per triennalem possessionem possidet, ibique perpendit *reg. de trienn.poss.*

Nemo potest sibi beneficium conferre, *de excess.præl. c.3.*

Promissio beneficii vacaturi, aut ad id præsentatio, nec licet, nec valet, quacumque verborum forma fiat vid. *de concession.præb.c.1.13.& 16.& lib.6.eod.tit.6.detestanda.*

Vid. Nav. *de spol.cleric.§.19.n.5.& c. ne captandæ eod. tit.*

Collatio beneficii facta per Vicarium revocatum, sed ignorantem revocationem, valet: itemque renuntiatio facta per procuratorem revocatum ante intimationem revocationis illi factam, etiam si is, cui fit renuntiato, revocationem sciat.

Obti-

Obtinens beneficium condemnati per errorem, sed secundùm allegata, & probata, justè possidet.

Sententia secundum allegata & probata ferenda est, licet judex ut vir privatus, crimen falsum esse sciat, Covarr. *lib.* 1. *var. resc.* 1. ex communiore etiam Theologorũ sententia, ut videre est apud Valent. *tit.* 3. *d.* 5 *q.* 11 *part.* 2. & Azor. *l.* 2. *c* 17. *q.* 8. contra Panorm. Calder. Imol. Angel. Rosel. Adria. &c.

Potest Episcopus cum illegitimo dispensare ad unum beneficium simplex.

Navar *c.* 25. *n.* 117 *de fil.* Mol. *d.* 173. Si personatus, aut dignitas non sit, & ad minores ordines petatur dispensatio.

Etiam cùm in jure dicitur, ut beneficium vacet ipso facto, sine alia monitione. aut declaratione, non privatur quis possessione nisi per judicem; sed potest interim in conscientia gaudere fructibus; secus est, si dicatur, ut collatio non valeat, ut accidit in simonia.

Sot. *l.* 1 *q. art.* 6. Covar. *epit. p.* 2. *c.* 6. §. & 8. Molin. *disp.* 96. ita sentit, dum non constet voluisse Papam, nulla expectata sententia, beneficium amitti; at Navar. *c.* 23. *n.* 67. & *cap.* 25. *n.* 18. contrarium tradit: priorem tamen sententiam sequitur opus de datis & promiss. *Corol.* 31. *n.* 41 (secus) Mol, *l. c.*

Cui revalidatur titulus beneficii malè acquisiti, potest recipere fructus à se malè perceptos: fructus enim beneficii vacantis debentur successori: vacabat autem jure, etsi non de facto, beneficium illud, & ipse successor est; nisi aliud habeat constitutio, aut legitima consuetudo.

Navar. *de spol. Cleric.* §. 12. *n.* 4. Qui initio sine justo titulo beneficium habuit, perceptos fructus restituere tenetur. Quòd si titulus non revalidetur, tria habet remedia. 1. potest cum Camera Apostolica componere. 2. Ecclesiæ suæ. 3. vel successori eos tradere, qui etiam partem remittere potest.

Qui in beneficio malè acquisito fecit debitum officium, potest excusari à fructibus consumptis in vitæ sustentationem, si pauper est.

Vide Covar. *epit. p.* 2. *c.* 6. §. & *n.* 7.

Qui beneficium obtinuit simulata sanctitate, vel ob turpem causam, non tenetur resignare, nisi esset turpitudo, quæ collationem ipso jure nullam reddere, ut Simonia.

Sot. *l.* 9. *q.* 7. *art. col.* 9. alii tamen ajunt, vide Sot. *l. c.* & Mol. *disp.* 210. ubi de eleemosyna.

Clericus in sacris, si contrahat matrimonium, non ideo perdit

perdit beneficium, nec si est in minoribus, & contrahat solùm sponsalia de futuro: Sylv. *v. beneficium. 3. n. 22. & gl. c. 1. de Cler. conjug.* Vide Navar. *c. 25. n. 120.*

Filius illegitimus non potest habere beneficium in Ecclesia, in qua pater habeat, aut habuit, nec pensionem super patris beneficio. Ex Concil. Trid.

Nav. *l. c. n. 117.* (Trid.) *sess. 25. c. 15.*

Nec legitimus potest habere beneficium, quod pater habuit *c. constitutus, de fil presb.*

Capellania instituta cum conditione, ut detur Sacerdoti, aut incerta familia ei, qui sit sacerdos, potest secundum Navar dari ei, qui non est Sacerdos, modò fiat quam primùm Sacerdos.

Capellanus obligatus ad celebrandum potest id per alium facere. *Ex Congr. Conc.*

Collatio beneficii facta irregulari, suspenso, aut interdicto, nulla est; ideoque solet in collatione dari absolutio à talibus impedimentis.

Vide jura citata à Nav *c. 5. n. 133.* Lopez *p. 2. c. 93 in fin.* etiam excommunicato ignoranti, se talem esse: nam ignorantia non efficit acquisitionis capacitatem Navar. *c. 27. n. 172.* Si ad Episcopum collatio spectet, dispensare. *id. ibid.*

Ante decimum quartum inceptum nullus potest beneficium obtinere, nec pensionem, nisi in fundatione beneficii aliter fuisset cautum *Ex Trid. Conc. & Conc. congregat. Trid. sess. 23. c. 6. de ref.*

Ad dignitatem & personatum, sine cura, requiruntur viginti duo incepti. *Ex Trid. Conc. sess 24. c. 12.*

Collatio beneficii, aut Ecclesiasticæ jurisdictionis facta non habenti primam tonsuram, nulla est.

Tol. *l. 5. c. 79* Nulla etiã in utroque foro collatio facta indigno. Petr. Navarr *l. 2. c. 2. n. 154. de restit.* quare perceptos fructus, & damna, ea collatione illata, restituere tenetur. *ibid.*

Potest Episcopus ex causa cum consensu hæredis dispensare, ut detur beneficium non habenti omnia requisita à fundatore: itemque cum consensu patronatus jus habentis mutare aliquid in institutione beneficii, secundùm Navar. *cons 3. de Cler. non resid.*

Habens beneficium tenetur intra annum ordinem ad illud requisitum suscipere; quòd si licentiam habeat non suscipiendi ordinem, dicet per capellanum Missas ad quas tenetur. *Ex Trid. & Conc. congr.*

Intra

Intra annum) cessante justo impedimento. Trid. *sess.* 22. *c.*4 de reform (Trid.) *l. c.*

Absentes cum licentia causa studii, non recipiunt distributiones quotidianas, *Ex con. Conc.*

Docens publicè scripturam, aut audiens, percipit beneficii fructus absens. Trid *sess.*5.*c.*1.*de reform.*

Dare beneficium simplex digno, relicto digniori, non est peccatum mortale, communiter Sot. *lib.*3.*de justit. q.*6.*ar.*2. secus si sit curatum, non tamen tenetur, qui dedit, restituere digniori.

Cajet 2.2.*q.*62.*art.*2. Sot *l.*3.*q.*6.*art.*2.*in fin.* Navarr. tamen *miscell.*43.*de ora.* id m. putat. Bannes *q.*63 *art.* 2. *dub.* 5. licet ex communi sententia referat, satis esse eligere dignum; probabilius tamen putat, teneri Episcopos digniores eligere. Vide quæ Arag. scribit. *l. c.* & Val *inf.* §. 2. & 3.

Secus) Bannes *l. c. dub.*3.*concl* 3. Salon. *q.*63.*a.*2.*cont.* 3.

Non tamen) Covar. *reg. peccatum p.*2.§7.*n.*6 Val. *tit.*3.*d.*5. *q.*7.*p.*2.*dub.*6. Sot. *l.*4.*q.*6.*art.*3.*ad* 6. Navar. *c.*17.*n.*73:

Beneficiatus potest disponere non solùm de reditibus beneficii, sed etiam de rebus immobilibus, ex illis suo nomine emptis. Meliorationes autem factæ in bonis Ecclesiæ, ut domo, aut agro, ejus quidem erunt, quamdiu vivit, etsi beneficium relinquat, aut eo per judicem privetur, at in morte erunt Ecclesiæ. Vide *de peccat. Clericor. c.*5.

Si sit præscripta consuetudo, ut testari possit, (testari enim ex jure non potest, Mol. *d. q.* 147. Vide Covarr. *in c. cum in officiis. de testam. n.*5. Nav. *apot. q* 1. *mon.* 48.50. Vide quando, & quibus de bonis testari possit, Bonac. *tom.*1.*fol.*1087.*nu.*4. & 5. & *hic q.* 9. *sup.*

Patrimonium Ecclesiastici morientis ab intestato, sine heredibus, dandum suæ Ecclesiæ.

Debita beneficiati solvenda ex bonis, quæ reliquit moriens. Vide *lib.*6.*de off. ord. cap. præsent.* quòd si non reliquit, quantum opus est, solvet successor in beneficio, si contracta sint pro Ecclesiæ necessitate, aut utilitate, secundùm Innocentium. Imò etiam, secundùm Hostiensem & Panormitanum, si contracta pro antecessoris necessitate, quod Emmanuel Sa non putat in usu esse, etsi valdè rationabile.

Successor non tenetur præcessoris debtia solvere, nisi sint ratione Ecclesiæ contracta, neque ea, si Ecclesia bona habeat ad id statuta, aut populus ex consuetudine ad id teneatur Navar. *de spol. Cler.* §. 10. *n.*7.

Fru

Fructus collecti ante mortem beneficiati, vel ei debiti ob servitium, sunt hæredis, quòd si nullus sit hæres, sunt successoris, vel fortè ex usu Cameræ Apostolicæ.

Canonicus habens capellam, non recipit distributiones horæ, qua Missam celebrat.

Qui post sex menses ab obtento beneficio etiam præstimonio non impeditus legitime, non recitat officium, non facit fructus suos; sed tenetur dare fabricæ beneficii, vel pauperibus: omnes quidem totius diei, si totum ejus officium omissum, alioquin pro Matutino omisso dimidium pro quavis alia hora sextam partem: idemque est faciendum ei, qui ut Clericus habet pensionem, si non recitat officium B. Mariæ. Ex Bulla Pii V.

Vide Navar *l.c. n.*123. Tol. *l* 2. *c.*12. *n.* 6. Si distributiones devidantur inter eos, qui choro interfuerunt, iis reddendæ. Navar. *l.c.*

Si talis pauper est, potest sibi retinere de consilio confessoris sec. Navar.

Tol. *l.c.* Navar. *l.c.*

Potest auctoritate Papæ in commutatione beneficiorum fieri compensatio, per pensionem, aut pecuniam pro fructibus alterius beneficii majoribus. Vid. Valent. *l.c.*

Resignationes ad favorem ab Episcopo non possunt admitti, sed à Papa admittuntur. Ex Pii V. *Mot. propr. condit.* 1567. &c Arra *l.c.*

Papa ubique beneficia conferre potest. Ordinarius de jure beneficia suæ diœcesis, nisi aliud statutum aliquod, aut immemorabilis consuetudo velit. Capilulum de jure, in tribus casibus, 1. Cum ordinarius à collatione beneficiorum suspensus est 2. Cùm vacat sedes, & beneficium illud ab Episcopo, & à capitulo conferri solebat. 3. Cùm beneficium est de jure patronatus, & vacat sedes.

Accepturus beneficium debet esse 1. Clericus primæ tonsuræ, saltem 2. ex legitimo matrimonio natus. 3. in legitima ætate constitutus. 4. à quocumque Canonico impedimento liber. 5. dignus ratione scientiæ, morum, & aptitudinis. In Episcopo requiritur annus trigesimus inceptus, in curatore animarum vicesimus quintus, ad beneficia simplicia sufficit annus decimus quartus. Habens unum beneficium non potest aliud habere, sine dispensatione.

Quæres: Quando liceat plura beneficia habere? Pro hoc

dantur

dantur reg. In casibus in jure expressis, hoc licet. Antiqua jura in sex casibus, à Toleto relatis, beneficiorum pluralitatem concedebant. Conc Trid. quatuòr statuit casus. 1 *sess.* 24. *c.* 13. non póest unus plures habere Episcoparus, quamvis reditus exigui sunt, 2. *ibid.* Nemo potest plura habere curata, nec residentiam requirentia, ut sunt, quæ habent jurisdictionem, & chorum. 3 *ead. sess c.* 17. Nullus deinceps potest habere plura beneficia, etiam simplicia, nec in commendam perpetuam, nisi cum unum ad congruam sustentationem satis non est. 4. *sess.* 7. *c.* 7. In annexis parochiis ad Canonicatum Episcopus vicarium constituat, cum tertia fructuum parte, nisi id aliquando videatur aliter convenire.

Secunda reg. Qui cum Pontificis dispensatione plura beneficia habet, tutus est in conscientia. In foro tamen exteriori sufficit dispensatio: coram Deo requiritur causa dispensationis, utilitas scilicet vel necessitas Ecclesiæ. Causa tamen sine dispensatione non sufficit.

Tertia reg. Beneficia plura simplicia ante Conc. Trident. habita, retineri modò possunt, in foro exteriori; in foro conscientiæ requiritur justa causa.

Pensio est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio. In beneficio duo sunt, scilicet titulus, id est, dignitas quædam Ecclesiastica ad officium aliquod in Ecclesia ordinata, & jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis. Qui solùm jus habet ad partem fructuum percipiendum, pensionem habet: quæ triplex est, temporalis, spiritualis, media. Prima datur laicis, pro temporis ministerio pro Ecclesia, extra Ecclesiam exhibito. 2. datur ob officium spirituale erga Ecclesiam, 3. datur ob resignationem, vel cessionem beneficii.

Prima non obligat ad preces horarias: potest vendi temporali pretio: pro Ecclesiastico beneficio commutari non potest: per matrimonium non amittitur.

Secunda, non obligat ad horas, sed ad ministerium; non potest vendi, aut redimi, nec dari pro beneficio: & per matrimonium amittitur.

Tertia, obligat ad horas B. Virginis; non potest vendi, aut redimi sine Papæ licentia, non potest cum beneficio commutari: amittitur de jure per matrimonium.

Pensionem exigens, si horas B. Virginis non recitet, tenetur restituere. Azor. *t.* 1. *lib.* 10. *c.* 14. *quæst.* 12. Emittens professionem in religione, amittit pensionem. Zech. *de pension. c.*

11. sine litteris Apostolicis, neque exigi, neque solvi potest, vide Rodriq. *part. 2. c. 21.* qui solvit, non expeditis litteris, simoniacus existimatur. Paris. *de consider. benefic. q.* 41

Nullus potest pensionem super bona Ecclesiastica retinere sine Papæ dispensatione, dispensatio autem coram Deo in foro conscientiæ non valet, sine justa causa, quæ in Ecclesiæ utilitatem sit; si enim causa in universalis saltèm Ecclesiæ utilitatem non tendat, non est legitima. In jure duæ sunt causæ; Prima, cùm duo in judicio controversantur de beneficio, ne lis in damnum Ecclesiæ, quæ tunc ministro privatur, cedat, tunc, concedente Pontifice, majorem injustitiæ rationem habenti beneficium, alteri pensio dari potest. Secunda, cùm commutatur beneficium pinguioris proventûs, cum beneficio minùs pingui. Aliæ etiam sunt causæ: 1. ob ministerium aliquod temporale in Ecclesiam exhibitum. 2. ob ministerium spirituale. 3. Ob labores in Ecclesiæ utilitatem exantlatos. 4 ob ministeria erga Ecclesiam exhibenda. 5. ob paupertatem.

Modus in pensionibus servandus est. 1. ne pensio, quæ exigitur, sit adeò pinguis, ut cum titulo ea pars fructuum non remaneat, quæ congruæ ministri sustentationi non sit satis. 2. ne tot unus pensiones habeat, quæ congruam ejus sustentationem superent; in quo magnus est abusus, & quidam pensionibus abundant, qui ne ad unam quidem justam causam habent.

An tutò in conscientia possit quis plura beneficia retinere, si sine causa legitima obtinuit dispensationem. Resp. In foro externo posse retinere, non tamen in foro interno conscientiæ, ut docet D. Thom. *quodl. 9 c. 15* & Soto *lib. 3. de just. q. 8. art. 3* Probatur primo; Quia Papa non est dominus, sed dispensator beneficiorum, eique contra voluntatem domini non potest illa distribuere. 2. Quia D. Bernard ita docet *l. ad Robert. & epist. ad Theobald.*

Quæres: An Confessarius possit absolvere eum, qui sine causa à Papa plura beneficia obtinuit. Sot. *in 4. sent.* in materia de beneficiis refert, se multos novisse, qui soliti sint tales absolvere, modò non nimiùm in pluralitate beneficiorum excederent. Cajetan. quoque putat, eos posse absolvi, qui aliquo modo per vicarium suum præstant Ecclesiis, quarum beneficia obtinent. Quod Lodovicus putat, finitè verum ante Trident. sed non post. Cajetan. verò & Angles in loc. Theolog.

log. existimat, post Trident. sententiam Cajet. posse teneri : propterea quòd non facilè possit judicari, an dispensatio obtenta sit ex causa legitima, an non.

Quæres: Quòd si aliquis habens plura beneficia injusta de causa, non agnoscat ea in re in confessione se esse culpabilem, num talem Confessarius tenetur examinare de pluralitate?

Respond. teneri, si ille vel scrupulum sibi faciat aliquem, ob pluralitatem, vel consilium petat à Confessario, vel ex oblivione, & negligentia videtur se non agnoscere culpabilem. Si autem credatur, quòd existimet se plura beneficia obtinere legitimè, non tenetur illum examinare, ut docet Navar. *lib. 1. consil. qu. 20.*

Bestialitas.

1. Bestialitas est conjunctio carnalis cum re alterius speciei, ex. g. cum bruto, vel cum dæmone: cum quo fieri potest congressus, vel comparente in forma bruti, vel in forma hominis, vel fœminæ : ob id dicitur fieri vel cum dæmone incubo, vel cum dæmone succubo : & hoc peccatum præter malitiam bestialitatis, habet malitiam superstitionis, imò & fornicationis, si dæmon transferat semen alicujus hominis in vas naturale mulieris, ex quo fœtus aliquis generari potest. *tom. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrim. qu. 4. punct. 12. num 1. & seq.*

2. Peccatum bestialitatis non differt specie pro diversitate bellu arum cum quibus perpetratur : unde non est necessarium in confessione exprimere belluam, sed sufficit dicere, se congressum fuisse cum bellua, seu re alterius speciei. *Ibid. num. 4.*

Bigamia, Bigamus.

Vid. v. *Irregularitas, Matrimonium.*

1. Bigamia est quædam irregularitas consurgens ex multiplici matrimonio contracto & consummato. Triplex est bigamia : vera, interpretativa, & similitudinaria. *tom. 1. de Irregularitate, disp. 7. q. 2. punct. 5. n. 1. & 2.*

2. Vera bigamia est, quando quis verè duas uxores legitimè duxit & cognovit carnaliter, sive duxerit ante Baptismum, sive post Baptismum. *Ibid.*

3. Interpretativa est, quando quis revera non con·raxit

cum duabus, sed secundùm interpretationem juris censetur contraxisse cum duabus; ut quando quis unam uxorem legitimam habuit, & posteà aliam invalidè ducit cum impedimento dirimente; tunc enim si cum ea copulam consummet, fit bigamus non realiter, sed interpretativè. *Ibid.*

4. Bigamia similitudinaria contingit, quando quis post votum solemne castitatis emissum in professione religionis, vel in susceptione sacrorum ordinum, matrimonium celebrat cum aliqua virgine vel corrupta, eamque carnaliter cognoscit. *Ibid.*

5. Bigamus ex vera bigamia interpretativa, vel similitudinaria est irregularis, & consequenter inhabilis ad ordines, & ad beneficia. *Ibid.*

6 Ex dictis infer requiri ad bigamiam, ut matrimonium cum duabus contrahatur verè, aut interpretativè, aut similitudinariè; & ut copula actualis subsequatur: nam matrimonium debet esse consummatum, & cum una, ut significet conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem; propterea multiplicitas matrimonii rati nondum consummati, non inducit bigamiam, neque multiplicatæ fornicationes, vel adulteria ex parte viri, neque multiplicata sponsalia, etiamsi subsecuta sit copula. *Ibid. n. 4. & seq.*

7. Ad irregularitatem bigamiæ non sufficit copula nefanda. Bigamus est is qui ducit fœminam corruptam quam putabat virginem, si, postquam comperit illam fuisse corruptam, nihilominus cum ea matrimonium consummat. Item & ille, qui cognoscit propriam uxorem postquam cum alio nupsit, credens priorem maritum esse mortuum. Similiter & infidelis, qui sæpiùs in infidelitate contraxit matrimonium, susceptо Baptismo est irregularis; quia bigamia non tollitur per Baptismum. *Ibid. n. 9. 10. & seq.*

8. In quacumque bigamia potest Papa dispensare, cùm bigamia sit de jure humano: non autem Episcopus, nisi quatenus illi conceditur à Sede Apostolica. *Ibid. n. 14. & 15.*

9. Bigamus qui majoribus ordinibus fuit initiatus absq; dispensatione, gaudet privilegiis clericorum, quia non potest vivere ut laicus; ergo debet vivere ut clericus, & consequenter frui privilegiis. *Ibid. n. 16.*

ADDI-

ADDITIO.

Episcopus cum bigamo vero, aut interpretativo ad ordines, aut ad primam tonsuram, dispensare non potest: neque ut in susceptis ordinibus ministret. Cum bigamo ficto dispensat aliquando. 1. cum presbytero, qui semel cum virgine contraxit, si pœnitentiâ longiori expiatus rectè vixit. 2. Cum diacono, vel subdiacono, si ad bonam frugem, uxore dimissa, rediit, dispensat, ut susceptos ordines exerceat: & si perfectam vitam vixerit, ut alios suscipiat. 3. Dispensat cum eo clerico vel monacho, qui post votum solemne castitatis, semel cum virgine contraxit: intellige, si monachus illi subjectus sit.

Præterea Episcopus in omni irregularitate, ex occulto delicto manante, per Concilium Trident *sess.* 14. *cap.* 6. dispensare potest.

Bigamiam baptismo tolli, negant multi cum S. Augustino, c 18. *de bon. conjug.* lege Sotum 4. *dist* 27. *art.* 2. Covar *in clem. si furios. p.* 1. *n.* 1. §. 2. concedunt nonnulli Hieron. secuti *epist. ad Ocean.* Vide Victorell. in hunc locum.

Blasphemia.

1. Blasphemia est convitium seu verbum contumelioſum, quod jacitur in Deum, aut in Sanctos ore, vel corde seu mente. Blasphemia alia est simplex, seu quæ non opponitur directè articulis fidei; alia hæreticalis, quæ articulis fidei directè opponitur, qualis est hæc; *Abnego Deum aut fidem.* & hæc cognoscenda est ab inquisitoribus fidei: non hæreticalis vero, est mixti fori. *tom.* 2. *circa* 1. *Decalogi præceptum, disp.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 1. *n.* 1. 2. *&* 4.

2. Renegans aliquem Sanctum, non committit blasphemiam hæreticalem, quia nihil dicit, quod sit directè fidei contrarium. *Ibid n.* 3.

3. In dœcesi Mediolanensi constituta est pœna excommunicationis *latæ sententiæ* iis, qui non deferunt blasphemos Inquisitoribus, vel Episcopis, modò tamen præmiserint correctionem, & per eam blasphemi non resipuerint, *Ibid. n* 6.

4. Blasphemia committitur in his modis: tribuendo aliquid Deo per contumeliam quod non habet, aut auferendo

aliquid quod habet, aut detestando divina, ut maledicendo Deum, illique mala imprecando: aut exprobrando ea quæ Deus habet, seu tribuendo Deo quæ habet, sed irreverenter, modò hoc fiat ex indignatione, vel ira contra Deum: aut maledicendo creaturis ut creaturæ Dei sunt, vel blasphemando res sacras, aut communicando ea quæ sunt Dei propria, creaturis: aut laudando Deum turpibus verbis, modò adsit intentio laudandi: nam sic tribuitur Deo quod ei non convenit. Item spernens Sanctos committit blasphemiam; secus si quis aliquid de iis referat, quod eis evenit ante sanctitatem. *Ibid, punct. 2. num* 1. 2. 3. *& seq.*

5. Non committitur blasphemia, dicendo: *Pofar Dio*, vel *al conspetto di Dio*, modò hæc verba non dicantur animo proferendi convitium in Deum, vel detrahendi ipsius potentiæ. Est tamen blasphemus qui dicit: *Al dispetto di Dio*, vel, *rinego Dio*, tacitâ ultimâ vocali *o*. At non præsumitur blasphemia dicendo: *Al dispetto di quel becco, che mi sostien al mondo*. Similiter non committitur blasphemia, dicendo: *Hoc ita est verum, sicut est verum Evangelium*, vel, *sicut Christus natus est ex Maria Virgine*, &c. quia nihil Deo tribuitur per contumeliam, nec aliquid aufertur. Item non committit blasphemiam qui jurat contra hominem per Corpus & Sanguinem Dei: secus si juret per pudendas partes Christi, vel Sanctorum. *Ibid. n.* 4. *& seq.*

6. Blasphemia est peccatum mortale ex suo genere, opponiturque virtuti religionis: & illi potest adhærere alia malitia, ut hæresis, odii Dei, &c. *Ibid. punct.* 3 *n.* 1. *&* 2.

7. Blasphemans ex habitu peccat mortaliter, quoties advertit ad pravum habitum, & non curat illum extirpare, & dum blasphemat cum sufficienti advertentia. *Ibid. n.* 3.

8. Maledicens proximo non committit peccatum blasphemiæ propriè acceptæ, nisi maledicat per ordinem ad Deum; peccabit tamen semper mortaliter, si maledixerit illi cum desiderio notabilis damni. *ibid. n.* 4.

9. Qui imprecatur mortem filiis, ne in futurum delinquant, non peccat mortaliter. *Ibid. n.* 6.

10. Blasphemia in Deum si consideretur ut blasphemia, non differt specie à blasphemia in Sanctos, sed est ejusdem speciei, gravior aut levior pro gravitate, aut levitate materiæ; explicandaque est in confessione qualitas blasphemiæ, & an fuerit in Deum, vel in Sanctos. Vide *Tentatio Dei ibid. p.* 4. *n.* 1.

ADDI-

ADDITIO.

Blasphemia interdum est cum hæresi, & tunc blasphemans est hæreticus. Publicam blasphemiam gravissimè puniunt Canones Leg *Tolet.* Blasphemantur etiam Sancti, & ipsa Sanctorum Regina, Dei Mater Virgo Maria. Hoc facientes mortiferè peccant, & Canonum pœnis sunt subjecti.

Imprecari malum homini ex animo lethalis noxa est, exteriùs tantùm venialis.

Maledicere creaturis etiam ratione carentibus, eâ mente, quia sunt Dei, mortalis blasphemia est; maledicere, quia sunt alicujus hominis, ex animo, idem crimen est; maledicere autem irrationabilibus, secundùm se, venialis culpa: maledicere, ratione mali illati, actus licitus.

Inhonorare Deum, vel Sanctos, imagines sacras pedibus terere, sacras Reliquias spernere, actus injuriosos in Deum agere, impietatis crimen est, cui si error intellectûs accedat, hæresis est.

Blasphemo membra quædam divinitùs resecta narrat Niceph. Callist. *lib.* 18. *cap.* 33. *Hist. Eccl.* De blasphemia, & blasphemorum pœna Petr. Gregor. Tholos. *lib.* 33. *cap.* 12. *Syntagm. utr. juris.*

C.

Cambium.

1. PEr *cambium* intellige contractum quo pecunia pro pecunia permutatur. Duplex est, reale seu verum, quo una pecunia revera cum alia commutatur; & siccum, quod non est verum cambium, sed fingitur & simulatur cambium, & est mutuum sub imagine cambij realis; ut accidit, quando campsor pecuniam tradit campsario solvendam in eodem loco, in quo eam tradit, confectis litteris ad locum distantem, ad quem revera litteræ non mittuntur, vel si mittuntur, nihil operantur, ac si non mitterentur, eò quòd campsor sciat campsarium non habere pecuniam actu aut potestate in eo loco ad quem litteræ mittuntur: & hujusmodi cambium siccum illicitum est & usurarium, cùm in eo accipiatur lucrum ob mutuum. *tom.* 2, *de Contractibus, disp.* 3. *qu.* 5. *punct. unic. num.* 1. & 2.

2. Rursus cambium reale duplex est: minutum, & locale, seu per litteras. Cambium minutum, est contractus, quo minora numismata permutantur cum majoribus, aut majora cum minoribus; & hoc non est illicitum vel usurarium, quia non accipitur lucrum ob mutuum. Sed ob has causas, nimirùm propter officium cambiendi, lucrum cessans, quod campsor aliàs recepisset, si pecuniam ad cambium non dedisset, ob laborem numerandi, qui est pretio æstimabilis, maximè si magna pecuniæ quantitas cambienda est, ob expendibilitatem seu commoditatem unius monetæ in numerando, ob antiquitatem monetæ, quæ pluris æstimari solet, quàm nova. *Ibid. n.* 3.

3. Qui pecuniam adulterinam exigit scienter, vel ex inadvertentia & ignorantia, non potest illam expendere, cùm sit vitiosa; res autem vitiosa, saltem notabiliter, non potest alteri tradi vitio non detecto. *Ibid. n.* 4.

4. Famulus vel procurator, qui à suo domino accepit pecunias aureas vel argenteas, ad solvendum creditoribus, vel ad emendas res necessarias, si eas permutet cum vilioribus, aut det ad cambium, potest lucrum inde acceptum sibi retinere, cùm hujusmodi lucrum sit fructus industriæ suæ factæ periculo & industriâ illius: limita tamen modò dominus pecuniæ nullum ob hujusmodi commutationem vel negotiationem damnum patiatur. *Ibid. n.* 5.

5. Non est usurarium vel illicitum cambium locare reale, seu per litteras, quo campsor accipit hic Mediolani pecuniam cum certo lucro, ut eam alibi solvat; ut si hic Lugduni à me accipiat centum & quinque, ut mihi in Flandria solvat centum. Idem dicendum de cambio reali locali, quo campsor dat pecuniam hîc Mediolani campsario, ut eam alibi recipiat cum certo lucro: ut si det mihi centum Parisiis, recepturus Romæ centum, & aliquid supra centum. *Ibid. num.* 6 & 7.

6. Cambium reale per litteras cum recambio, quo litteræ mittuntur ad locum præfixum; ex. gr. Placentiam, ibique sortiuntur effectum; deinde Placentiæ conscribuntur aliæ litteræ, quibus pecunia Mediolanum recambitur, non videtur usurarium, vel contra justitiam; cùm non sit mutuum, nec cambium siccum, sed reale, in quo pecunia præsens permutatur cum absente. Ad cambium reale ex constitutione Pii V. requiritur, ut campsarius litteras scribat, quæ mittantur,

tur, & non referantur inanes, nec contrahentes confingant celebrare cambia ad proximas nundinas, vel ad alia loca, ut non fiat pactum de certo & determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergenris solvendo à campsario, si non solvat tempore constituto; quamquam hoc lucrum & interesse exigi potest, postquam campsatius fuerit in mora solvendi debito tempore; nihilominus Summus Pontifex non vult hoc deduci in pactum; ut campsor non protrahat terminum solutionis ob pactum recipiendi lucrum; ut non detur ad cambia nisi pro nundinis proximis, vel pro terminis proximis, juxta consuetudinem & usum locorum; aut si detur pro secundis aut tertiis nundinis, non ob id plus exigatur, quàm exigeretur, si pecunia daretur ad proximas tantùm nundinas, ut non statuantur termini ad solvendum longiores quàm postulet distantia locorum. *Ibid. n.* 8. & 9.

7. Non videtur damnandum cambium, quo quis alteri tradit pecuniam sibi solvendam alio loco, quàm ubi fiunt nundinæ, cum eo lucro, quod solvitur ad proximas nundinas; modò tamen tanta sit distantia, quanta est inter locum in quo nundinæ celebrantur, & campsor nesciat, aut probabiliter non credat pecuniam plus valere in eo loco, ubi solutio sibi facienda est, quàm valeat in nundinis, alioquin videretur excedere in pretio; quod pretium, seu valor cambij potest augeri, vel minui propter majorem vel minorem pecuniæ æstimationem, quæ oritur ex copia vel inopia pecuniæ; aut ex multitudine vel paucitate cambientium & campsariorum. *Ibid. n.* 13. & *seq.*

8. Licitum est uni cambientium, ei nimirùm, qui ab altero prævenitur, recipere mercedem cambij ab altero, quando uterque ex eo cambio reportat æquale commodum, & onus. *Ibid. num.* 25.

ADDITIO.

Permutari potest pecunia cum altera diversi metalli cum lucro moderato.

De cambiis multa Molin. Lop. Mercat. Nav. Garz. *à c.* 30. & alii multi, Cor. *p.* 4 Joan. Medin. *de restit.* Bannes *in* 2. 2. *q.* 78. *art. un.* Sylv. *usura* 4. §. 7. Cajet.

Aureus, cujus pretium æstimatur undecim Juliis, potest dari pro duodecim: est enim illa pretii taxatio facta ad emptiones, non permutationes.

Sot. *l.c.* Tol. *s.c.* 1, *n.* 7.

Plus valet pecunia præsens loco, quàm absens; item cùm multi accipiunt ad cambium, & pauci dant: item ob metallum, figuram, pondus, temporis occasionem, dubium de valoris mutatione, raritatem, aut dantis incommodum, quæ considerari oportet, ne facilè cambia, quæ sunt in usu, damnentur.

Tol. *l.c.c.* 54 *n* 2 Nav. *l.c.n.* 194.

In cambio lucrari solet, qui rogatur pecuniam accipere alibi reddendam, vel dari alibi recipiendam; illic enim velut transfert ad locum ubi reddenda, hic autem velut à loco ubi recipienda.

Tol. *l.c.c.* 53. *num.* 6.

Cambio lucrari etiam ei licet, qui alioqui non habet ordinarium campsoris officium, sed ex occasione oblata facit.

Tol. *l.c.c.* 51. *n.* 9. ex Sot.

Etiam in eodem regno licet cambium, per litteras, etsi id lex aliqua prohibeat: præsumit enim fraudem, quæ si absit, non intendit prohibere. Idemque dicendum de cambiis omnibus alioqui licitis, aut cambiorum licitis conditionibus, si lege aliquâ prohibeantur: cessante enim fraude, quam lex præsumit, fieri possunt, nisi ex ipsa lege, vel consuetudine constet oppositum.

Nav. *l.c.n.* 290.

Cambium quod fit sustinente campsario procuratore duas personas in nundinis, scilicet creditoris & debitoris, quod vulgò dicitur, *Colla vi corso*, est à Pio approbatum, in Bulla quadam data ad Bononienses.

Cambium est permutatio negotiationis, numisma pro numismate. Triplex est permutatio. Prima, qua res rebus permutantur. Secunda, quâ res pecuniâ permutantur. Tertia, quâ numisma, numismatis. Permutatio nummorum negatoria cum spe lucri, cambium dicitur, cujus species sunt quatuor.

Prima, cambium minutum; cùm majores pecuniæ pro minoribus, vel minores pro majoribus dantur cum lucro aliquo

Secunda, cambium siccum, cùm campsor dat alicui pecunias, ut eas cum lucro in eodem loco, post aliquod tempus restituat, prout valebunt in loco aliquo remoto, tempore solutionis.

Tertia,

Tertia, cambium per litteras, cùm quis dat campsori pecunias, ut eas in alio loco verè accipiat, prout ibi, statuto tempore, valebunt, à campsoris socio.

Quarta, cambium reale, cùm campsor dat pecunias alicui in uno loco, ut eas in alio loco restituat.

Numisma, quod consideratur ratione materiæ, & ratione formæ, duplicem habet valorem, alterum ratione materiæ, alterum ratione formæ. Pecuniæ, ut talis, duplex est usus, 1. ut sit rerum pretium. 2. ut ea fiat permutatio. Cambium in permutatione consistit.

2. Pecunia, ratione materiæ considerata potest locari, permutari, emi, vendi, eo modo, quo posset, si nullo insignita esset numismatis charactere: & quia non consideratur ut rerum pretium, potest aliquando pluris vendi, quàm sit legalis valor: augetur enim pretium, si materia talis pecuniæ sit purior, si rara, si prædita qualitate aliquâ pecuniâ æstimabili, si vendenti chara, & ob emptoris importunitatem vendatur, aliisque de causis.

Pecunia considerata ut rerum pretium, non potest pluris vendi, quàm sit legalis valor. Si verò ad usum permutationis consideretur, potest aliquid accipi ultra valorem, ratione permutationis. Ut hoc juste fiat, debet abesse falsitas, fraus, ac intercedere justum pretium.

De justitia cambij sicci.

Hoc cambium quatuor modis fit. 1. Cùm campsor alicui petenti tot nummos dat, ea lege, ut intra certum tempus, solvat juxta valorem, quo ſtato tempore Venetiis, Florentiæ, aut alibi in nundinis valebunt, si incertum sit, pluris, minorisve pecuniam valituram tempore solutionis, contractus est licitus: at verò, ut modò in usu est, censetur usurarius, & injustus, campsor enim non dat pecuniam, nisi probabiliter certus sit, eam pluris valituram, & sic lethalis est contractus ad restitutionem obligans. 2. Cùm quis à campsore centum nummos petit, campsor autem non vult dare, nisi is accipiat pro Sicilia, aut alio loco remoto, & solvat pretium, quod dari solet pro ejusmodi locis, & nummi sunt reddendi ibi, ubi campsor eos dat. Hoc cambium est usurarium, nisi militet ratio lucri cessantis. 3. Cùm campsor dat Petro centũ Venetiis solvenda, ubi correspondentes non habet, nec

Petrus

Petrus habet ibi vnde ſolvat,& lucrum dat. Tempore ſolutionis Petrus fingit ſe non habere Venetiis, & ea centum cambit iterùm cum lucro Romam, ubi accipit centum, & Romæ centum,& lucra cambij & recambij ſolvit. Hîc duæ ſunt uſuræ cambij, & recambij. Quarta ſpecies vocatur aulicorum cambium, & Romæ in uſu eſt, de quo lege Toletum.

Pecuniæ pretium variari poteſt, ratione legis, materiæ, majoris,aut minoris ponderis, copiæ, aut inopiæ nummorum. Creſcit aliquando pretium, vel ob monopolium, vel quando campſores fingunt,ſe pecuniis indigere, cùm tamen non indigeant,in utroque eſt fraus, & injuſtitia.

Differt mutuum à cambio; numquam licet dare mutuas pecunias,ubi minus ut recipiantur,ubi pluś valent: at libet cambire pecunias,hîc minus valentes,cum pecuniis alibi plus valentibus,cambium enim eſt permutatio.

Pretium in cambiis menſuratur, vel per legem ubi extat lex, vel per conſuetudinem, ubi lex non extat, vel arbitrio boni viri: ubi utraque deſiderantur, accipit campſor pretium in cambio per litteras, ob pecuniæ transmiſſionem, in reali; quia præſentes pecunias dat pro abſentibus, in utroque ob periculum,expenſas,labores, obligationem.

In hoc,& in ſequenti cambio non licet campſori accipere majus pretium, pro majori temporis mora, nec danti id dari: eſt enim virtualis uſura, ratione dilationis temporis, purè, plus accipere.

Cambium reale, cùm campſor dat mercatori pecunias alibi ſolvendas, pretio accepto pro commutatione, licitum eſt, ſi pretium ſit licitum, & nihil accipiatur ratione moræ.

Quæres: An cambium ſit licitum, ratione temporis? Omnes DD. conveniunt, ſi hoc cambium fiat per modum locationis, vel commodati, ut cui à campſore dantur pecuniæ accommodato, ad oſtentationem, ſemper licitum eſſe cambium. Dubium autem eſt, an liceat per modum mutui, hoc eſt, an liceat campſori aliquid accipere, ultra ſortem pro pecunia, quam dedit alio tempore reddendam. Cajetan. & Soto *l.c.* dicunt, nec publicis, nec privatis campſoribus id licere. Navar. putat, id ſaltem licere publicis. Durand. verò *in* 4. *d.* 37. *qu.* 2. & Med. *l.c.* putant, utrisque, & publicis & privatis licere. At reſpondendum puto, certum eſſe non licere aliquid accipere ratione ſolius temporis, formaliter, quo

ſolutio

solutio expectatur, ut docent omnes; quia apertè est usura, & eò major, quò plus accipitur publicis campsoribus, quò diutiùs differtur solutio. Resp. 2. Certum esse, licere aliquid accipere publicis campsoribus, ratione obligationis, laborum, expensarum; ergo etiam in hoc cambio, & ratione lucri cessantis, damni emergentis: nam hæc omnia sunt pretio æstimabilia. Et confirmatur: Quia campsores in cambio minuto possunt aliquid accipere ratione officii, & laboris; ergo etiam in hoc cambio. Resp. 3. etiam privatis campsoribus saltem in foro conscientiæ licitum esse aliquid accipere propter labores, &c. licet hoc officium privatis hominibus non facilè sit permittendum, tum propter scandalum, tum propter abusus facilè obrepentes. Objicit Soto, quando opus ex se est illicitum, tunc labores ad illud exequendum suscepti, non mercede, sed pœnâ digni sunt: sed ratione temporis aliquid accipere, est opus usurarum, ergo ob labores non est aliquid accipiendum. Resp. A campsoribus non suscipi labores, ut aliquid accipiant ultra sortem ratione temporis, vel exspectationis solutionis, sed ut possint aliis beneficium cambij impendere commodiùs.

Quæres: An campsores pro suo arbitrio possint pretium pecuniarum à magistratu taxatum mutare in cambiis. Sot. *lib.* 6. Cajet. *opusc. de camb. c.* 6. Nav. 18. *manu.* putant posse. Med. *qu.* 2. *de camb.* Conrad *q.* 99 *de contract.* Greg. *disp.* 5. *q.* 23. *p.* 2. putant non posse. 1. Quia in omnibus aliis rebus, quæ habent pretium taxatum, non potest ab hominibus mutari pretium, ergo nec à campsoribus. 2. Mercatores non possunt mutare pretium pecuniarum in eadem civitate, vel loco; ergo nec possunt ratione diversorum locorum; nam si ratione diversorum locorum possent, cur non etiam ratione diversorum temporum? quod tamen omnes negant. 3. Mensura cujusque rei debet esse certa; sed pecunia est mensura valoris annuarum mercium, ergo. 4. Quia alioquin sequeretur, alios aureos esse mercatorum, & aliorum hominum; sed respicit 1. pecuniæ valorem à campsoribus mutari, quatenus est metallicum, & genus quoddam mercis. Pecunia enim, ut est metallum, v. g. aurum, habet varias commoditates, ut quòd facilè deferant, quòd valeat ad medicinas, quòd ubique possit expendi. Contrà pecunia quomodocumque spectetur, habet taxatum pretium etiam ut est metallum; nam Principes ratione metalli nobilioris solent augere pretium

pecu-

pecuniarum. 2. Quia sequeretur mercatores in recambio debere rependere, & tamen semper lucrantur æquè in cambio ac recambio. 3. Ratio ac natura propria pecuniæ est, ut sit pretium mercium; non est ergo numeranda inter merces. Respond. Pretium pecuniarum tantùm esse pro mercatoribus taxatum, non autem pro campsoribus; vel ut alii loquuntur, esse taxatas pecunias non secundùm secundarium usum, sed primarium. Sed refellitur; quia Principes pretia pecuniarum constituerunt secundùm omnem earum usum: ergo inanis est solutio. Probatur antecedens: Quia si non omnem usum spectassent, injustum pretium constituissent, & seipsos decepissent. Objic. Pecuniæ possunt dari commodatò pro aliquo pretio: ergo non habent eundem semper valorem. Resp. Negò conseq. Nos enim loquimur de traditione pecuniarum, qua transfertur dominium pecuniarum in alium, vel saltèm ita transferuntur pecuniæ, ut non eodem numero reddantur: exemplum habemus in libris, licèt enim taxatum sit pretium librorum, tamen pro usu librorum potest aliquid peti.

Quæres: An campsores possint aliquod lucrum accipere ratione diversi valoris earumdem pecuniarum in diversis locis, ut si v.g. Coronatus valeat Moguntiæ 24. batziis, Romæ autem 26. liceat campsori Moguntiæ accipere pro Roma 26. Resp. Campsorem justè nihil posse lucrari, propter diversum istum valorem. Et probatur, quia aliàs in cambio deberet perdere. 2. quia alioquin campsores non possent lucrari, quando recipiunt pecuniam alibi reddendam.

Quæres: An campsores possint aliquod lucrum accipere ratione multitudinis mercium, hoc est, an, v. g. Coronatus pluris possit æstimari Norinbergæ, quàm Moguntiæ, propter multitudinem & varietatem mercium, quas quis posset Norinbergæ comparare. Resp. Campsores hoc prætextu nihil posse accipere. 1. Quia valor pecuniæ in se non mutatur propter multitudinem mercium. 2. Quia si hâc ratione possent aliquid accipere in recambio, deberent perdere, quod tamen diligenter cavent. 3. Quia sequeretur, habitantes in villis, posse aliquid ampliùs accipere ratione pecuniarum, quas exponunt recipiendas in civitate. Prob. conseq. quia viliùs quædam in pagis emuntur, quàm in magnis civitatibus, ob multitudinem saltèm mercium.

Quæres:

Quæres: An campsores possint pluris æstimare suas pecunias, ratione copiæ, & inopiæ pecuniarum, & vendentium, & ementium. Cajet, Navar. Gregor. *loc. cit.* dicunt, quòd possint. Soto putat non posse ratione ementium, & vendentium, sed benè ratione pecuniarum. Medin. verò neutra ratione posse. Resp. 1. Copiam & inopiam pecuniarum sublatâ omni lege Principum posse augere, vel diminuere valorem pecuniarum, & similiter copiam ementium, & vendentium. Prob. Quia in omni alia re copia diminuit pretium, & inopia auget. Ergo etiam in pecunia. Resp. 2. Non sublatâ lege Principum, non posse ratione copiæ, vel inopiæ, vel pecuniarum, vel mercium, vel ementium, vel vendentium, variari valorem pecuniæ, saltèm in foro exteriori. Prob. Quia omnes merces, quæ sunt taxatæ, non possunt pluris vendi ob inopiam, ergo nec pecuniæ. 2. Quia sequeretur, mercatores in recambio debere perdere 3. Quia illa causa de inopia, vel copia est ferè semper ficta, vel facilè fingitur. 4. Quia sequeretur usurarios posse facilè lucrari in usuris, ratione temporis. Patet conseq. quia facilè incidit copia, vel inopia mercium in eodem loco intra tempus diuturnum.

Quæres: An campsores possint augere valorem pecuniarum, ratione absentiæ; vel diminuere, ratione præsentiæ. Cajet. & Navar. putant posse. Rectiùs Sot. & Medin. putant non posse. 1. Quia hæc causa videtur ficta, cùm apud campsores pecuniæ semper sint præsentes, ubique enim habent suos factores. 2. Quia pecunia illa est communis danti, & accipienti. Nam aliquando dat aliquis pecunias præsentes, ut recipiat absentes; ergo in hoc casu campsor deberet perdere. 3. Mercium commutatio fieri debet, pro ratione valoris rei, in loco, in quo commutantur: ergo nihil ad rem facit præsentia.

Quæres: Quod sit justum pretium in cambiis. Resp. Id, quod lege Principum, aut magistratuum, vel consuetudine loci fuerit statutum, vel decretum, vel si nulla lex, aut consuetudo sit, id, quod à prudentibus & probis viris consideratis circumstantiis, pro justo fuerit judicatum. Resp 2. Considerandas ferè esse has circumstantias in decernendo justo pretio. 1. Laborem, & industriam campsorum. 2. Distantiam locorum. 3. Copiam, vel inopiam pecuniarum.

Canonicus.

V de v. *Distributiones.*

Casus

Casus reservati.

Vide v. *Confessarius, Episcopus, Pœnitentia, Hæresis.*

1. Peccata quæ reservari consueverunt à legitimo Superiore, non sunt peccata merè interna (quamvis absolutè possint reservari) neque venialia; sed peccata mortalia gravia externa, & ita expedit saluti animarum. Hinc fit, ut ille non incurrat casum reservatum, qui facit opus externum non sufficiens ad mortale, etiamsi animus internus fuerit peccaminosus mortaliter. *tom.1. de Pœnitentia Sacramento, disp.5. qu.7. punct.5. §.1. num.3. & 4.*

Qui ab illis absolvant.

2. Superior qui reservavit, v. g. Summus Pontifex, Episcopus, aut Generalis alicujus religionis; & Superior ipsius reservantis habet facultatem ordinariam & directam absolvendi à casibus reservatis: quia qui potest ligare, potest etiam solvere. *Ibid.§.2.num.1.*

3. Summus Pontifex nullum peccatum reservare consuevit, nisi ratione excommunicationis, seu censuræ adjunctæ: quâ censurâ ablatâ, pœnitens à quolibet Confessario absolvi potest. *Ibid.num.4.*

4. Archiepiscopus non potest subditos suorum suffraganeorum à casibus reservatis absolvere, excepto casu visitationis provinciæ, vel causa appellationis ad ipsum. *Ibid. num.5.*

Episcopus incidens in casum reservatum, potest ab Archiepiscopo absolvi, si ei se objiciat: aut à Confessario quem ipse Episcopus elegerit, si facultatem habeat absolvendi alios in eundem casum incidentes: nec refert, quòd ejusmodi casus sit reservatus Summo Pontifici. *Ibid.n.6. & 7.*

5. Ille facultatem habet delegatam absolvendi à reservatis, qui facultatem obtinuit à Superiore, habente ordinariam. *Ibid.num.8.*

6. Simplex Sacerdos non potest absolvere peregrinum habentem casum reservatum in loco ubi confitetur, sed non reservatum Episcopo proprii domicilii: est enim judicandus juxta leges loci in quo confitetur. *Ibid. num.11.*

7. Qui

7. Qui à Sede Apostolica obtinuit facultatem absolvendi ab omnibus censuris, non potest absolvere à reservatis contentis in bulla Cænæ Domini, aut ab Episcopo loci reservatis. Ita decernit Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Sacra Congregatio, &c. Ibid. n.* 14.

8. Habens facultatem absolvendi à reservatis spatio aliquorum dierum, potest absolvere pœnitentem, qui intra tale tempus incurrit casum reservatum; modò pœnitens intentionem habeat præstandi ea, quæ ad consecutionem Jubilæi sunt necessaria. *Ibid. n.* 16.

9. Si concedatur Jubilæus obtinendus in una ex duabus hebdomadis, qui illum in prima obtinuit, non potest adhuc in secunda absolvi à casibus reservatis, si in eos inciderit. *Ibid. num.* 17.

10. Pœnitentes habentes casus reservatos, quos Confessarius absolvere non potest, remittendi sunt ad superiorem; nisi fortè ipse Confessarius velit petere facultatem à Superiore, qua possit pœnitentem absolvere: quam facultatem pœnitenti per se, vel per alium, tenetur petenti Superior per se loquendo concedere, nisi aliter exigat bonum pœnitentis. *Ibid. n.* 18. & 19.

11. Confessarius non debet absolutionem pœnitenti denegare, quoties certò novit incestum commisisse. *Ibid. n.* 22.

12. Confessarius non potest denegare absolutionem pœnitenti, quem non certè novit absolutionem indignè petere? neque ei quem aliàs vidit peccantem, sed credit alteri ritè confessum fuisse. *Ibid. n.* 23. & 24.

13. Pœnitens habens peccata reservata, & non reservata, non potest præcisa necessitate, seu rationabili causa confiteri sola reservata Superiori, ut à reservatis sacramentalem absolutionem obtineat; consequenter neque Superior potest auditis solis peccatis reservatis absolutionem impendere, transmittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reservatis. *Ibid. §. 5. num.* 1.

14. Superior dum absolvit à reservatis, non auditis non reservatis, dicitur sacramentaliter absolvere. Hinc colligitur duplex sacramentum, & duplicem effectum recipere, qui à Superiore à reservatis, & ab inferiore à non reservatis, absolvitur. Neque obtinens à Superiore absolutionem reser-

servatorum, tenetur inferiori peccata tam reservata, quàm non reservata manifestare. *Ibid. n.2. & seq.*

15. Sacerdos qui non habet facultatem absolvendi à reservatis, non potest præcisâ necessitate, vel rationabili causâ absolvere pœnitentem à non reservatis, ipsumque mittere ad Superiorem pro reservatis. *Ibid.n.5.*

16. Sacerdos qui necessitatem habet celebrandi, sed caret copia Sacerdotis approbati pro reservatis, debet inferiori Confessario confiteri, ut directè à non reservatis, indirectè verò & consecutivè à reservatis absolvatur cum onere adeundi posteà Superiorem pro absolutione directa reservatorum. *Ibid.n.6.*

17. Pœnitens qui per oblivionem peccatum aliquod reservatum, aut censuram prætermisit, tenetur cognito peccato aut censurâ Superiorem adire; non tenetur tamen Superiori repetere peccata. *Ibid.n.7.*

18. Obstrictus necessitate communicandi, vel celebrandi potest ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata etiam reservata, si non habeat facultatem Confessarii, qui à reservatis & censuris absolvat, cum onere præsentandi se posteà Superiori pro absolutione reservatorum, vel censurarum. *Ibid. n.8.*

19. Potest una reservatio auferri, aliâ remanente, non solùm si loquamur de reservatione cum censura, verùm etiam de reservatione sine censura. *Ibid,n.* 10.

20. Quilibet Sacerdos approbatus ad confessiones audiendas, potest in dubio facti cadentis sub reservationem absolvere, nisi aliter in jure decernatur in aliquo casu, aut nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium de reservatione pacti, quia in dubiis melior est conditio possidentis. *Ib.§.4.n.*

21. Dubitans dubio propriè dicto se compleviſſe peccatum, quod constat esse reservatum, potest à quolibet Confessario approbato absolvi. Secùs dicendum de Sacerdote dubitante de jurisdictione, qui directè absolvere nequit à reservatis, alioqui enim exponit se periculo malè absolvendi. *Ibid. n.2. & seq.*

22. Sequens opinionem probabilem circa facultatem absolvendi, validè absolvit, Ecclesia tunc supplente jurisdictionem. *Ibid, n.5.*

23. Absolutus tempore Jubilæi à Confessario approbato remanet absolutus à reservatis, etiam habentibus annexa

censu

censuras: non remanet tamen absolutus à reservatis oblitis, si Confessarius non habuit intentionem absolvendi; cujus defectu reservatio non tollitur per quamcumque absolutionem etiam collatam à legitimo Superiore, facultatem reservatorum habente. At pœnitens remanet absolutus a reservatis, etiamsi illorum absolutionem expresse & explicitè non petat. Remanet præterea absolutus à reservatis pœnitens, quem Confessarius intendit absolvere virtute Jubilæi, vel similis privilegii. Similiter qui petit à Superiore absolutionem reservatorum, si quibus detineatur, remanet absolutus à reservatis oblitis. *Ibid.* § 5. *n.* 1. *& seq. usque ad* 8.

24. Qui virtute Jubilæi absolutionem obtinuit à Confessario approbato, sed inculpabiliter oblitus est alicujus peccati reservati, potest deinde cuilibet simplici Confessario peccatum oblitum confiteri: nam reservatio censetur ablata per confessionem, tempore & virtute Jubilæi factam. *Ibid. n.* 8

25. Pœnitens qui virtute Jubilæi confessus est sua peccata Confessario approbato, non remanet absolutus à peccatis cum ipso Confessario commissis, sive illa aperuerit, sive oblitus sit, *Ibid. n.* 10.

26. Prohibitio audiendi, vel absolvendi complicem in confessione, respicit quælibet peccata mortalia *Ibid. n.* 11.

27. Confessarius non potest pœnitentem complicem audire (præciso mortis articulo) in prima confessione, quam pœnitens facit post peccatum cum Confessario commissum, secùs dicendum in sequentibus confessionibus. *Ibid. num.* 13. *& seq.*

28. Qui tempore Jubilæi fuit absolutus à censuris, & à peccatis reservatis, remanet directè absolutus, etiamsi posteà non præstet cætera quæ ad Jubilæi consecutionem præscribuntur, modò confessus sit animo præstandi cætera ad Jubilæi consecutionem necessaria. Imò verò absolutus à reservatis, vel à censuris tempore Jubilæi, non reincidit in casus reservatos, vel in censuras, etiamsi posteà voluntariè prætermittat ea quæ ad lucrandum Jubilæum præscribuntur. *Ibid. n.* 16. *& seq.*

29. Confessarius qui à censuris malè absolvit pœnitentem, quem absolvere non poterat defectu jurisdictionis, debet absentem absolvere obtentâ facultate absolvendi: nam absolutio censurarum ferri potest in absentem & ignorantem, & existentem in peccato mortali: secùs dicendum de

Confessario qui male absolvit pœnitentem à peccatis, quem absentem non potest iterùm absolvere; quia absolutio sacramentalis non potest dari absenti, id est, ei qui jam recessit à conspectu Confessarii. *Ibid. punct. 6. num. 1 & 2.*

30. Confessarius debet pœnitentem à se malè absolutum admonere, vel saltèm curare ut iterùm sibi confiteatur ea peccata, quæ commisit ab ultima confessione sibi facta, simul etiam curando, ut pœnitens se accuset de peccatis aliàs confessis: pœnitens enim per hujusmodi accusationem censetur iterùm eadem peccata confiteri; modò Confessarius adhuc memor sit statûs pœnitentis: & sic debet Confessarius consulere saluti pœnitentis. *Ibid. num. 3.*

31. Nulla ceremonia accidentalis in pœnitente, aut Confessario necessaria est necessitate Sacramenti, vel præcepti. Nomine *ceremoniæ accidentalis* non veniunt actus pœnitentis, qui sunt partes & materia Sacramenti; hos enim constat necessarios esse ad pœnitentiæ Sacramentum. *Ibid. punct. ult. n. 1. 2.*

ADDITIO.

Concedens casus reservatos, si aliquid specialiter nominet, cætera similia concedere intelligitur: quòd si aliquid excipiat, cœtera similia videtur excipere.

Vid. Nav. *c. 27. n. 261.* Fu. *eo. ver. num* 1.

Sublatâ reservatione Papæ per privilegium absolvendi à culpa, vel censura, censetur etiam sublata reservatio Episcopi, circa eamdem culpam.

Nav. *c. 27. n. 254.* Tolet. *c. 14. lib. 5.* Navar. *l. c.*

Sacrilegium reservatum Episcopo, intelligitur solùm, quo violatur locus sacer furto, aut sanguine, aut semine, non autem luxuria personæ sacræ: ubi quidam advertunt, ex jure Episcopo non sacrilegium, sed sortilegium reservari.

Tol. *lib. 3 c. 14.* Sylv. *ver. casus Sortilegium*, & omne sacri-
l egium dicit Episcopo esse reservatum, idem Navar. *l. c. n. 262.*

Si quis oblitus casuum reservatorum, absolutus est à potente, & intendente absolvere illum ab omnibus, quod semper intendit, qui absolvit, potest absolvi ab illis postea per quemcumque confessorem, quia jam non sunt reservati. Idemque dicendum de illo, qui reservata quidem confessus est,

est, & ab illis absolutus, sed animo incapaci absolutionis.

Navar. *c.* 26. *n.* 13. Covar. *c. alma*, 1 *p.* §. 11 *n.* 12. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 19. § 17. Sylv. *conf.* 1. *qu.* 9. Cajet. *vers. casuum reserv.* Suarez *disp.* 31. *de pœnit sect.* 14. Navar. *c. cùm consideret.* §. *cautus, de pœnit. d* 5. *n.* 30. *&* c. 26. *nu.* 13. Idem ferè Sylv. *confess.* 1. §. 7. Zerola *in prax. pœnit. c.* 13. *q.* 18. ex Ang. Palud. Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 11. *n.* 12.

Idemque dicendum de illo Sylv. *confess.* 1. *num.* 21. Ang. *de confess. p.* 231. Cajetan. *vers. casus*. Fu. *eod. num.* 4 D. Anton. *p.* 3. *tit.* 14. *num* 17.

Casus reservati in religione, non habent locum in Novitiis, antequam per vota admittantur, ut neque præceptorum obligatio.

Censura.

Censura in communi.

Vide v. *Excommunicatio.*

1. Censura est pœna spiritualis, inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum spiritualium per ordinem ad salutem. Hinc patet peccatum mortale non esse censuram, quia non est pœna Ecclesiastica, sed malum culpæ. *tom.* 1. *de Censuris in communi, disp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. *& seq.*

2. Censura triplex est; excommunicatio, suspensio, & interdictum: differunt ab irregularitate, cessatione à divinis, & degradatione, seu depositione, quæ non sunt censuræ. Censura excommunicationis, suspensionis & interdicti alia est *à jure*, ut quando fertur à legislatore cum intentione condendi legem, seu statutum generale perpetuum, injuncta transgressoribus pœna censuræ. Alia est *ab homine*, quæ fertur à Superiore aliquid præcipiente, non intentione ferendi præceptum, sed transitorium. Alia est *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur absque alia judicis sententia; alia est *ferendæ*, quæ solummodò est comminatoria, & non incurritur ante sententiam judicis. Cognoscitur censura esse latæ sententiæ, quando in lege ponuntur istæ particulæ, *ipso facto, ipso jure*, aut *latæ sententiæ*; aut quando cum censura ponuntur hæc adverbia, *confestim, statim, illico, continuò, extunc, omninò, prorsus, incontinenti, mox, protinus*; aut quando

ponitur censura per verbum præsentis, vel præteriti, vel imperativi temporis, Cognoscitur autem censuram esse tantùm ferendæ sententiæ, quando dicitur : *incurrat censuram comminatoriam*, vel, *præcipimus sub interminatione anathematis, sub pœna excommunicationis, suspensionis*, &c. quando censura fertur per verbum futuri temporis, *qui hoc fecerit, excommunicatur*, &c. & quando dubium aliquod suboritur, an censura sit latæ vel ferendæ sententiæ ; tunc enim judicandum est censuram esse ferendæ sententiæ, cùm odia sint restringenda. *Ibid. n. 4. & seq.*

Causa efficiens censuræ.

3. Potestas ferendi censuras est de jure divino, utpote collata à Deo *Matth. 18 Ibid. punct. 2 n. 1.*

4. Ferens censuras debet esse homo viator, baptizatus, habens usum rationis, & non laicus. Præterea ferens censuram non debet habere jurisdictionis usum impeditum, nec debet ferre in causa propria, in qua ipse actoris & judicis personam sustineat; excipitur tamen casus defensionis, dum quis per modum defensionis censuram fert in eum, qui sibi violentiam infert. *Ibid. n 3. & 4.*

5. Potestas ferendi censuras jure ordinario, residet in Sum. Pont. respectu omnium Christianorum, cujuscumque gradus & conditionis existant. Præterea in Episcopis, in Archiepiscopis, & Patriarchis respectu sibi subditorum. *Ibid. n. 5.*

6. Clericus tamen potest ex commissione sibi facta à legitimo Superiore, vel ex consuetudine legitimè introducta ferre censuras, quia clericus est capax Ecclesiasticæ jurisdictionis. Similiter collegium Ecclesiasticum est capax jurisdictionis ad ferendas censuras; secùs dic si sit laicum & sæculare. *Ibid. n. 6. & 7.*

Causa materialis censuræ.

7. Duplex est, proxima & remota : proxima est peccatum, propter quod incurritur censura ; remota est persona ipsa, quæ ligatur censurâ. Ad incurrendam censuram prærequiritur aliquod peccatum, & quidem proprium ad excommunicationem incurrendam, licèt censura suspensionis possit ferri ob peccatum alterius, v. g. in communicatem ob

delic-

delictum alicujus ex illa communitate. *Ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

8. Ad incurrendam gravem censuram seu majorem requiritur peccatum mortale, exteriùs, & non sufficit peccatum purè internum, quod ita in mente lateat, ut aliter cognosci non possit, nisi per revelationem, de quo directè non judicat Ecclesia, cùm sit merè internum Neque pro quolibet peccato mortali, quamvis externo, ferenda est gravis censura, sed solùm quando peccatum aliâ ratione corrigi, vel impediri non potest. *Ibid. n. 4. & 8.*

9. Censura non incurritur à proferente verbum jocosum, vel gestante comam, etiamsi Superior id prohibuerit sub censura, nisi materia prohibita quæ de se levis est, fiat gravis per ordinem ad finem à Superiore intentum in ferenda censura. *Ibid. n. 9. & 10.*

10. Fur qui acum sartori abstulit, qui ob id damnum notabile passus est, non afficitur censura lata contra eos, qui res sartori surripuerunt. *Ibid. n 11.*

11. Ad incurrendam censuram requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub censura prohibere: nam materia odiosa strictè explicanda est. Quare ille non incurrit censuram Canonis, qui projicit sagittam contra clericum, sed illum non attingit, quia non adest effectus, vel actio quæ principaliter prohibetur sub censura. Præterea non incurritur censura, quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ sub censura prohibetur. Item mandantes, vel consulentes non incurrunt censuram nondum secuto effectu, quando scilicet effectus fuit principaliter prohibitus; secùs dicendum quando mandatum, vel consilium principaliter prohibetur. Non incurritur quoque censura ab eo qui actionem aliquam exercet de se sufficientem ad effectum prohibitum sub censura. Quando excommunicatio, vel alia censura lata est sub conditione, non incurritur ante conditionis eventum. Denique non semper incurritur censura ob quodlibet voluntarium, sed ob voluntarium requisitum ad eam incurrendam *Ibid. n. 12. & seq.*

12. Non potest pro peccato commisso ferri censura, sed ad eam incurrendam requiritur contumacia: unde qui Missam die præteritâ non audivit, non potest excommunicari propter omissionem Missæ, si non erat impositum præceptũ Missæ audiendæ sub excommunicatione: potest tamen pro

peccato præterito imponi aliqua pœna, ex.gr. privatio officii, dignitatis, vel accedendi ad Eucharistiam pro tanto tempore, &c. *Ibid.n.*19. & 20.

13. Ut quis possit ligari aliquâ censurâ, requiritur ut sit homo viator, baptizatus, adultus, seu doli capax, ut sit homo determinatus (non enim tota aliqua universitas, vel collegium potest excommunicari,) & ut sit inferior & subditus ferenti censuram; defectu harum conditionum non ligantur censura hi: Mortuus, (qui commiserat in vita delictum, propter quod lata erat comminatoria censura) dæmon, cùm non sit homo viator: animalia irrationalia, locus, amentes, insani, aut furiosi. Similiter non potest suspendi, aut excommunicari Summus Pontifex, quia nullum habet Superiorem: Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales ligantur censurâ generaliter latâ à Sum. Pontifice, nisi illorum fiat exceptio. *Ibid. punct.4.n.*1. *& seq. usque ad* 17.

14. Nemo potest propriâ potestate seipsum excommunicare, suspendere, vel interdicere: nullus enim est inferior seipso. Item ob eamdem rationem æqualis non potest ab alio excommunicari, cùm par in parem non habeat imperium. *Ibid.n.*17. & 18.

15. Exempti ab ordinarii potestate (quales sunt Rex & Imperator,) non ligantur illius censuris. Similiter religiosi exempti à jurisdictione Episcopi, non possunt ab ipso excommunicari, vel suspendi in iis casibus, in quibus exempti sunt. *Ibid.num.*19. & 20.

16. Qui recipiuntur in proprios & peculiares Ecclesiæ Romanæ filios, ligari non possunt censuris ab ordinario loci. *Ibid.num.* 21.

17. Qui semel ligatus est unâ censurâ, est adhuc subjectum capax alterius, non tantùm diversæ rationis, sed etiam ejusdem; nam tot sunt censuræ, quot sunt moraliter & formaliter actus contra præceptum, seu quot sunt transgressiones formaliter & moraliter. Unde qui clericum sæpiùs successivè percutit, incurrit unam tantummodò excommunicationem; secùs si percutiat sæpiùs cum interruptione morali. Idem dic si sunt plures clerici qui successivè percutiuntur. An autem percutiens vel occidens simul uno actu plures clericos, incurrat plures excommunicationes, juxta numerum clericorum qui percutiuntur, vel occiduntur, dissentiunt Doctores,

quam-

quamvis probabilior in praxi videatur affirmativa sententia. *Ibid. punct. 5. n. 1. & seq. usque ad 8.*

18. Plures censuræ incurruntur ab eo, qui facit unum actum habentem plures circumstantias, pro quibus singulis lata est censura. Unde percutiens Sacerdotem, qui simul est Diaconus & Subdiaconus, aut Monachus initiatus primâ tonsurâ, plures non incurrit censuras, quia hæ circumstantiæ non mutant speciem in præsenti casu. *Ibid. n. 8. & 9.*

19. Faciens contra Clementinam primam *de sepulturis*, potest unicâ actione incurrere plures censuras, cùm in ea prohibeantur quatuor formaliter diversa sub excommunicatione *latæ sententiæ*. *Ibid. n. 10.*

20. Faciens aliquem actum prohibitum à pluribus sub censura, non incurrit tot censuras, quot sunt Superiores prohibentes illum actum sub censura, quando Superiores prohibentes habent eamdem potestatem; secùs quando habent diversam. Hinc fit ut deferens arma Saracenis, plures non contrahat censuras, quamvis à multis Pontificibus id prohibitum sit sub excommunicatione. Ille tamen ligaretur duplici excommunicatione, qui faceret aliquid sub excommunicatione prohibitum à jure communi, & à jure particulari, aut à Papa, & ab Episcopo intendente novum jus ferre. *Ibid. num. 11. & seq.*

21. Censura lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes, vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur mandantes, vel consulentes. Unde in dubio an mandans, vel consulens comprehendatur in censura lata contra facientes, judicandum est non comprehendi. *Ibid. punct. 6. n. 1.*

22. Mandans, vel consulens, qui aliquo modo exprimitur in sententia censuræ, non ligatur censura, nisi verè influat in effectum prohibitum sub censura. *Ibid. n. 2.*

23. Consulens ligatur excommunicatione, quando per suum consilium auxit voluntatem delinquentis; secùs dicendum, quando ipse dedit bonum consilium, ut quando parato occidere clericum, suasit tantummodò percutere. Similiter non incurrit censuram, nec tenetur ad restitutionem, qui revocavit mandatum quod dederat, ejusque revocatio innotuit mandatario; secus dicendum de consulente, etiamsi revocaverit consilium. *Ibid. n. 3. & seq.*

Censuræ quomodo ferantur.

24. Ad incurrendam censuram necesse est, ut censura lata sit à judice per signa exteriora, & non per solam voluntatem internam ipsius volentis aliquem ligare censurâ. *Ibid. punct. 7. n. 1.*

25. Ad ferendam censuram non requiruntur certa & determinata verba, sed sufficiunt quæcunque verba, aut etiam scriptura, qua intentio judicis sufficienter exprimatur. Verba in quibus censura continetur, determinata esse debent ad aliquam particularem censuram; tamen censura lata sub forma disjunctiva, valida est; est enim confusè saltèm determinata ad unam. Quòd si delinquens non vult unam partem eligere, censetur subjacere utrique pœnæ; aut dicendum, si unam censuram non observet delinquens, censeri alteram elegisse. *Ibid. n. 2 & seq. usque ad 6.*

26. Verba quibus exprimitur censura, debent esse determinata ad aliquam personam, eam nominando si cognoscitur, vel describendo aliquo modo, vel illam designando per ordinem ad delictum *Ibid n. 6.*

27. Mortaliter peccat, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & à divinis qui fert censuram sine scriptura, aut sine expressione causæ, aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem si petatur. Ab hac suspensionis pœna eximuntur Episcopi ferentes censuram solo verbo, & etiam ferentes sine scriptura ob urgentem causam, aut bonâ fide. Item eximuntur & Prælati religiosorum ferentes censuras contra suos religiosos. *Ibid. punct. 8. num 1. & 2.*

28. Censura lata sine scriptura, vel sine expressione causæ, non est irrita & invalida: nam omissio scripturæ censetur tantùm omissio formæ accidentalis. *Ibid. n. 3.*

29. Ad incurrendam censuram ita prærequiritur admonitio, ut invalida sit sine ea. Præceptum Superioris latum sub censura incurrenda, nisi blasphemi deferantur, vicem gerit admonitionis, nec opus est novâ admonitione. *Ibid. punct. 9 n. 1. & seq.*

30. In censuris comminatoriè latis pro futuris culpis non videtur requiri admonitio distincta à publicatione legis seu edicti, quidquid multi Doctores in contrarium sentiant, Ra-

tis

tio est, quia adest sufficiens admonitio ex parte judicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis. *Ibid, num.* 3. & 4.

31. Admonitio facienda est auctoritate illius qui laturus est censuram, & dum declarandum est aliquem incidisse in censuram, necessaria est citatio, quia sententia lata parte inaudita, irrita est. *Ibid, n* 4.

32. Valida quidèm est censura, quando præmittitur una tantùm admonitio absque necessitate urgente, quia nullo jure cavetur esse invalidam; peccat tamen judex illam ferens sine triplici admonitione. Constituendi sunt duo saltèm dies pro singulis monitionibus; & quando censura fertur contra personam aliquam particularem & determinatam, admonitio facienda est coram illa persona: nullus enim potest esse contumax, quod requiritur ad incurrendam censuram, nisi sit admonitus. Nec sufficit admonitionem fieri ad domum illius, contra quem fertur censura, nisi reus per dolum se abscondat, vel impediat per vim, aut jam semel facta fuerit personalis admonitio, aut citatio facta ad domum innotuerit delinquenti. Quidam volunt in duobus casibus non videri opus esse præmittere admonitionem ad ligandum aliquem censurâ; si aliquis à judice sedente pro tribunali admonetur, num parere velit, & dicat se nolle parere; & si aliqua censura lata est à jure propter aliquod delictum, judex inferior potest propter idem delictum ferre excommunicationem absque alia admonitione. *Ibid, num.* 5. *& seq. usque ad* 11.

33. Quando suspensio vel interdictum fertur contra cōmunitatem, admonitio facienda est delinquenti, ob cujus delictum fertur interdictum, vel suspensio. Quando fit admonitio alicui personæ, seu citatio, debent interesse aliquæ personæ idoneæ, quæ testentur, si opus fuerit, monitionem factam fuisse. *Ibid. n.* 11. *&* 12.

34. Censura injusta ex eo quòd non proveniat ex amore justitiæ, sed potiùs ex odio, valida est; quia nihil essentiale deficit: secùs dicendū de censura injusta, in qua prætermissus est juris ordo; nam sententia lata non servato juris ordine necessario, non est sententia, nec conformis juri. Similiter invalida est censura materialiter injusta, quando scilicet causa, propter quam fertur, non subsistit. Ex quibus patet innocentem injustè excommunicatum non privari suffragiis Ecclesiæ, nec indigere absolutione in foro conscientiæ. Patet ulte-

ulteriùs innocentem, contra quem lata est sententia censuræ materialiter injustæ, posse privatim secluso scandalo, celebrare, & celebrando non incurrere irregularitatem; & cum non privari jurisdictione in foro conscientiæ, nec inhabilem fieri ad beneficia. *Ibid. punct* 10. *n.* 2. *& seq. usque ad* 8.

35. Sententia errorem intolerabilem continet (consequenter invalida est) quando judex eam fert, non habens, neque indicans se habere rationem, & justam causam ad censuram ferendam. Quare lex præcipiens aliquid turpe, aut inutile, aut contra commune bonum; non obligat in conscientia, neque ligat. Adverte tamen in dubio causæ justæ censuram obligare *Ibid. n.* 8. *& seq.*

36. In ferenda censura servanda est circumstantia loci seu proprii territorii, quando ad illam ferendam opus est jurisdictione contentiosâ, seu quando fit cum causæ cognitione strepitu judiciali; & sic non potest Episcopus extra propriam diœcesim validè ferre censuram, sedendo pro tribunali, & cum causæ cognitione. *Ibid. punct.* 11. *num.* 3. *&* 4.

37 Ferri non potest censura per modum statuti contra subditos in alieno territorio existentes; quia extra territorium jus dicenti non paretur impunè: clericus tamen existens in alieno territorio, potest ligari censurâ, si non resideat, aut ad Synodum non accedat; quia non residendo censetur peccare in diœcesi. *Ibid. n.* 6. *&* 7.

38. Faciens contra censuram in loco exempto, non ligatur censura; censetur enim abesse à diœcesi formaliter. *Ibid. n.* 8.

39. Stuprator puellæ non ligatur censurâ (si quæ lata est per statutum in aliquo territorio) consummando copulam cum ea extra tale territorium: neque existens in Ecclesia ligatur censura, occidendo hominem existentem extra Ecclesiam; secùs dicendum si è contrà, nam tunc homicidium completur in Ecclesia. Adde vulnerantem in Ecclesiâ, aut in territorio, in quo lata est censura, ligari censurâ, si vulneratus moriatur extra Ecclesiam, aut extra territorium, in quo lata est censura. *Ibid. n* 10. *& seq.*

40. Qui furatur extra propriam diœcesim, non ligatur censurâ latâ per modum statuti contra furantes in propria diœcesi *Ibid. n* 13.

41. Superior potest censuris per sententiam ligare suos subditos existentes in alieno territorio; propterea fur commit-

mittens furtum extra territorium sui Superioris, ligatur censuris ab eo Superiore latis per modum sententiæ contra furantes: sententia enim respicit personam, ut illius contumacia coërceatur. *Ibid. n.* 4.

24. Censura lata ab Archiepiscopo non extenditur ad Suffraganeos, & ad subditos suorum Suffraganeorum, nisi censura lata sit in Concilio Provinciali, aut nisi delinquant in territorio ipsius Archiepiscopi. *Ibid. n* 19

43. Extraneus non ligatur censuris latis à Superiore loci, in quo brevi tempore reperitur; nisi fortè decreverit ibi permanere. Intellige hujusmodi extraneum non solùm non ligari censuris latis per sententiam, sed neque latis per statutũ: nec refert quòd fuerit præsens, quando lata fuit censura, si non habuerit intentionem ibi manendi. *Ibid. n.* 20. *& seq.*

44. Censura quæ non omninò liberè ac voluntariè fertur, sed potiùs per metum incussum judici ad censuram extorquendam, valida est. *Ibid. punct.* 12. *n.* 1.

45 In ferenda censura servandus est ordo, ut videlicet priùs feratur censura levior, deinde gravior; aut omittatur gravior sufficiente leviore. Servanda etiam circumstantia temporis, ne scilicet feratur die feriato: si tamen feratur tali die, valida est. *Ibid. n.* 2. *& seq.*

46. Qui censuram contraxit, denuntiari debet de auctoritate legitimi Superioris, in Ecclesiis publicè, & posteà denuntiatio in scriptis affigi debet ad portas Ecclesiarum, cum expressione causæ, juxta receptum loci morem. Adverte tamen denuntiationem fieri solere dumtaxat in censura lata contra determinatam personam, & non in edita contra indeterminatas personas. *Ibid. punct.* 13. *propos.* 1.

47. Judex non semper tenetur ad hujusmodi declarationem, & consequenter ad denuntiationem, nisi aliud ratio boni privati vel communis suadeat. *Ibid. propositi.* 3.

48. Qui censuram à jure, vel ab homine latam ipso jure contraxit, non est denuntiandus statim post delictum ante sententiam criminis declaratoriam, etiamsi delictum notorium sit & publicum; sed præmittenda est citatio & sententia criminis declaratoria. *Ibid. propositione quintâ.*

Censuræ finis & effectus.

49. Finis censuræ est ille, quem Superior in ferenda censura

sura intendit, sibique proponit; qui est salus vel emendatio, ac resipiscentia illius contra quem censura fertur: unde Prælatus moraliter certus, vel dubitans excommunicationem non profuturam delinquenti, eam ferre non debet, nisi eam ferat ad terrorem aliorum. *Ibid. punct. ult. n.* 1 & 2.

50. Effectus censuræ est privatio aliquorum bonorum spiritualium: hunc effectum suspendere potest Summus Pontifex, potestque validè conferre beneficium excommunicato; secùs dicendum de Episcopo. *Ibid. n.* 3. & *seq.*

Causæ excusantes ab incurrenda Censura.

51. Ignorantia probabilis tam juris communis, quàm particularis, excusat ab incurrendis censuris; quia delictum non debet puniri eâdem pœnâ, quando lex ignoratur, ac quando scitur. Unde ille qui scit aliquod delictum esse prohibitum jure naturæ & divino; sed nescit esse prohibitum ab Ecclesia, non ligatur censuris impositis ab Ecclesia contra patrantes hujusmodi delictum. *Ibid. quæst.* 2. *punct.* 1. *n.* 6. & 7.

52. Ignorantia probabilis facti aut qualitatis facti, excusat à censuris incurrendis: propterea Titius occidens clericum, quem credebat esse feram, excusatur à censura ratione ignorantiæ facti, aut potiùs qualitatis facti, si credebat esse laicum. Ignorantia vincibilis & culpabilis facti vel juris, quæ crassa est, & non excusat à culpa mortali, non excusat ab incurrendis censuris, vel irregularitate proveniente ex delicto. Ignorantia affectata excusat à censuris latis contra scientes, præsumentes, vel temerè facientes, &c. Hinc à fortiori ignorantia crassa, vel supina non sufficiet ad incurrendã censuram latam contra præsumentes, vel temerè facientes, &c. *Ibid. n.* 8. & *seqq.*

53. Ignorantia pœnæ, id est, censuræ, excusat ab incurrenda pœna censuræ: unde qui scit, aliquod delictum prohibitum fuisse ab Ecclesia; sed nescit prohibitum fuisse sub censura, non incurrit censuram committendo illud delictum vetitum sub censura. *Ibid. n.* 13.

54. Ignorantia comitans excusat ab incurrendis censuris & irregularitate proveniente ex delicto: unde jaciens sagittam in suum inimicum, quem credebat esse feram; sed in mente sua ita erat affectus actualiter, ut illum occidisset, si sciviſſet

sciviſſet ipſum eſſe ſuum inimicum, non contrahit irregularitatem, vel excommunicationem, ſi lata eſſet excommunicatio contra homicidas; quia cenſuræ incurruntur ob peccatum externum: opus autem externum factum cum ignorantia comitante, non eſt peccatum. *Ibid. n.* 14.

55. Ex dictis infer non incurri excommunicationem ab eo, qui percutit clericum, neſciens prohibitum eſſe ab Eccleſia percutere clericum. Idem dicendum de eo, qui licèt ſciverit prohibitum eſſe ab Eccleſia clerici percuſſionem, nihilominus numquam ſcivit, prohibitam eſſe ſub cenſura; vel nihil umquam dubitavit; vel ſi dubitavit, adhibuit ſufficientem, vel ſaltèm mediocrem diligentiam ad cognoſcendum, an lata eſſet cenſura contra percuſſores clericorum, & non potuit ante percuſſionem, vel ante actum ſub cenſura prohibitum rei veritatem invenire: hic enim dicitur ignorantiâ probabili laborare. Infer prætereà virum indoctum non incurrere cenſuram, quando conſuluit viros doctos profeſſionis & artis moralis, num lata eſſet cenſura, ipſique reſponſum eſt nullam extare. Idem dicendum de viro docto, qui ſuborto dubio alicujus cenſuræ, mediocri ſaltèm labore & diligentiâ revolvit libros; ſed nullam cenſuram potuit invenire. *Ibid. n* 15. & 16.

56. Naturalis oblivio & inconſideratio excuſat ab incurrenda cenſura; nam oblivio & inconſideratio comparatur ignorantiæ. *Ibid. n.* 17.

57. Nullam incurrit excommunicationem, qui projicit ſaxum contra Cajum clericum; ſed fortè inculpabiliter percuſſit alium clericum tranſeuntem: ſecùs dicendum de percutiente clericum, quem putabat eſſe laicum; ſed ſi eſt clericus, adhuc, inquit, volo percutere. *Ibid. n.* 20. & 21.

58. Percutiens laicum, credens ex percuſſione laici incurri excommunicationem, non afficitur excommunicatione, cùm non ſit in jure expreſſa *Ibid. n* 22.

59. Legitima appellatio excuſat ab incurrenda cenſura lata ſub conditione, modo appellatio ſit ante conditionis adimpletionem; at cenſura lata purè & abſolutè, non ſuſpenditur per appellationem. Dari non poteſt appellatio ab abſolutione excommunicationis, quæ ſuſpendat effectum abſolutionis. *Ibid. punct.* 2. *n.* 2. & 3.

60. Appellatio à ſententia ſub conditione lata excuſat ab incurrenda pœna; etiamſi poſteà appellatio ipſa fuerit derelicta. *Ibid. n.* 4.

61. Ci-

61. Citatus à judice ad comparendum intra mensem sub pœna alicujus censuræ, non peccat non comparendo post factam appellationem. *Ibid. n.* 5.

62. Licitum est appellare à sententia declaratoria; ut si judex declaret aliquem Clericum excommunicatum propter delationem sclopi, potest clericus ab hac declaratione appellare, & probare sclopum à se non fuisse delatum. Appellatio fieri debet cum probabili & sufficienti causa; vel saltèm appellans debet bonâ fide appellare, debito tempore. *Ibid. n.* 7. & 9.

63. Superior excommunicans inferiorem hoc modo; *Excommunico te si appellaveris*, non ligat inferiorem facta appellatione ab ipso inferiore; nam hujusmodi excommunicatio continet errorem intolerabilem. *Ibid. n.* 10.

64. Impotentia faciendi quod præcipitur sub censura, excusat ab incurrenda censura; quia ad impossibile nemo tenetur. Similiter metus gravis, seu cadens in constantem virum, excusat ab incurrendis censuris. Quare clericus deferens arma metu mortis, non peccat mortaliter, nec afficitur excommunicatione, si quæ lata sit contra ferentes. Item Christiani capti à Turcis possunt sine censura remis impellere naves contra Christianos; nam metu mortis hoc faciunt. Item excusantur metu mortis adulterium committentes. *Ibid. punct.* 3. *n.* 1. & *seq.*

65. Voluntas seu consensus illius, in cujus favorem concessa fuit censura, sufficit ad suspendendam censuram, ne incurratur. *Ibid. punct* 4. *n.* 1.

66. Debitor elapso termino prorogato sibi à creditore, in cujus favorem lata fuerat censura, ligatur censura. *Ibid. num.* 2.

64. Denique hæ causæ excusant adhuc ab incurrendis censuris: Voluntarium imperfectum, actio non sufficiens ad effectum prohibitum sub censura, innocentia subditi, injustitia materialis censuræ, nullitas censuræ, &c. *Ibid. n.* 3.

Censurarum absolutio.

68. Censura reservata lata ab homine per sententiam generalem vel particularem, jure communi potest auferri per eum qui eam tulit, vel per ejus Superiorem, vel per successorem, aut per eum, cui specialis facultas fuerit delegata. Censura

sura non cessat per obitum ipsius Prælati, à quo censura lata fuerat *Ibid. qu. 3. punct. 1 n. 1. & seq. usque ad 6.*

69. Censura non reservata, lata per sententiam generalem, jure communi tolli & auferri potest à quocumque potestatem habente absolvendi à mortalibus. Quare qui contraxit censuram in uno loco, potest absolvi à Superiore illius loci ad quem se transfert, nisi censura lata esset per sententiam particularem, quæ auferenda est ab eo qui tulit. *Ibid. n. 6. & seq.*

70. Superior potest absolvere à censura, quam tulit contra eum, qui à se appellavit; cùm per appellationem judex non amittat suam jurisdictionem. *Ibid. num. 10.*

71. Qui à Papa obtinuit facultatem absolvendi à casibus, & censuris, non potest absolvere à casibus Episcopo reservatis, nisi id expressum sit; quia Pontifex non intendit derogare statutis particularibus locorum. *Ibid. n. 11.*

72. Habens facultatem absolvendi ab omnibus censuris, potest etiam absolvere à reservatis: sicut & obtinens facultatem absolvendi à casibus Summo Pontifici reservatis, potest etiam absolvere à censuris illi reservatis: non tamen à censuris in Bulla Cœnæ reservatis; nam hæ specialiter reservantur, consequenter indigent speciali expressione. *Ibid n. 12. & seq.*

73. Episcopi non solùm possunt absolvere à censuris latis à se, vel à suis prædecessoribus; sed etiam ab omnibus censuris & casibus reservatis Summo Pontifici per seipsos, aut Vicarium ad hoc specialiter deputatum, aut per Pœnitentiarium. Ita Conc. Trid. *sess. 24 c. 6.* quod Tridentini decretum ulterius extenditur; modò delictum sit occultum. *Ibid. punct. 2. n. 1.*

74. Episcopus absolvere potest à casibus Papæ reservatis, etiam quando delictum fuit deductum ad forum contentiosum; sed reus purgavit se, & non fuit in eo convictus. *Ibid. num. 2.*

75. Episcopus non potest absolvere eum, qui in uno loco commisit delictum publicum; sed postea se transtulit ad alium locum, ubi est occultum: quia hujusmodi delicta sunt verè publica. Quòd si excommunicatio sit publica, & delinquens ob legitimum impedimentum non potest Romam adire, tunc Episcopus potest absolvere; videtur tamen habendus

bendus recursus ad Sedem Apostolicam per Procuratorem, & per Epistolam. *Ibid. n.* 3. & 4.

76. Archiepiscopus non potest à censuris latis à Suffraganeis, vel à Sede Apostolica absolvere subditos Suffraganeorum; quia non habet in ipsos jurisdictionem; nisi apud eum facta fuerit appellatio, aut ab Episcopo Suffraganeo malitiosè, aut negligenter differatur absolutio: aut nisi visitet; tunc enim ratione officii ordinariam habet facultatem ad absolvendum. *Ibid. n.* 7.

77. Laicus vel etiam clericus qui non est Sacerdos, non potest à censuris absolvere in articulo mortis; neque Diaconus qui non excommunicavit, vel qui non habet specialem aliquam facultatem absolvendi; quamvis multi contrarium sentiant. Potest tamen simplex Sacerdos, quamvis degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, quando non patet aditus ad Superiorem, vel ad Confessarium approbatum. Dicitur autem mortis articulus non solùm periculum mortis proveniens ex infirmitate, sed quodlibet probabile periculum mortis. Quòd si pœnitens potest adire Superiorem per litteras, aut per Confessarium, quilibet Sacerdos non potest absolvere à censuris, etiam in articulo mortis; secùs dicendum si dubitatur, an pœnitens qui est in articulo mortis proximo, possit supervivere, & expectare. *Ibid. punct.* 3. *n* 1. & *seq. usquend* 7.

78. Quando adsunt plures Sacerdotes, quorum unus est approbatus, non verò alius, unus excommunicatus, non verò alius, &c. approbatus, & non excommunicatus debet absolvere. *Ibid. n* 7.

79. Infirmo, qui non potuit petere absolutionem peccatorum, potest absolutio censurarum impendi à quolibet Sacerdote, ut recipiat aliqua Sacramenta, & non privetur Ecclesiastica sepultura; non autem potest impendi absolutio ab irregularitate, aut à suspensione ab ordine, officio vel beneficio, quæ non retardant à consecutione gloriæ. *Ibid. num.* 8. & *seq.*

80. A pœnitente non puero, qui in mortis articulo absolvitur à Sacerdote aliàs non habente facultatem absolvendi à censuris extra mortis articulum, extorquendum est, si fieri potest, juramentum, sese sublato impedimento non perpetuo præsentandi quamprimùm commodè poterit coram Superiore, qui de jure potest extra illum articulum absolvere; alio-

alioquin pœnitens reincidit in novam censuram. Nec refert quòd sublato morbo satisfecerit parti læsæ; debet enim se obedientem exhibere. Remanet tamen absolutus, si Confessarius ex oblivione, vel negligentia hoc onus se præsentandi non injunxerit. Quòd si in articulo mortis absolutus fuerit vi alicujus privilegii aut Jubilæi, non tenebitur se præsentare Superiori. *Ibid. n.* 11 *& seq. usque ad* 16.

81. Absolutio ad reincidentiam dicitur ea, quâ positâ iterùm inciditur in censuram, nisi præstentur ea quæ præscribûtur; & absolutus ad reincidentiam vitandus est, postquam neglexit se præsentare. *Ibid. n.* 17. & 18.

82. In absolutione casuum reservatorum tradita in mortis articulo, exigenda non est cautio præsentandi se Superiori. *Ibid. n* 19.

83. Invitus positivè, aut ignarus, sublatâ contumaciâ propter quam ligabatur censura, potest à censura absolvi, si spectemus naturam censuræ, quia sicut censura ferri potest in invitum, ita potest ab invito auferri. Similiter absens localiter validè potest absolvi. *Ibid. punct.* 4. *num* 3. & 4.

Absolutionis censuræ forma.

84. Ad absolutionem censuræ non est necessaria certa, & determinata forma verborum; sed sufficiunt quæcumque verba ore prolata, vel in scriptis expressa & exarata, quibus sufficienter exprimatur absolutio; quare sufficerent hæc verba, *te absolvo*, aut, *ego te absolvo*, ut dicitur in absolutione peccatorum. A solo Pontifice dari potest absolutio censuræ per nutus & signa. Non est necesse in absolutione censuræ causam exprimere; nisi sint plures, & Superior intendit unam tantùm per absolutionem auferre: potest enim una censura auferri aliâ remanente. Neque petens absolutionem ab una censura, remanet ab omnibus absolutus, quando Superior generalem impendit absolutionem; nam cùm petitio sit limitata, limitata est etiam absolutio: remanet tamen pœnitens absolutus à censuris oblitis in confessione generali, si confessus sit Sacerdoti habenti facultatem absolvendi à censuris, ex officio vel ex privilegio. *Ibid. punct.* 5. *num.* 1. & *seq.*

85. Habens jurisdictionem ordinariam, potest extra confessionem absolutionem censurarum conferre: quia sicut

extra confessionem potest ligare, ita etiam absolvere. Item habens facultatem absolvendi à censuris in foro conscientiæ, potest ab iis absolvere extra confessionem. *Ibid. p.6. n.7. &*

86. Pœnitens qui tempore Jubilæi confessus est censuras & peccata reservata cum intentione consequendi Jubilæum, & præstandi cætera præscripta in Jubilæo, remanet absolutus, si obtentâ absolutione aliquid omisit, v.g. jejunium, ratione cujus omissionis non consequitur indulgentiam; neque graviter peccat non præstando cætera requisita, etiamsi id voluntariè faciat. *Ibid. n.13. & 14.*

87. Absolutio censurarum, in rigore loquendo, potest validè ferri, non solùm sub conditione de præsenti & præterito; sed etiam sub conditione de futuro, & etiam sub conditione impertinente; quamquam censura illicitè feratur de modo. *Ibid. punct 7. num.1.*

88. Absolutio censurarum dari potest *ad cautelam*, id est, dubitando sub hac conditione, si pœnitens indiget, vel si contraxerit; abundans enim cautela non nocet. Petens absolutionem censuræ, non fatetur censuram, sed solùm indicat se habere conscientiam læsam, & fortè petere absolutionem *ad cautelam. Ibid. n.2. & 3.*

89. Sicut censura impendi & extorqueri debet sine dolo, vel errore, ita etiam ejus absolutio: neque remanet absolutus is qui absolutionem extorsit per dolum versantem circa causam finalem. Idem dicendum de absolutione data per vim vel metum injuriosum cadentem in constantem virum; hæc enim invalida est, à quocumque metus incutiatur, modò incussus sit per ordinem ad extorquendam absolutionem. Prætercà ille adhuc subjacet censuræ sub conditione latæ qui ante conditionis eventum per vim curavit revocari censuram: hæc enim revocatio invalida est. *Ibid. p.8. n.1. & seq.*

90. Habens facultatem ordinariam, vel delegatam, seu privilegium absolvendi absque limitatione satisfactæ partis, validè absolvit pœnitentem, qui nondum satisfecit parti læsæ. Ut autem sciatur, quando satisfactio imponatur tamquam conditio necessaria, attendenda sunt verba quibus conceditur privilegium cum limitatione. *Ibid. punct. 9. num. 1. & seq.*

91. Habens privilegium absolvendi, satisfactâ parte, potest absolvere eum qui parti non potest satisfacere; modò creditor non sentiat æquale damnum, & petitâ cautione à pœni-

pœnitente, eum datâ occasione satisfacturum ; & qui totam satisfactionem exhibere non potest, tenetur ad partem. *Ibid. n. 4. & seq.*

92. Qui potestatem habet absolvendi sub hac conditione, *satisfacta parte*, potest statim absolvere excommunicatum qui dedit pecuniam Confessario, vel alteri viro probo, ut commodiùs restituatur: nam pœnitens hoc modo videtur satisfeciſſe. Idem dic quando per pœnitentem non stat, ne satisfaciat *Ibid. n. 7. & 8.*

93. Qui ligatur censurâ, donec satisfaciat, factâ satisfactione, requiritur adhuc absolutio, neque aliter haberetur apud Ecclesiam pro absoluto. *Ibid. n. 10.*

94. Ille dicitur absolvi in foro interiori, seu conscientiæ, qui absolvitur ab eo, cui Superior concessit facultatem absolvendi, salvo jure cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam & satisfactionem imponendi. *Ibid. punct. 10. n. 1.*

95. Absolutus in foro conscientiæ, non est denuò absolvendus, quando ejus crimen defertur ad judicem; & excommunicatus occultus absolutus in foro conscientiæ, potest se gerere tamquam si non esset excommunicatus. *Ibid. n. 3. & 4.*

96. Antequam absolutio censuræ impendatur, regulariter loquendo, præcedere debet petitio ipsius absolvendi ; non quidèm ex necessitate & essentia absolutionis, sed ex congruitate. Reo qui absolvitur, aliquando imponi potest pœna pecuniariâ, solvenda si non paruerit: per se tamen loquendo non est imponenda, quia redolet suspicionem avaritiæ. *Ibid. n. 4. & 5.*

97. In absolutione, quæ in foro externo impenditur, servandæ sunt cæremoniæ præscriptæ *in cap. à nobis, de sent. excom.* videlicet levis percussio virgâ aut flagello super nudatos humeros viri, & non fœminæ, ob honestatem, quamdiu recitatur Psalmus *Miserere*, aut alius pœnitentialis ; postmodum dicto *Gloria Patri*, &c. *Kyrie eleison*, &c. *Pater noster*, &c. versiculis *Salvum fac*, &c. absolvens hanc orationem recitat *Oremus, Deus cui proprium est misereri semper & parcere ; suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Deinde absolutionis verba subjungit: *Auctoritate quâ fungor absolvo te à vinculo excommunicationis, quod incurristi*

sti ob hanc vel illam causam, restituo te Sacramentis Eccles. & communioni fidelium, In nomine Patris, &c. Amen. Istæ tamen ceremoniæ non sunt de essentia absolutionis. *Ibid.*

ADDITIO.

Censuræ positæ contra non revelantes id, quod à judice in eis proponitur, non comprehendunt nec litigantes, nec eos qui probabiliter credunt rem illam ab eo, qui tenet, justè possideri: nec illos, qui certò nesciunt, quod quæritur; aut, si sciunt, non possunt sine periculo magni damni denuntiare.

Vid. Navar. *c.* 25. *n.* 46. Fu. *ver. accusat. n.* 29.

Irretitus aliqua censura, etiam irregularitatis, ex homicidio vel excommunicatione, aut suspensione, potest celebrare, ne alioqui infametur.

Navar. *cap.* 27. *nu.* 239. nam lex naturalis de tuenda fama potior est lege humanâ, cum Navar. sentit Victor *de excom.* n. 13. Angl. *de Eucharistia pag.* 101. Lopez. *p.* 2. *cap.* 93. *in fin.* Cordub. *q.* 142. tres refert sententias, & pro hac citat Castro *l.* 2. *ult. de leg. pœn.* & Sylvest. si hanc sequeris, infamiæ periculum debet esse probabiliter certum. Covarr. *in c. almam.* 1. *p.* §. 1. n. 3. & §. 2. *n.* 11. & Graff. 1. *c.* 12. *nu.* 15. *Decis. aur.* id non concedunt. Sot. *ult. d.* 18. *q* 2. *art.* 5. *coll.* 17. hoc semel permitteret ad grave scandalum tollendum.

Census.

Vide v. *Usura.*

1. Nomine *census* intellige jus percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera, sive ea pensio sit fructuaria, sive pecuniaria. Duplex est census, consignativus, & reservativus: qui est contractus, quo quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum vel utile, reservatâ sibi annuâ pensione. Census verò consignativus est contractus, quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem, super rebus suis, aut super persona. Et hic census triplex est; realis, personalis, & mixtus. Realis fundatur in re ipsa, ut in agrò, vinea, &c. Personalis in persona, quatenus talis persona potest aliquid acquirere proprio labore industriaque: census verò mixtus fundatur super re & persona. Præterea census

alius

alius est perpetuus seu irredimibilis, alius temporalis, qui redimi potest à censuario. *tom. 2. de Contract. disp. 3. quæst. 4. punct. unic. n. 1. & seq.*

2. Ad contractum censûs ex natura contractûs requiruntur diversæ conditiones; videlicet, ut adsit intentio emendi & vendendi, ut adsit justum pretium (quamquam non requiritur ut pretium census æquet pensiones solvendas, habendaque est ratio oneris impositi censualistæ) ut constituens censum super re aliena liberam habeat illius rei disponendæ facultatem; qualem non habet maritus respectu fundi dotalis uxoris suæ absque illius consensu, aut Clericus super beneficium, aut feudatarius & emphyteuta super re accepta in feudum vel emphyteusim: præterea ut census fundetur in re frugifera, ut si res censita pereat absque culpa censuarii, cesset census ad ratam; denique ut si aliquod onus imponatur venditori, ad quod venditor ex natura contractûs non tenebatur, debitâ mercede compensetur. *Ibid. n. 5 & seq. usque ad 14.* Hoc posito.

3. Census realis licitus est concurrentibus sequentibus conditionibus; videlicet, ut census non instituatur, nisi super re immobili sua natura frugifera, (quamvis fortè aliquoties non ferat) & certis finibus designata; deinde ut contractus census non celebretur, nisi numerata pecunia in actu celebrationis instrumenti coram Notario & testibus: id est, videntibus Notario & testibus pretium integrum solvi: nec sufficit ut computentur debita in pretium, vel ut censuarius fateatur sibi solutum pretium, aut res aliqua æquivalens, v. g. gemma solvatur: præterea ne pensiones anticipatæ deducantur in pactum, hoc est, ne is qui emit census, cogat censuarium, ut sibi censum anticipatè solvat; nec tantummodò exigat pro rata temporis lapsi; quamquam potest censuarius anticipatè solvere, si propriâ sponte anticipatè solvere voluerit. Item ne venditor census obligetur ad casus fortuitos, vel ad alia onera, ad quæ ex natura contractus non tenetur, & ne fiat pactum restringens libertatem censuarii, ne alienet rem ut sui subjectam; aut ne fiat pactum solvendi censitori laudemium, vel aliam partem rei alienatæ. Item ut dominus rei censitæ volens rem censitam vendere, admoneat censualistam, num ipse velit eam emere eodem pretio, eumque aliis præferat, alioqui licitum est censualistæ repetere rem censitam venditam ipso irrequisito. Item cave-

tur fieri pactum, quo censuarius existens in mora, seu non solvens censum tempore constituto, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem censui subjectam, aut ad expensas; quamquam seclusâ lege positivâ videtur teneri ad resarcienda damna, quæ passus est censualista ob ipsius moram. Item ne census anteà constitutus augeatur ex pensionibus debitis & nondum solutis; quamvis non sit illicitum jure naturæ censum augeri ex pensionibus nondum solutis, & traditis censuario loco pretii. Item ut semper liberum sit censuario redimere censum quoties voluerit, reddito eodem pretio quo vendiderat, non obstante quavis præscriptione, aut pacto. Item ut pretium censûs semel constitutum non possit augeri vel minui ex aliqua circumstantia superveniente, sed æquale pretium reddendum sit, quo census ab initio fuit emptus. Denique ut censuarius non cogatur ad redimendum censum, secluso hoc casu; quando videlicet censuarius admonuit censitorem duos menses antequam redimeret, se velle redimere; quâ denuntiatione factâ, censitor potest intra annum repetere pretium census à censuario, licèt invito; Elapso verò anno, non potest pretium exigere. Circa has conditiones adverte multos Doctores affirmare non improbabiliter, eas solùm requiri in foro conscientiæ, quas jure naturæ seu ex natura contractus requiri paulò antè ostensum est. *Ibid n.14. & seq.*

4. Census vitalitius ad dementis, aut vendentis vitam, vel ad aliorum annorum numerum incertum, licitus est & validus interveniente justo pretio; nam concurrente justo pretio tam censuarius, quàm censualista subit æquale periculum lucrandi & perdendi. Redimique potest à censuario census vitalitius; ità ut censuarius liberetur, & non teneatur amplius ad pensionem persolvendam, modò adsit mutuus contrahentium consensus, & servatâ proportione justum intercedat pretium. Minùs tamen valet, quò plures pensiones solutæ sunt, & quò plùs vitæ transactum est. *Ibid. num. 18. & 20.*

5. Adverte in constituendo pretio censûs, haberi posse rationem oneris impositi censualistæ, qui rem emit redimibilem gratiâ censuarii, ut dictum est de venditione cum pacto retrovendendi; neque pretium censûs debere pensiones solvendas æquare. *Ibid. n.24.*

6. Em-

6. Emptor censûs potéstne pactum apponere, ut quando censuarius voluerit redimere censum, non redimat nisi eadem moneta? Potest, modò qui tradit pecuniam, probabiliter credat valorem monetæ non esse augendum. *Ibid. n.* 36.

ADDITIO.

Non prohibet Bulla Pii V. debita jure naturæ (ut satisfactionem pro damno dato, non solvendo censum in tempore) nec dare fideijussorem, aut hypothecam etiam omnium bonorum, aut securitatem venditionis, vel solutionis; nec emere certam pecuniæ summam ad vitam, ut pro mille centum. Id enim non est census, sed contractus, do, ut des. Solent quidèm ad vitam ementis dari octo pro uno, possuntque pro tali pensione obligari omnia bona.

Solvendus est census in fine anni, nisi aliud habeat consuetudo, aut pactum.

Ut potest solvi pro censu pecunia, ita fructus aliquis ex pacto, etiamsi locus censui subjectus, talem fructum non ferat.

Leg. Nav. *de usur. n.* 79.

Etiam anno, quo nullus colligitur fructus, solvendus est census.

Ubi Bulla Pii V. recepta est, negant quidam licere censum super persona constitui, alioqui licere, & super persona, & super communitate, & super bonis incertis, scilicet possessis, & possidendis; alii etiam, ubi recepta est, licere, si sit perpetuus, quod non ab omnibus conceditur.

In censu perpetuo hæc necessaria sunt, 1. ut res, cujus fructus venduntur, apud venditorem sit. 2. ut fructus illos, in quos jus emitur, verè reddat. 3. ut, re pereunte, vel fructibus, sine venditoris culpa, emptor non possit fructus percipere. 4. ut pretium sit justum. 5. ut emptor censûs non obliget venditorem, ut redimat.

Ex natura non esse necesse, ut res, cujus fructus venduntur, sit certa, & suis finibus circumscripta; sed ex constitutione Pii V. neque necesse est ex natura, ut in censu redimibili, venditor facultatem habeat redimendi censum, per partes pretium reddendo.

De justitia emptionis censuum.

Quidam cupientes effugere periculum fructuum rei, petunt a venditore, ut tutos fructus efficiat, obligando sua omnia bona, & personam, & fidejussores etiam adhibendo, ut bona omnia ad illorum fructuum certitudinem obligent. Hic contractus licitus est approbatusque ab Apostolica Sede, quibusdam circumstantiis adhibitis. 1. Ut res certa signetur, supra quam census constituatur, & hæc solùm censui obligata maneat. 2. Ut hâc pereunte, venditor ad censum solvendum non obligetur. 3. Ut emptor totum pretium, quo censum emit, statim ac emit, venditori solvat. Hæc secundùm jus naturæ. Post constitutionem Pii V. non possunt fieri assecurationes, & fidejussiones ejusmodi, ut re censui subjecta pereunte fortuito casu, censuarius censum solvere cogatur.

De quibusdam circumstantiis in censibus.

Solet statui pœna, ut si venditor per duos, aut tres annos pensionem non solverit, supra quam est census, spolietur. Quæ justè exigitur, ut si proportionata culpæ, & venditor reverà in culpa sit.

In censu perpetuo redimibili solet adjungi pactum, ne per tres primos annos redimi possit; quod licitè fit, si emptor augeat pretium, quo censum emit.

In eodem censu apponi solet, ut nisi intra certum tempus redimatur, sit irredimibilis. Quòd si sit conditio, contractus est: ob hanc tamen conditionem venditor debet pretium minuere; si sit pœna, videtur usurarius. Hæc locum non habent post Bullam Pii V. irredimibiles census prohibentem.

Cùm venditor pensionem non solvit, solet emptor eam pretium facere, censum augens: quæ circumstantia illicita est, cùm venditor impotens est, & sine culpa non solvit.

Circumstantia, ut venditor in emptione census anticipatam pensionem solvat, illicita est.

In nullo temporali censu venditor ad capitale reddendum obligari licitè potest. In censu temporali, ad certum tempus, non debent omnes pensiones simul sumptæ excedere capi-

tale;

le; nisi pènsio incerta esset, quòd augeri minuive potest.

Quæres: An census personalis sit licitus. Anton. 2. *sum.* *tit.* 1. *c.* 19. & Angles *v. usura.* putant esse illicitum. Verùm probabilior est sententia Sot. *lib.* 6 *de just. & jur. qu.* 5. Bannes *q.* 78. *a.* 4. *tract de censib.* Covar. esse ex natura rei licitum, licèt practicè sæpè possit esse usurarius. Probatur, quia census realis ideò est licitus, quia fundatur in re fructifera, cujus fructus vendi possunt; sed persona hominis, ut artificis, vel agricolæ, potest etiam esse fructifera: ergo. 2. quia *Deuter.* 12. præcipitur filiis Israel, ut solvant decimas manuum suarum; & in jure Canonico *cap. non est. tit. de decim.* jubentur fideles decimas solvere ex operibus personalibus, ut ex militia, negotiatione; ergo exiguntur tributa à personis; ergo jus personale est etiam pretio æstimabile. 4. Rusticus accepto pretio potest alicui suam locare operam, vel in perpetuum, vel ad certum tempus; ergo potest alius labores illos, vel operam emere, ac proinde vertere in censum. Dices, Martin. V. & Calixt. III. *loc. cit.* videntur prohibere census personales. Resp. cum Sot. & Covar. illos non prohibere census personales, sed prohibere tantùm quosdam census reales.

Quæres: An emptor, vel censualista possit obligari ad revendendum censum. Resp. cum Med. *l. c.* posse obligari, & quidèm, ut vel totum censum, id est, partem censûs, eo pretio, quo ipse emit, vel quo tempore redemptionis æstimabitur, revendat. Prob. 1. Quia licet mihi vendere domum cum pacto de revendenda; ergo etiam cum eodem pacto licet revendere censum, cùm par sit ratio. 2. Si non liceret, esset, quia emptor tali obligatione gravatur: at gravamen illud potest compensari minori pretio emendo ipsam pensionem. 3. Venditor potest licitè obligare emptorem, ut sibi vendat aliquem censum, à se tamen ei antè non venditum. Ergo etiam potest obligare ad vendendum eum ipsum, quam anteà vendidit. Patet conseq. Quia aliàs sequeretur, cum ipsum vendendo censum, factum esse deterioris conditionis, quod dici non potest.

Quæres: An possit etiam venditor obligari ad reemendum; ac proinde census utrimque redimibilis possit esse licitus. Sot. & Covar. *l. c.* negant posse hoc fieri, vel obligare venditorem. Et ratio eorum est, quia ubi est obligario reddendi capitale, est mutuum; ergo ille contractus esset usurarius.

rarius. At probabilior est sententia contraria, Medin. *q.15. de usur.* Major. *dist.15 q.41.* Joan. Gerson. *de contract. p.2.* Abul. *in c.25. Matth. q.209.* Gabr. *in 4. dist.15. q.12.* & Covar. *qu.84.* Et probatur 1. In contractu communi emptionis & venditionis, emptor potest emere domum, cum pacto revendendi, ex parte venditoris; modò propter hanc obligationem emat cariùs, ut docent omnes: ergo idem licebit in censu. Probat. conseq. Quia in censu utrimque redimibili est etiam vera emptio; si enim fructus pereunt, pereunt emptori. Resp. quidam cum Panorm. *c. illo. t. de prgnor.* id posse fieri, quando emptor computat fructus medii temporis in sortem, quam repetit à venditore. Verùm hæc responsio est insufficiens. Nam primò emptor propter jus redimendi potest dare majus pretium pro suspensione, sicut in contractu societatis, ratione assecurationis, diximus evenire; ergo non opus est illos fructus computari in sortem. 2. Venditor retinet fructus pretii ab emptore; ergo etiam emptor potest retinere fructus censûs, ut domûs, agri. Nec valet, si dicas, agrum esse rem fructiferam, non pecuniam. Nam fieri potest, ut pecunia æquè sit fructifera, si exponatur negotiatori. 3. Si emptor velit ab emptore iterùm illum censum emere, potest emptor non computatis fructibus suum pretium recipere, illos enim fructus, uti ex re propria jam à venditore alienata perceperat. Potest ergo idem facere obligando venditorem sal. èm consentientem. Patet conseq. Quia quod sponte potest inter aliquos fieri, potest etiam fieri ex obligatione, modò gravamen compensetur. Ad rationem Sot. Resp. negando antecedens, quia qui accipit rem commodato, & in depositu, potest etiam obligari ad redimendum capitale, etiamsi casu, & sine culpa pereat, & tamen ideo non esse mutuum. Sed objicies: In Comitiis imperii ann. 48. sub Carolo V. hunc contractum esse vetitum, tamquam usurarium. Resp. Hoc decretum Imperii duabus de causis nondum obligare. 1. Quia non est promulgatum in singulis provinciis, quod requiritur ad Leges Imperiales. 2. Quia non est à majori parte populi receptum.

Quæres: An sit licitus census vitalitius temporalis, id est, ad vitam hominis constitutus, ut si, v. g. adolescens aliquis, ut tranquillius vivat, monasterio alicui offerat 100. aureos, ut quotannis ab eodem recipiat 48. aureos; ita tamen, ut post mortem ejus summa capitalis maneat monasterio. Henric. quodl.

quodl.1.q.39. & quodl.2.q.19 putavit esse contractum usurarium, eò quòd sit periculum, ne venditor censùs desideret mortem emptoris, & contrà emptor desideret nimiùm prolongari vitam, ac plùs inde accipere, quàm valeat summa capitalis, quæ intentio est usuraria. Sed contraria sententia est communis, Ant.*2.p.sum.t.1.c.8.§.11.* Et probatur, quia in hoc contractu non est mutuum, nec salva manet summa capitalis; ergò abest omnis suspicio usuræ. 2. Quia in hoc contractu est vera emptio & venditio; nam primò in eo emitur pro prétio jus annui reditus, tamquam, ut ita dicamus, merx; deinde æqualis est omnis conditio emptoris, & venditoris, cùm tam emptor quàm venditor possit lucrari.

Quæres: An emptio hujus census possit esse licita ad vitam venditoris, id est, ut emptor non diutiùs fruatur pensione, quàm venditor vivit. Resp. Illam emptionem, si debitæ adsint circumstantiæ, esse licitam, ut benè docet Conr. Medin. & alii; imò magis esse licitam, quàm priorem; quia in hac non est periculum, ut unus desideret mortem alterius.

Cessatio à divinis.

1. Cessatio est omissio & desistentia à divinis officiis, ab administratione Sacramentorum, & sepultura laicorum: duplex est, una generalis, quâ prohibentur divina in loco universali, ut in regno, civitate, castro, &c. altera particularis, quâ prohibentur in loco particulari, ut in una vel pluribus Ecclesiis. Cessatio non est censura, sed fertur per modum simplicis prohibitionis, & comminatoriè tantùm. *tom.1. de cessatione à divinis, disp.6.punct.1.n.2. & seq.*

2. Causa efficiens quæ potest imponere cessationem est Papa, Episcopus, & Capitulum Sede vacante: nam cessatio pertinet ad forum contentiosum, cui præest Papa, & Episcopus Concilium item provinciale & diœcesanum potest cessationem imponere. *Ibid punct.2. num.1.*

3. Forma ferendi cessationem hæc potest esse: *Nos ob talem causam civitatem vel Ecclesiam abstinere præcipimus à divinis officiis.* In ferenda cessatione hæ conditiones servantur; ut delictum sit manifestum & notorium, ut admoneatur is, ob cujus culpam ferenda est cessatio, ut pareat & satisfaciat; nisi ferens cessationem, & ille contra quem fertur

tur, intra mensem se componant, & adeant Summum Pontificem per se, vel per Procuratorem. Qui cessationem tulit, potest transacto mense, postquam iter ad Summum Pontificem suscepit, tollere cessationem. *Ibid. n. 2. & seq.*

4. Causa materialis proxima ob quam cessatio imponitur, est delictum & culpa manifesta; quæ valdè gravis esse debet, & gravior quàm sit ea, ob quam ponitur interdictum. *Ibid. n. 5.*

5. Finis remotus cessationis est resipiscentia & emendatio illius, cujus causa lata est cessatio. *Ibid. n. 6.*

Cessationis effectus.

6. Effectus cessationis est, ut tempore cessationis tam generalis, quàm particularis abstineatur à divinis officiis publicè recitandis: ut ab horis Canonicis publicè persolvendis, à celebratione Missæ, &c. etiamsi servetur moderatio: deinde tempore cessationis Sacramentum Ordinis, aut extremæ Unctionis non confertur laicis, aut clericis; secùs dicendum de aliis Sacramentis ob illorum necessitatem, maximè de Sacramento Baptismi. Non videtur licitum tempore cessationis contrahere matrimonium. Prætereà cessatio privat laicos sepultura sacrà, saltèm quoad divina officia, etiàm quoad eos qui habent privilegium sepulturæ pro tempore interdicti. Violans cessationem, graviter peccat, & incurrit irregularitatem, vel excommunicationem. *Ibid. p. 3. n. 1, usque ad 12.*

7. Ille cujus causa lata est justa cessatio, tenetur ad reficienda omnia damna clericis, qui coacti fuerunt servare cessationem, & distributiones amiserunt, vel alia damna passi sunt. *Ibid. n. 12.*

Charitas.

1. Charitas est virtus supernaturalis, omnium virtutum excellentissima, quâ Deus super omnia diligitur. Tenemur Deum diligere super omnia appretiativè, non verò intensivè; propterea diligendus est tamquam finis ultimus omnium rerum; alioquin Deus non diceretur diligi super omnia, si dilectio illius referretur ad aliquid aliud, tamquam ad ultimum finem. *tom. 2, circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quæst. 4. punct. 1, n. 1. & seq.*

2. Præceptum charitatis negativum semper obligat; affirmativum autem obligat dum insurgunt tentationes odii Dei, & periculum adest illis consentiendi: & quando actus contritionis ex imperio claritatis eliciendus est. *Ibid. p.2. n.1. & 2.*

3. Tenemur ex charitate proximum diligere, imò & inimicum; per se tamen loquendo non tenemur inimicum nobis obvium salutare; peccaret tamen mortaliter, qui inimicum salutantem non resalutaret, si inde sequatur scandalum, aut existimetur notabilis contemptus, spectatâ circumstantiâ temporis, loci, personarum, & consuetudine patriæ. *Ibid. punct.3. num. 1. & seq.*

4. Charitas obligat ad subveniendum extremæ necessitati spirituali proximi cum vitæ aut facultatum periculo; secùs dicendum, si non adsit necessitas extrema spiritualis. Item tenemur ei eleemosynam facere dum extremâ necessitate laborat; sed non tenemur pauperes inquirere. *Ibid. punct. 4. n. 2. & 4. & punct.6.n.3. & 10.*

5. Possumus, sed non tenemur vitam nostram periculo exponere pro vita temporali amicorum, modò Reipubl. vel aliis damnum inde non sequatur. *Ibid.punct.4.n.6.*

6. Unus proximus magis diligendus est quàm alius; pater & mater magis quàm frater, aut creditor; uxor quàm soror. *Ibid.punct 5.n 1. & seq.*

Facienda est eleemosyna pauperi, etiam extra necessitatem ipsius extremam, vel quasi extremam de superfluis vitæ & statui, id est, in gravi necessitate; quare peccant Advocatus, v.g. & Medicus, non subveniendo indigenti ipsorum operâ. Adverte tamen habentem superflua vitæ, sed non statui, non teneri in gravi vel communi necessitate eleemosynam facere; secus in extrema, vel quasi extrema; modò non sit probabile periculum, ut nos etiam in eamdem incidamus. *Ibid.punct. 6.n.9. & 11.*

8. Si multi divites norunt alicujus indigentiam, singuli tenentur subvenire; quamquam uno faciente eleemosynam, cæteri manent exempti. *Ibid.n 12.*

9. Debitor extremam patiens necessitatem, non tenetur per se loquendo restituere rem acceptam, seu solvere debitum creditori simili necessitate laboranti, sive rem acceperit medio contractu, sive sine prævio contractu; quia extrema necessitas omnia reddit communia; licèt multi arbitrentur

trentur debitorem teneri tunc restituere domino. *Ibid. num.* 14.

10. Qui tradit aliquid contractu mutui, aut commodati, non satisfacit præcepto eleëmosynæ, quo tenetur eleëmosynam facere simpliciter indigenti. *Ibid.n.*15.

11. Qui aliquid accepit, seu justè seu injustè ante necessitatem extremam, illudque consumpsit in necessitate extrema, tenetur transactâ necessitate illud restituere; secùs si aliquid accepit in ipsa extrema necessitate, illudque totum in eadem necessitate consumpsit, ita ut transactâ necessitate nihil amplius superfit. *Ibid. n.*16.

Possumus, sed non tenemur, cibum illi præbere, qui damnatus est, ut fame pereat. *Ibid.n.*17.

13. Eleemosyna facienda est extremè indigentibus, sive justi sint, sive injusti, sive infideles, sive fideles, sive sint amici, sive inimici privati; dummodò nobis non proveniat grave damnum illis subveniendo. *Ibid.n.*18.

14. Possuntne excludi peregrini à civitatibus? Possunt, si hoc fiat justa & rationabili de causa, ne videlicet morbos, aut corruptiones, proditionesque inferant. *Ibid.n.* 19.

15. Eleemosyna extra necessitatem extremam fieri non potest de injustè acquisitis, ex.gr. de acquisitis per usuram; si injustè acquisita, eadem numero restituenda sunt domino. *Ibid.n.*22.

16. Habens bona fisco addicta ob aliquod crimen, potest ante sententiam pauperibus eleemosynam facere, modò id non fiat in fraudem fisci. Item tutores & curatores eleemosynas moderatas facere possunt ex bonis eorum, quorum curam habent, juxta rationabilem eorum voluntatem. Item qui eleemosynam accipit in pauperes distribuendam, potest eam sibi applicare, modò indigeat, nec aliter constet de mente domini *Ibid. n* 23 *& seq.*

17. Qui denegavit eleemosynam pauperi indigenti, cui tenebatur subvenire, non tenetur transactâ necessitate aliquid illi restituere; nec obligatur ad extinguendum debitum quod pauper contraxit cum aliis, dum existeret in extrema necessitate: hic enim non peccavit contra justitiam, sed contra charitatem. *Ibid. num.*29.

18. Tenemur ex præcepto naturali & divino corrigere proximum indigentem correctione, quoties adest cognitio certa peccati, spesque emendationis, nec adest aliquis magis

gis idoneus qui hoc munus obeat. Correctio differri potest ad tempus quo speratur fructus, imò correctio levioris peccati prætermitti potest, ut delinquens resipiscat à majori. *ibid. punct. 7 n 179 & 10.*

10. Peccantem ignorantia vincibili tenemur admonere, si subsit spes emendationis; secus dicendum de peccante ignorantia invincibili, quoties non tenemur ex officio admonere; intelligo etiam tunc, si adsit spes emendationis. *ib. n. 11.*

Vitia charitati opposita, odium, invidia, accedia, &c.

20. Odium Dei, seu desiderium mali in Deum, est peccatum omnium gravissimum, cùm privet perfectione actus charitatis, qui est omnium præstantissimus; parvitasque materiæ non excusat à mortali in peccato odii. *ibid punct. ult. §. 1. num. 1 & 3.*

21. Similiter odium proximi est peccatum contra charitatem ex suo genere mortale; quamquam fieri potest veniale ob imperfectum animi consensum, vel ob materiæ parvitatem. Differt specie ab odio Dei; idcircò in confessione aperiendum est, an odium fuerit in Deum, an in proximum. *ibid. num. 6. & 10.*

22. Peccatne peccato odii qui rebus alienis malum exoptat? Peccat si exoptet hujusmodi malum ex displicentia personæ, & per ordinem ad personam. *ibid. num 9.*

23. Ex bono motivo honestoque fine licitum est sibi malum optare, non verò inferre. *ibid. n. 11.*

24. Invidia est inordinata tristitia, qua quis dolet de bono alicujus, non quatenus est bonum illius, sed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam. Est peccatum ex genere suo mortale, & contrarium charitati; quia charitas gaudet de bono proximi: invidia verò tractatur de bono proximi, debetque connumerari inter peccata capitalia, quia ex ipsa tamquam ex capite multa alia peccata, ut odium proximi, susurratio, detractio, &c. originem ducunt. *ibid. §. 2 num. 1. & seq.*

25. Accedia est tristitia; seu tædium rerum spiritualium; ut si quem tædeat pœnitentiam agere ex quadam pœnitentiæ nausea; aut si nollet concionem haberi, aut jejunium esse ob difficultatem jejunii. Est peccatum ex suo genere mortale, charitati oppositum, appellaturque capitale (ex ea enim oriuntur, odium spiritualium, rancor, pusillanimitas,

desperatio, torpor) potest tamen reddi veniale ex levitate materiæ. *ibid.* §. 3. *nu.* 1. *& seq.*

26. Discordia est inordinata dissensio voluntatis à voluntate alterius, cui consentire deberet; ut si proximus velit aliquod bonum, tu verò sine rationabili causa cupias ipsum ejus boni consecutionem non obtinere. Differt à contentione veluti effectus à causa, cùm contentio originem trahat à discordia seu dissensione voluntatis. Est autem contentio alteratio verborum cum aliquo contra veritatem ad ipsam veritatem oppugnandam; & sicut discordia est peccatum mortale ex suo genere, ita etiam contentio, quamquam per accidens reddi potest veniale. *ibid.* §. 4. *n.* 1. *& seqq.*

ADDITIO.

Infantem alioqui sine baptismo moriturum, teneris cum vitæ tuæ periculo baptizare, secundùm quosdam; quod alii probabiliter negant; nec enim cum tanto damno debetur tale officium, alioqui & mater gravida teneretur permittere se secari, ut fœtus baptizaretur, alioqui sine baptismo moriturus; quod nemo dicet.

Fu. *ver. Episc. n.* 4. & D. Tho. vide Tolet, *l.* 4. *c.* 10. *n.* 4. P. N. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 144. Lopez *l. c.* (Negant) Sot. *de teg. secret. memb. c.* 2.

Proximum à mortis corporalis periculo, etiam invitum, teneris liberare, si possis; non autem à peccato, si non possis sine tuo gravi incommodo.

Nav. *cap. & num.* 24.

Damnatum justè ad mortem non teneris, etiamsi possis, pecunia redimere; nec enim ipse se teneretur redimere; quòd si redimas, potes accipere tibi in servum perpetuum. Quòd si injustè damnatum redemisti, potes quidem in multis casibus, in servum accipere; sed ipse se potest redimere. Navar *cap.* 25. *n.* 95 Nav. *l. c. n.* 17 Justo damnato, ut pereat fame, non teneris cibum præbere.

Potes proximo optare malum corporale ad salutem animæ: & mortem, ob Reip. bonum; & hosti tibi alioqui valde nocituro, mortem non odio, sed ad vitandum damnum tuum; item de morte ejus gaudere, ob bonum inde secutum. Navar. *c.* 15. *n.* 10.

Circum-

Vide v. *Baptismus.*

Claustrum.

Vide v. *Monasterium, Moniales, Religiosi.*

Clausura

Vide v. *Monasterium, Moniales, Religiosi.*

Clericus.

Vide v. *Censura Degradatio. Excommunicatio, Officium divinum, Ordo. Suspensio.*

1. Clericus significat sortem seu hereditatem, eò quòd Deus peculiariter sit illius sors sive pars : obligantur clerici gestare habitum & tonsuram: nec excusatur à peccato mortali, qui initiatus majoribus ordinibus, aut habens beneficium, non gestat tonsuram vel habitum ad longum tempus absque justa causa. Peccant ergo à fortiori clerici gestantes arma absque justa & rationabili causa. *tom. 1. de Sacramento Ordinis, disp. 8 quæst. unic. punct. ult. n. 1. & seq.*

2. Debent præterea clerici initiati sacris ordinibus recitare Horas Canonicas, & servare castitatem. *ibid. n. 8.*

3. Clerici exempti sunt à laica potestate. *ibid. n. 9. & to 2. circa 8. Decal. precept. disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 2. & seqq.*

4. Clericus qui primam tonsuram eo tantùm fine recipit, ut fruatur privilegio clericali, non peccat mortaliter. *tom. 1. de Sacr. Ord. disp. 8. quæst. unic. punct. ult. n. 10.*

ADDITIO.

Clericus in sacris potest conveniri coram judice sæculari in civilibus, de licentia Episcopi sui Sylvest. *v. judex n. 4.*

Potest clericus in crimine deprehensus capi à sæculari judice, ut Ecclesiastico tradatur; potest & noctu capi, si cum armis incedat; præsumitur enim velle delinquere, in quo potest impediri etiam per sæcularem potestatem. Quin

etiam potest à quovis sæculari teneri clericus, & includi, ne lædat alterum.

Posse etiam fugientem, vel de fuga suspectum, capi à creditore, ut tradatur judici Ecclesiastico, tenet Sylv. *excom.* 6. *q.*14. Navar *c* 27. *nu.*82. qui tenet esse Panorm. & communem *in cap. cùm non ab hom. de jud.* (Noctu) Nav. *l.*5. *conf.*27. *alias* 44. *de sent. excom.*

Clerici tenentur legibus civilibus reipubl. in qua degunt, modò non impediant officium Ecclesiasticum, & libertati Ecclesiasticæ non repugnent. Et hoc modo solùm via directiva, non autem coactiva Host *cap. fin. de solv.* Covar. 2. *p. epit. c.* 6. *in princ. n.*20 Dried. *lib. de lib. Eccles. c.*9. Sot. *lib.*1. *de just. q.*6. *art.*7. Cast. *lib.*1. *de vig. pœn cap ult.* & alii.

Clerici bona possunt per judicem Ecclesiasticum confiscari, in casibus, quibus laici sic puniuntur.

Clericus calumniosus accusator debet privari officio, & verberatus in exilium mitti.

Clericus non potest consentire in judicem Ecclesiasticum non suum, sine licentia sui Episcopi.

Clericus pauper non tenetur cedere bonis Nec pro debito non ex delicto contracto potest conveniri ultra quàm facere potest, nec, si est in sacris, puniri corporaliter pro debito, quod potest solvere. Cov *l.*1. *c.*4. *var. resol. n.*4.

Potest, qui est in sacris, aut beneficiatus, advocare coram judice Ecclesiastico; at coram sæculari solùm in causa propria, vel Ecclesiæ, vel miserabilium, vel propinquorum, [qui alium advocatum commodè non possunt habere) usque ad quartum gradum Non potest autem esse laici procurator generalis, sed solùm in aliquo negotio: nec locum tenens Principis sæcularis, sed potest esse consiliarius: nec lucri gratia negotiari per se, sed ob suam, aut suorum necessitatè. Non est autem negotiari vendere aliquid cariùs quàm emisti, nisi ad id emisses Potest & per alium honestè negotiari, & per se vendere, arte honesta à se facta. Non potest verò gestare arma offensiva; nec interesse executioni sententiæ capitalis, nisi officii spiritualis causa; nec exercere medici, aut chirurgi officium, ubi opus sit adustione, aut incisione, nisi cum pauperibus, aut alioqui sua, aut proximi necessitas postulet; nec venari, nisi causa recreationis sine strepitu; nec accipitres ad id alere, aut falcones; nec aleis ludere, nisi modicè, causaque recreationis.

Ludere

Ludere autem in magna quantitate ob lucrum, Navarr. mortale existimat. Vide Sylv. *verb. advocatus* §. 2. Nec lucri) negotiationem. *dist.* 88. Mol. *dist.* 342. possunt tamen locare prædia colenda ad annos tres. Per alium.) Mol. *l. cit. nu.* 10. Joan. Medin. *q.* 20. *de rest. c. clericus. 1. &* 2. 91. *dist.* Vide Navar. *c.* 21. *n* 111 Lop *n.* 1. 2. *l. c* 23 Ludere autem) Nav. *c* 20. *n.* 9. De negotiatione licita & illicita Clericis, Mol *in d. st.* 347.

Clericus in maxima necessitate potest cogi ab Episcopo civitatem custodire ; potest ob invasa ab hostibus pugnare; nec erit irregularis, si hostem occidat, aut mutilet.

Quæres: Sitne clericis licitum studium Medicinæ, vel Juris Civilis. Resp. Studium sæcularium litterarum, ut Philosophiæ, esse licitum Clerico, ut habetur *cap turbas. c. legimus. dist* 37. nisi aliquis magnus abusus in eo fiat, ut si Episcopus aliquis, qualem reprehendit Gregor. loco sacrarum litterarum suis prælegeret Grammaticam. Resp. 2. Legis studium, Medicinæ & Chirurgiæ vetitum esse religiosis, & multis clericis, Archidiac. Diacon. Prælat. Præposit. Cantorib. & Personatus habentibus idque sub pœna excommunicationis, nisi ab eo studio supersederint. Resp. 3 Exercitium Medicinæ & Chirurgiæ Clericis omnino esse prohibitum, maximè quando ferrum adhibent incisione, aut adustione, juxta *c. sententiam*; possunt tamen causa pietatis erga miserabiles personas, vel cognatas, si vitæ periculum absit, hoc exercitio uti, ut Navar. Sylv.

Num clerici possint tabernarii, vel macellarii esse. Resp. Jure Canon. vetitum esse 1 ingredi tabernam, extra necessitatem, ut si sint in itinere, ut habetur *c. non oportet.* & clerici edendi, *d.* 44. & can. *clerici de vit. & c.* Resp. 2. Clericos non posse esse hospites, & laniones; & si abstinere nolint, sunt ab officio deponendi, *c. nulli clerico. d.* 44. & omni privilegio clericali privandi, *cap. diœcesanis, de vit. & hon. in clement.*

Quæres: An clerici possint esse histriones, & personas in comœdiis sustinere? Resp. 1. Secundum Canones non posse esse histriones, mimos, joculatores publicos, & ipso jure omni privilegio clericali privantur, si per annum, aut breviori tempore post admonitionem, hanc artem exercuerint. (Publicos.) Quia honestæ recreationis causa, vel valetudinis, inter privatos parietes histrionem agere minimè prohibetur, ut habet gloss. *in c. cleric.* Resp. 2. Clericos non posse ludis publicis histrionum interesse, ut habet *c. clerici.*

& in *syn. jur. 3. c. 7.* & Concil. Cabidon. *c. 8.* & Conc. Mogunt. ult. *cap. 75.* Pius V. *in const. an. 66.* sub gravi pœna prohibuit, ne clerici comœdias, fabulas, hastiludia, aut ludicrum ullum profanum agant, vel spectent. Resp. 3. Non decere, ut clerici existentes in sacris ordinibus etiam personas agant in comœdiis sacris, & honestis, minimè tamen decere religiosos: licet tamen tam clericis, quàm monachis, hujusmodi spectaculis interesse, quia sacra sunt & honesta, & apta ad movendi

Quæres: An si clericus emat vineam, vel prædium, obnoxium decimis, aliisve oneribus, teneatur præstare decimas D. Anton. *3. p. tit. 24. c. 29.* putat non teneri, Rectius Panormitan. *in c. fin. de vit. & hon. cleric.* Cardin. *ibid. q. 6.* putat distinguendum, ut si prædium habeat annexum onus perpetuum, & invariabile, quòd clericus teneatur id sustinere; si autem non sit perpetuum, non teneatur, ut si accesserit ex nova aliqua disceptatione tempore belli, quando cujusque civis bona æstimantur, ut secundùm cujusque opes fiat distributio.

Quæres: An quando clerici negotiationis causa, vel alia de causa, bona sua temporalia transferant alium in locum, teneantur solvere tributa sua laico. Resp. cum gloss. *in cap. quamquam. de censib. in 6.* eos non teneri ad tributum, cùm bona acquisita ex fructibus suorum beneficiorum aliò transferunt. Si autem fructus bonorum patrimonialium transferant, & id faciant causa negotiationis, tenentur solvere tributum, sicut laici, si autem non faciant, nisi pro sua necessitate, non tenentur.

Coadjutor, Coadjutus.

Vide v. *Distributiones.*

Commodatum.

1. Commodatum (quasi datum commodo alterius) est contractus, quo res alteri conceditur ad certum usum. Ad commodatum requiritur mutuus consensus, ut tradatur gratis commodatario ad aliquem certum usum, & ad certum aliquod tempus, expressè vel tacite; & præterea ut dominium commodati perseveret apud commodantem; consequenter si pereat absque culpa commodatarii, non pereat com-

commodatario, sed commodanti. Tenetur autem commodatarius ad restitutionem ex levissima culpa, cùm commodatum celebretur in favorem solius commodatarii accipientis, de casu autem fortuito non tenetur, secluso pacto, de culpa, & mora. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 16. punct. unic. n. 1. & seq.*

2. Expensæ ordinariæ factæ à commodatario durante tempore contractus commodati, pertinent ad commodatarium; nam cujus est commodum, ejus etiam est onus & incommodum. Extraordinariæ verò pertinent ad commodantem, modò non fuerint leves & exiguæ. *ibid. n. 4.*

Concubinatus, Concubinarius.

Vide v. *Fornicatio simplex.*
Conductio.

Vide v. *Locatio.*

Confessio, Confessarius.

Vide v. *Censura, Contritio, Denuntiatio, Excommunicatio, Matrimonium, Pœnitentia, Satisfactio, Sigillum.*

1. Confessio est legitima & sacramentalis accusatio de propriis peccatis facta Sacerdoti, ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem. *tom 1. de Pœnitentia Sacramento, disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 1. n. 1.*

Sexdecim conditiones ad confessionem solent à Doctoribus enumerari sub his versibus:

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Hæ conditiones revocantur ad tria capita. Primum est, ut confessio sit integra. Secundum, ut sit dolens. Tertium, ut sit vera, seu pura. *ib. punct 2. n. 1. & 2.*

2. Pœnitens circa peccata mortalia tenetur tantam inquisitionem præmittere, quanta judicio prudentis viri judicatur sufficiens ad omnia peccata in memoriam revocanda; non tamen idcircò tenetur maximam diligentiam adhibere ad hujusmodi inquisitionem, sive examen, sed sufficit

mediocris. Neque similiter tenetur pœnitens peccata sua scribere, etiamsi habeat lubricam memoriam; sicut neque tenetur statim confiteri, si prævideat fore, ut nisi statim confiteatur, peccatorum obliviscatur. *ibid.* §. 1. *n.* 2. *& seq.*

3. Qui confessus est, non præmisso examine conscientiæ, tenetur ad novam confessionem peccatorum, etiamsi suam negligentiam aperuerit in confessione, & à Confessario absolutionem obtinuerit: dummodo tamen Confessarius non supplerit defectum examinis, per diligentem interrogationem; non tenetur tamen Confessarius pœnitentem interrogare, nisi advertat, pœnitentem silere peccatum per inadvertentiam, vel per oblivionem inculpabilem. *ibid. num.* 5. *& seq.*

4. Quæres, An Confessarius debeat pœnitentem absolvere, quem certò novit mentiri, dicendo se conscientiæ examen præmisisse? Resp. negativè, nam impenderet absolutionem indigno. *ibid. num* 8.

5. Confessio sit *simplex*, id est, talis, ut superflua prætermittantur, & amputentur inutilia; curetque pœnitens, ut clarè & distinctè fateatur sua peccata, ita ut Confessarius nó solum illa intelligat quoad numerum, verùm etiam quoad species, circumstantias, & dubia. *ibid* § 2. *n* 1.

6. Sit *humilis*, ita ut pœnitens peccata sua cum humilitate fateatur, & cum debita corporis compositione, v. g genibus flexis, & aperto capite; invalida enim esset confessio illius qui peccata sua fateretur, se jactando, & gloriando in peccatis. *ibid. n* 2. *&* 3.

7. Sit *pura*, quoad intentionem, ita ut non fiat ob pravum finem; sed potiùs spe remissionis obtinendæ, seu placandi Deum *ibid. num* 4.

8 Quæres, an peccet mortaliter, qui alteri confitetur peccata mortalia & graviora, ut retineat bonam famam apud priorem Confessarium, cui detegit solum leviora peccata? Resp. non peccare mortaliter, nisi finis sit mortalis. *ib. n.* 5.

9. Sit *fidelis*, id est, vera, & sine fallacia, & deceptione: ita ut mendacium in confessione prolatum circa materiam necessariam sit peccatum mortale, irritamque reddat confessionem. Similiter invalidè confitetur, qui majorem numerum peccatorum mortalium in confessione exprimit, quàm reverà commiserit, nisi bona fides, aut simplicitas eum excuset. *ibid. n.* 6. *& seq.*

10. Sit *frequens*, non quia necesse sit necessitate medii, vel præcepti confiteri sæpiùs in anno, & extra mortis periculum, aut extra tempus suscipiendæ Eucharistiæ; sed quia opus consilii est, sæpiùs confiteri ob magnas utilitates & uberes fructus, qui ex frequenti confessionis sacramento percipiuntur. *Ib. n.* 14.

11. Sit *nuda*, id est, non palliata, aut verborum obscuritate & involucris velata *Ib n.* 15.

12 Sit *discreta*, scilicet ut pœnitens eligat Confessarium eruditum, & probum, qui sciat discernere inter lepram & lepram; deindè ut cautè confiteatur sua peccata, præsertim impudica & carnalia, non descendendo ad singulos actus, qui tamquam media & principia ad peccata completa solent adhiberi, ut sunt tactus & oscula respectu copulæ; sufficit enim explicare copulam tacitis osculis & tactibus, qui copulam præcesserunt. *Ib. n* 17.

13. Sit *libens*, ita ut adsit voluntas & intentio confitendi; & ut confessio fiat cum omni voluntario excludente quodlibet involuntarium *Ib. n.* 18.

14 Sit *verecunda*, id est ut pœnitens erubescat apud seipsum de turpitudine & fœditate animæ propriæ; non erubescat tamen confiteri peccata sua; & hac occasione observare debet Confessarius, ne pœnitentem deterreat verbis duris & asperis, ne illum retrahat à confessione. *Ib. n.* 19.

15. Sit *integra*, ita ut omnia peccata mortalia numquam aliàs confessa, sigillatim exprimantur *Ib n.* 20.

16. Sit *secreta*, id est, secrétò fiat, & soli Sacerdoti: unde nemo tenetur per se loquendo confessionem facere per interpretem, illicitumque est, saltem sub veniali, confiteri peccata alio audiente, nam absque justa causa prodigitur fama propria. *Ib n.* 21 *& seq.*

17. Sit *lacrymabilis*, non quòd ad ipsam requirantur exteriores lacrymæ; sed quia necessarius est internus animi dolor. *Ib. n.* 26.

18. Sit *accelerata*, ita ut peccator sua crimina quamprimùm confiteatur; non est tamen necesse ut peccator statim post peccatum confiteatur. *Ib. n.* 27.

19. Sit *fortis*, ita ut pœnitens non se sinat tentationibus superare ad negligendam, & omittendam confessionem, vel ad aliquid præ pudore, vel timore in confessione prætermittendum. *Ib. num.* 28.

20. Sit *accusans*, ita ut pœnitens se accuset, sibique imputet peccata; non verò ea laudet, aut excuset. *ib. n.* 29.

21. Sit *parere parata*, ita ut pœnitens paratus sit obedire Confessario in his, in quibus tenetur obedientiam præstare ut in vitandis occasionibus, in acceptanda pœnitentia, &c. *Ib. nu.* 30.

22. In confessione necessariò explicanda sunt peccata quoad species morales, non autem quoad species physicas; non enim tenetur species animalium explicare, qui peccatum cum animalibus commisit specie diversis; neque explicandi sunt actus non interrupti circa eumdem finem; & qui peccavit divinando, satisfacere videtur dicendo, se toties peccasse divinando, quamvis non exprimat id, per quod divinavit. *ib.* §. 3. *difficult* 1 *n.* 2. *& seq.*

23. Aperienda est circumstantia in confessione, propter quam peccatum mortale fiat veniale, & è contra. Similiter exponens se periculo alicujus peccati, tenetur illius circumstantiam fateri, v. g. concupiscens feminam in communi, tenetur in confessione dicere se feminam in communi concupivisse, aut aliquam, cujus statum ignorabat. Et si hujusmodi circumstantiam mortalem pœnitens oblitus sit in prima confessione, tenetur illam in alia confessione iterum explicare; suntque omnia peccata mortalia distinctè explicanda quoad numerum; sufficiet tamen uno verbo fateri numerum peccatorum unius speciei, puta, toties pejeravi, toties Missam non audivi in die festo, &c. Unde qui fornicatus est, debet numerum fornicationum exprimere; & qui multoties furatus est, non satisfacit dicendo, se tantum furripuisse, si id furripuerit diversis vicibus interruptis. Similiter explicandi sunt actus odii sæpiùs repetiti, & moraliter interrupti. *ib. n.* 6 *& seq. & diffic* 2. *n.* 2. *& seq.*

24 Pœnitens tenetur numerum certum, & notabilem peccatorum in alia confessione aperire, cujus non recordabatur in prima: & Confessarius tenetur numerum personarum quantum potest exprimere, quorum confessiones successivè audivit in peccato mortali. *ib. n.* 6. *&* 7.

25. Audiens confessiones in peccato, non peccat mortaliter, si propositum habeat pœnitendi, antequam pœnitentem absolvat. *ib. n.* 8.

26. Pœnitens tenetur ne confiteri peccata nota Confessario extra confessionem, & actus externos necessariò in con-

fessio-

fessione explicare? Resp. teneri; sufficit tamen explicare actum principalem, relictis minùs principalibus; nisi essent principia & dispositiones alterius copulæ, & alterius peccati, quales sunt tactus & oscula post finitam priorem copulam. *ib. n.* 10. *& seq*

27. Faciens confessionem generalem non tenetur confiteri omnia mortalia, aliàs ritè explicata; neq; satisfaceret qui carens mortalibus diceret in genere se venialiter peccasse, non explicata specie vel numero peccatorum *Ib. n.* 14. *& 15*

28. Potest absolvi, qui scit se peccatum admisisse, sed dubitat an illud mortale sit, an veniale: exhibet enim certam & determinatam materiam, quamvis non sit determinata, quo ad gravitatem peccati. *ib. n.* 16.

29. Pœnitens qui propter consuetudinem peccandi, non potest peccata sua quoad certum & determinatum numerũ explicare, satisfacit dicendo, se talem peccandi consuetudinem tamdiu habuisse, v. g. pejerandi, blasphemandi, vel furandi toties in die; sicut etiam satisfaceret concubinarius, dicendo se tamdiu usum fuisse concubina loco uxoris; & meretrix explicando tempus, quo fuit omnibus exposita, si non recordetur numeri certi. *ibid. n.* 18. *& seq.*

30. Retinens rem alienam, quam potuit domino restituere, satisfacit, explicando tempus, quo rem detinuit, & domino non restituit. *ib. n.* 21.

31. Denique numerus peccatorum exprimendus in confessione, facilè cognosci poterit ex multiplicatione actuum voluntatis moraliter interruptorum: tunc autem moraliter interrumpitur actus voluntatis, quoties aliquis nec formaliter, nec virtualiter persistit in priori voluntate. *ib. n.* 22.

32. Circumstantia peccati aperienda est in confessione, quando mutat speciem. Circumstantia autem peccati est quædam conditio non pertinens ad substantiam actus peccati, sed aliquo modo attingens ipsum actum. Circumstantiarum autem aliarum, aliæ sunt impertinentes, aliæ augentes, vel minuentes notabiliter; aliæ mutantes speciem, quales sunt quæ de peccato mortali efficiunt veniale, & è contrà; aut quæ novam peccati speciem addunt, ut est circumstantia voti castitatis in peccato luxuriæ; aut circumstantia loci sacri in homicidio, &c. *ib. difficult.* 3. *n.* 1. *& 2.*

33. Circumstantiæ ex quibus augeri vel minui potest peccatum, vel illi nova species addi, possunt ad has septem revocari, quæ hoc versu exprimuntur: Quis,

Quis, quid, uli, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

34. Circumstantiæ notabiliter minuentes non sunt necessariò exprimendæ, nisi speciem mutent : neque similiter aggravantes intra eamdem speciem. *Ib. n. 3. 4. & 5.*

35. Vir carnaliter peccans, non tenetur in confessione dicere, se anteà virginem fuisse, vel non fuisse: secus dicendum de eo, qui virginem concupivit, aut defloravit; tenetur enim circumstantiam virginis fateri, quamvis illam consentientem defloraverit. *Ib. n. 7. & 8.*

36. Confessarius carnaliter cognoscens pœnitentem, non tenetur istam circumstantiam aperire; nam copula cum pœnitente non habet specialem malitiam necessariò exprimendam; modò Confessarius non sollicitaverit illam in confessione: secus dicendum de circumstantia affinitatis, quæ est exprimenda, imò verò explicandi sunt incestus. *Ib. num. 9. & 10.*

37. Conjugatus, qui peccavit cum soluta, aut alius cum moniali, debet has circumstantias aperire; similiter habens votum castitatis, si peccat cum fœmina eodem voto adstricta, tenetur utramque circumstantiam exprimere. *Ibid. n. 11. & seq.*

38 Qui fornicatus est cum tribus fœminis, non tenetur dicere se tres fœminas carnaliter cognovisse, sed satisfacit dicendo, se ter fornicatum fuisse; explicanda tamen erit circumstantia injuriæ illatæ parti, vel superiori; sicut etiam tenetur numerum personarum explicare, qui plures uno actu percussit, vel diffamavit. Explicanda quoque est quantitas furti, & damni illati; nec satisfaceret, qui occiso homine diceret se hominem percussisse. *Ib n. 14. & seq.*

39. Præterea qui fuit causa scandali, tenetur circumstantiam inductionis, & cooperationis ad peccatum explicare; quoties explicato actu principali, non est sufficienter explicata. & qui detrahunt coram pluribus, aut de rebus turpibus loquuntur, tenentur in confessione numerum exprimere personarum, quibuscum detractionis peccatum commiserunt *ib. n. 19 & seq.*

40. Consuetudo peccandi, aut circumstantia ingratitudinis, non est necessariò explicanda in confessione. *ib. n. 22. & 23.*

41. O-

41. Omittens Missæ sacrum in die festo duplicato, satisfacit dicendo se Missam in die festo prætermisisse, etiamsi id fecerit causa studii; secus dicendum de eo, qui furaretur ad mœchandum: tenetur enim hanc circumstantiam explicare; sicut & qui furatus est calamum, ut incitaret alterum ad blasphemandum, tenetur hujusmodi finis circumstantiam manifestare. *ib n.* 24. *& seq.*

42. Circumstantiæ temporis, modi, durationis, &c. non sunt necessario exprimendæ. Unde qui peccavit in die festo, non tenetur hanc circumstantiam exprimere; quia circumstantia diei festi non superaddit peccato distinctam speciei malitiam. *ib. n.* 28. *&* 29.

43. Dubitans se peccatum mortale commisisse, aut se veneream delectationem habuisse, tenetur ad confessionem illius dubii; & à fortiore tenetur quis peccatum confiteri, quod dubitat an aliàs sit confessus. Quæ diximus, intellige de dubio propriè dicto, non verò de opinione. *ib. diffic.* 4. *num.* 1. *& seq.*

44 Qui confitetur peccatum certum, de quo dubitat an aliàs confessus sit, tenetur hoc dubium in confessione explicare. *ib. n.* 5.

Causæ excusantes ab integritate confessionis.

45 Tres sunt; ignorantia, vel oblivio; impotentia loquendi; & notabilis utilitas Sacerdotis, vel pœnitentis. *ibid.* §. 4. *n* 1.

Excusatur pœnitens qui in puerili ætate conticuit aliquod peccatum, ignorans se teneri ad illius confessionem. *ib. n.* 2.

Similiter excusatur is qui ex oblivione non culpabili obliviscitur alicujus peccati. Idem dicendum de pœnitente, cui subitò Confessarius contulit absolutionem, antequam integrè pœnitens fassus fuisset sua peccata. *ib. n.* 3. *&* 4.

Excusatur Confessarius qui non potest confiteri peccatum in confessione commissum, nisi complicem manifestet. *ib. nu.* 5.

46. Mutus qui sua peccata confitetur signis & nutibus, absolvendus est, saltem tempore præcepti urgentis. Idem dic de extraneo loquente eo idiomate, quod à Confessario non satis

satis benè percipitur, si desit alius Sacerdos, qui ipsius idioma melius percipiat *ib. n.* 6.

Est etiam absolvendus is qui pœnitentiæ sacramentum petiit, sed adveniente Confessario obmutuit. *ib. n* 7

47 Confessarius tenetur sub conditione absolvere pœnitentem, qui in absentia Confessarii exhibuit signa contritionis; sed adveniente Confessario sensibus est destitutus, ut nullum exhibere possit signum, quo indicet se peccasse, & velle sibi pœnitentiæ sacramentum administrari; astantes tamen fatentur ipsum dedisse signa contritionis, aut confessionem petiisse: si tamen pœnitens convaluerit, tenetur in casu proposito iterùm integrè confiteri Non poterit tamen infirmum Confessarius absolvere, si ipso adveniente nulli adsint, qui fidem faciant petitæ confessionis, & infirmus non possit ullos nutus aut signa doloris exhibere præsente Confessario; sunt tamen qui contrarium sentiant, *ibid. num.* 8. *& seq.*

48. Pœnitens potest aliquod peccatum mortale reticere ad evitandum grave incommodum proprium vel alienum; aut si probabiliter timeat sibi infamiæ gravis periculum. *ib. num.* 12.

49. Infirmus qui laborat morbo contagioso, excusatur ab integra confessione, potestque validè absolvi auditis aliquibus tantùm peccatis *ib n.* 13.

50 Pœnitens potest imminente præcepto annuæ confessionis, aut in necessitate confiteri sua peccata, eo tacito, de quo grave periculum probabiliter timet. Quòd si habeat unum tantummodo peccatum de quo timet periculum, non potest præciso mortis articulo illud in genere confiteri *ibid. num.* 14 *&* 15.

51. Pœnitens non tenetur in prædictis casibus confiteri venialia, tacito eo, de quo grave periculum timet; cùm non sit præcepta confessio peccatorum venialium, sed mortalium, *ib n* 16.

52. Confessarius potest existentes in naufragio, aut alio simili periculo, absolvere non auditis omnibus peccatis, dicendo, *Vos absolvo*, *ib. n.* 17.

53. Similiter potest confessarius absolvere infirmum, quem credit statim moriturum, audito uno tantùm peccato. Idem dicendum quando infirmus nimis fatigatur in explicandis suis peccatis, *ib. n.* 18. *&* 19.

Caveat tamen pœnitens plura peccata reticere, quam postu-

postulet justa causa, aut periculum imminens; quia confessio integrè facienda est, quantum moraliter fieri potest. *ibid. nu.* 20.

54. Quæres, an pœnitens teneatur statim oblata opportunitate peccatum justa de causa prætermissum confessioni subjicere? Respondetur non teneri statim, nisi instet tempus mortis, aut præceptum annuæ confessionis. *ib. n.* 21.

Confessio quandonam iteranda.

55. Ex duplici capite oritur obligatio iterandæ confessionis; ex defectu pœnitentis, & ex defectu Confessarii.

Defectus pœnitentis sunt; quando mortale peccatum voluntariè omisit, quoties debitum dolorem non habuit, quando doluit deserere occasionem proximam peccandi, quoties voluntariè priùs absolutus fuit à peccatis quàm ab excommunicatione: nam in his omnibus prædictis casibus pœnitens tenetur iterare confessionem. *ib. punct.* 3. *n* 1.

Excusatur tamen ab iteranda confessione, qui aliquod peccatum mortale in confessione prætermisit, putans non esse mortale. Et qui bona fide confessus est majorem numerum peccatorum, non tenetur cognito numero iterùm confiteri. *ib. nu.* 6. *&* 7.

56. Confessio iteranda est ob defectum Confessarii absolventis, quoties Confessarius deficit in essentialibus: quamobrem confessio iteranda est in sequentibus defectibus. *ibid. nu.* 8.

57. Si Confessarius nondum initiatus Baptismo, vel sacerdotio, aut non habens jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, absolutionem conferat; secus dicendum de eo, qui communi errore, aut titulo colorato idoneus judicatur: nam is validè absolvit. *ib. n.* 9 *& seq.*

58. Iteranda est præterea confessio, quoties Sacerdos non habuit sufficientem intentionem absolvendi, aut prætermissum est aliquod verbum necessarium in forma. *ibid. num.* 12. *&* 13.

59 Qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto, non tenetur confessionem iterare; neque repetens confessionem, tenetur sigillatim omnia peccata repetere, si Confessarius sit idem; secus verò si sit distinctus. *ib. n.* 14. *&* 15.

60. Ex dictis sequitur confessionem, quæ non potuit una vice

vice perfici, sed iteratis vicibus perfecta est, validam esse. Similiter dicendum confitentem peccata Sacerdoti facultatem non habenti, satisfacere si eidem habenti posteà facultatem eadem peccata in genere confiteatur: nam tali modo Confessarius venit in sufficientem cognitionem status penitentis. *Ib. n.* 16. & 17.

Confessionis obligatio.

61. Omnes fideles baptizati habentes peccata mortalia commissa post Baptismum, aut in ipsa susceptione Baptismi, tenentur confiteri. *Ib punct* 4. *n.* 1.

62 Pueri usus rationis compotes, habentes conscientiam peccati mortalis, & non tamen confitentes ante duodecimum annum, non sunt puniendi ea pœna, qua puniuntur ceteri. *Ib. n.* 2 & 3.

63. Summus Pontifex etiam tenetur confiteri, non solùm jure divino, verùm etiam præcepto Ecclesiastico; teneturenim ex vi directiva, & ex honestate ad observantiam legum propria auctoritate constitutarum. *ib. n.* 4.

64. Infideles aut Catechumeni non obligantur jure divino, vel Ecclesiastico ad confessionem sacramentalem: cùm Ecclesia non exerceat judicium, nisi in eos, qui priùs per Baptismi januam ingressi sunt Ecclesiam. *Ib. n* 5.

65. Fideles habentes peccata mortalia opere externo perpetrata, aut etiam habentes sola peccata interna commissa post Baptismum, tenentur ad illorum confessionem. Item probabiliter dubitans se mortaliter peccasse, tenetur fateri peccatum, de quo dubitat. *Ib n.* 6 & 7.

66. Habens solùm peccata venialia, non tenetur confiteri; debet tamen tempore Paschatis comparere coram proprio Parocho ad evitandum scandalum, & excommunicationem *ib. n.* 8.

67 Fideles tenentur peccata mortalia, commissa post Baptismum, confiteri non solùm ex jure divino, verùm etiam Ecclesiastico: nec potest Ecclesia cum aliquo dispensare, ut numquam confiteatur, vel ut non confiteatur in articulo mortis. *ib. n* 9 & 11.

68. Omnes fideles postquam ad annos discretionis pervenerunt, tenentur confiteri semel in anno; deinde quoties volunt sacramentum Eucharistiæ sumere, si sint in peccato mor-

mortali: tertiò, quoties existunt in articulo mortis, etiamsi eodem anno confessi fuerint. *ib. n.* 12.

69. Hinc sequitur suscipientes periculosas navigationes teneri ad confessionem; sicut etiam tenentur milites instante prælio: & femina quæ primò paritura est, aut quæ aliàs peperit magno cum vitæ periculo: & infirmus graviter laborans, qui post confessionem peccavit mortaliter: & reus damnatus à judice ad mortem; existit enim in probabili mortis periculo. *ib. n.* 13. *& seq.*

70. Si Ecclesia tempus confessionis non determinasset, facienda esset confessio ex præcepto divino, juxta prudentis viri judicium. *ib. n.* 17.

71. Qui eodem anno, id est, ab uno Paschate ad sequens Pascha prætermittit confessionem & communionem, committit plura peccata, quia diverso tempore violat plura præcepta de re diversa. *ib. n.* 18.

72 Qui confitetur in Nativitate Domini, aut alio die, satisfacit præcepto annuæ confessionis. *ib. n.* 20.

73. Qui dubitat se non habiturum copiam Confessarii in articulo mortis, aut tempore constituto, tenetur confessionem præmittere. *ib. n.* 21.

74 Faciens confessionem informem, satisfacit præcepto confessionis: talis enim recipit sacramentum pœnitentiæ, quod licet sit informe, tamen validum est; secus dicendum de eo, qui non facit confessionem perfectam: talis enim non adimplet præceptum confessionis. Idem sentiendum de eo qui sua peccata confitetur, sed propria culpa non absolvitur. *ib. n.* 22. *& seq.*

75. Qui voluntariè non facit confessionem perfectam, subjicitur censuris, si quæ fortè latæ essent contra eos, qui confessionem prætermittunt; censetur enim contumax contra Ecclesiam. *ib. n.* 25.

76 Qui non est confessus anno præterito, tenetur hoc anno quamprimùm confiteri ex præcepto annuæ confessionis: annus enim non præfigitur ad finiendam, sed ad sollicitandam adimpletionem præcepti confessionis *ib. n.* 26.

77. Qui non est confessus in periculo mortis, non tenetur quamprimùm confiteri, nisi periculum mortis adhuc perseveret. *ib. n.* 28.

78. Omittens uno anno confessionem, toties peccat, quoties non confitetur oblata opportunitate. Neque differens

confessionem anni præteriti usque ad præsentem, unica confessione utrique obligationi satisfacit. *ib. n.* 30 & 31.

79. Pœnitens non tenetur quamprimùm eodem anno confiteri peccata in confessione oblita, quorum recordatur post communionem. *ib. n.* 32.

80. Committens intra eumdem annum aliquod peccatum mortale post confessionem tantummodò venialium, & communionem isto anno factam, tenetur illud statim confiteri, *ib. n.* 33.

81. Confessio facienda est Sacerdoti approbato ad excipiendas confessiones; neque potest parochus suis subditis prohibere, ne confiteantur hujusmodi Sacerdoti approbato, quia eo ipso quo talis Sacerdos, vel religiosus approbatus fuit ab Episcopo ad confessiones audiendas, censetur etiam data facultas parochianis, ut possint hujusmodi Sacerdoti peccata confiteri. Quare non potest parochus denegare Eucharistiam illi in Paschate, qui testatum facit se confessum Sacerdoti approbato. *ib. n.* 34. & *seqq.*

Causæ excusantes à confessione.

82. Excusatur, qui non habet, nec habere potest copiam Confessarii: qui probabiliter timet revelationem peccati, aut aliud grave detrimentum, licet debeat ea peccata confiteri, quæ probabiliter non timet manifestanda. Excusatur præterea is, qui non potest secretò confiteri, aut qui non potest nisi per interpretem, præciso mortis articulo. *ib. punct. ult. n.* 1. & *seq.*

83. Qui non potest aliter quàm per scripturam confiteri, tenetur, quoties urget præceptum, si commodè & sine periculo confiteri potest per scripturam: secus dicendum si non possit sine gravi incommodo. Idem dicendum de eo qui habet lubricam memoriam: sic enim non tenetur cum gravi suo incommodo & periculo peccata scribere. *ib. n.* 6. & 7.

ADDITIO.

In furto, & luxuria confitendum, an factum sit in loco sacro, vel cum re sacra: & si effusus sanguis, an in loco sacro. Quòd si quis occidit, addendum etiam fuisse patrem, fratrem, vel personam sacram; & si furatus, per vim etiam rapuisse,

puisse, si sic res facta. Sot. *l. c. vers. de die, &c.* Met. *l. c.* Nav. *ca. 6. num. 4 & 11.*

Furatus) Navar. *c. 17. num. 95.*

Actus peccatum concomitantes non sunt explicandi: unius tamen peccati continuatio explicanda; ut si quis per mensem moratus est in voluntate occidendi.

An Ecclesia vel religio aliqua possit condere leges, de repetenda confessione Dionys. Carth. 4. *d.* 17. putat non posse condere, & ideò rejiciendum statutum Cisterciensis ordinis, de confessione generali quotannis facienda, & ita docet Mart. Leodorf. 2. *p.* 4 *sentent.* 48. *dub.* 19. Ratio eorum est, quia multi DD docent, Ecclesiam hoc non posse præcipere, ut quis secundo peccata confiteatur, ut S. Thomas *quodl.* 1. *a.* 12. & Palud. *in* 4 *d.* 17. *a.* 5. sed falluntur, quia teste Navar. *c. placuit. de pœnit d. 6 num.* 118. statutum illud ordinis Cistercien sis, à duobus Pontificibus fuit approbatum, ut est in eorum privilegiis. Pro intelligentia notandum, dupliciter posse aliquem obligari, ad eadem peccata secundò confitenda; 1. sine ullo prævio consensu confitentis, 2. cum consensu prævio.

Resp. 1. modò nec Ecclesiam, nec religionem posse legem condere de iteranda confessione eorumdem peccatorum: & hoc sensu DD. docent Ecclesiam id non posse præcipere, tum quia Ecclesia non obligat ad nimis ardua, tum quia efficere nequit, ut quod non est necessaria materia pœnitentiæ, sit de necessitate confitendum; hoc enim esset sacramentorum substantiam immutare, contra Trid. *sess 25. c 2.*

Resp. 2. Quòd 2. modo potest condere legem. Ita docet Henricus, *quodl.* 7 & Major. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 6. Navar. *in cap. placuit.* & Gerson *alphab.* 25. *litt. f* & ratio est, quia Papa potest sæcularibus dare facultatem confitendi religiosis, cum ea conditione, ut semel in anno eadem peccata confiteantur parocho, imò ita statuit Mart. VIII. *in extravag.* quam habet Adrian. *in* 4. *de confess q.* 5. quod videtur confirmasse Sixtus IV *in extravag. vices. tit. de treug. & pac* quamvis secundùm Sot. hujusmodi constitutiones non sint receptæ. Itaque statuta illa, quæ in religionibus sunt etiam de generali confessione facienda, obligant ex quadam conventione, & pacto eorum, quoniam voluntariè religionem illam susceperunt, quatenus religionem ingredientes, eo ipso se ejus legibus subjecerunt.

Confessorem eligere potest, qui habet curam animarum, ut parochus, & prælatus religionis exemptæ, & Vicarius Episcopi, item Cardinalis, & Decanus, & Archidiaconus: potest & Cardinalis dare suæ familiæ confessorem. vid. Nav. *in c. placuit cit. n.* 29. & 38. Tol. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 8. & 9.

Familiæ Episcopi confessor est parochus pròprius, vel Ecclesiæ cathedralis; peregrinorum verò & vagabundorum & mercatorum, vel mercimoniorum vagantium parochus loci, vel alioqui approbatus confessor. Vide Tol. *l. c. n.* 11. & 12. De peregrinorum, & vagantium confessario Joan. Medin. *q.* 31 *l. c.*

Regulares non possunt laicorum, aut etiam clericorum sæcularium confessiones audire, nisi à suis prælatis ad hoc munus propositi, obtineant approbationem ab Episcopis, in quorum diœcesibus confessiones sunt audituri. Prælati tamen regulares possunt probabiliter audire sæcularium confessiones sine approbatione Episcopi. Ita DD. Salmanticenses apud Ant. de Spiritu S. *de pœn. tr.* 5. *d.* 13 *sect.* 4. *n.* 861 contrarium probabilius. Non potest Episcopus quem reperierit & doctrina, & aliis requisitis idoneum non approbare; neque quem prævio examine, ut simpliciter idoneum semel approbarit, rursus examinare; potest ejus tamen successor.

Probabilis est sententia, asserens regulares approbatos in una diœcesi posse in alia, & ubique terrarum audire confessiones, Ita juxta Clem. 7. & Sixt. V. Cordub. Præpos. Coninch. Baun. Mart. à S. Joseph, Amicus, &c. quos refert & sequitur Ant. à Spiritu S. in direct. confess. *de pœn. t.* 5. *d.* 13 *sect.* 13. *n.* 869. contraria probabilior est.

Parochi possunt sibi eligere confessorem sacerdotem simplicem non approbatum ab Episcopo, etiam post Tridentinum. conceditur hoc in *cap. fin. de pœnit.* omnibus superioribus, habentibus etiam alium superiorem; sed hoc privilegium ample accipiendum est: ergo. Neque hoc privilegium à Tridentino revocatum, cum sit insertum corpori juri; cui non videtur derogandum. Anton. à Spiritu *S. ib. d.* 12. *sect.* 1. *n.* 835.

Quisquis sæcularis & regularis potest sibi eligere sacerdotem simplicem ad confessionem venialium, & mortalium semel

semel confessorum: quia hæc potestas ab Ecclesia simplicibus sacerdotibus communicatur; nec ullus Papâ inferior hanc auferre potest. Ita cum Perez. Anton. à Spiritu S. *ubi sup. sect. 2. n. 840 &c.*

Moniales subjectæ regularibus possunt confiteri sacerdoti regulari vel sæculari, à suis Prælatis regularibus designato; etsi non sit ab Episcopo approbatus; secus si sint subjectæ Episcopo, tum ab hoc approbandus. Ita cum multis Anto. à Spiritu S *de pœn. tr. 5. d. 13. sect. 2. n. 856.* nec obstat Bulla Greg xv. quæ necdum executioni mandata & publicata, sed suspensa. Idem *ibid.* Procedit hoc, inquam, in regularibus exemptis, secundum S. Cong Card. declarationem in *constit. 18. Greg. xv. edit. an. 1621.*

Approbatus in uno Episcopatu, sive sæcularis, sive regularis an per bullam aut jubilæum possit eligi in toto orbe? alii dicunt confessorem eligendum esse approbatum ab Episcopo confessarii: alii ab Episcopo pœnitentis; alii ab Episcopo loci actu confitentis: alii denique probabiliter dicunt sufficere approbatum à quocunque ordinario, quorum 15. vide apud Anton à Spiritu S. *de pœn. d 13 sect. 6. n. 903.*

Habere ordinariè duos confessores, alterum cui gravia dicas, alterum cui levia, ut probus habearis, quidam dicunt esse p. m. ob illusum confessorem; secus verò esse, si semel ac iterum fiat ob pudorem & verecundiam. Vide Vival. *l. c. n. 63.* Sylv. *l. c. §. 6* Vict. *num. 96.* Navar *c 21. nu. 40* dicit, id p. m esse cùm hoc fit in finem mortiferum; & bonum esse, si bonus sit finis, ut leviora, alii graviora explicare, ad retinendam existimationem, contr. Syl.

Potest confessor jurare se nihil scire, imò nihil se audisse tale in confessione, subintelligendo, sic, ut dicere teneatur: eodemque modo potest pœnitens jurare se nihil, aut nihil tale dixisse in confessione. Nav. *ib. n. 22.* Val. *p. 3. l. c.* Sic ut) Nav. *ib. nu. 10.*

Non est contra sigillũ dicere, iste mihi confessus est peccata sua, vel peccata venialia, modò nihil prodat in particulari

Usurarius publicus non est admittendus ad confessionem antequam det cautionem de restitutione usurarum. vid. *c. quamquam de usur. l. 6.* Tol. *l. 5 c. 36*

Confessor in gravioribus dubitationibus non potest quãcumque opinionem, quæ illi (per errorem forsitan) probabilis videri posset, amplecti; sed doctiores, piosque confessa-

rios consulere tenetur, ne temeritate ductus animabus periculum creet, sibique exitium infelix, ex Salon. *in* 2.2.*q* 65. *art.* 4 *contr.* 2. *col pen.*

Quando confessor uti possit notitia confessionis, docet Sot. *l. cit. de rat. teg.* vide de hac re Sanchez fusè differentem, *l.* 3. *c* 16 *n* 2. ubi relicta communi sententia, putat confessarium ita debere se gerere, ac si nihil audivisset ita Fu. *confessor. n.* 7. Bann. 2. 2. *q* 33. *art.* 8. *ad fin.* Hoc suis præcipit confessariis Claud Aquav Præpos. Gener S.I. & Clemens VIII. anno 1594. die 26. mens. Jan Regularibus præcepit, ne notitia confessionis utantur ad externam gubernationem.

Confirmatio.

Vide v. *Sacramentum.*

1. Confirmatio est sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum chrismate, & præscripta verborum forma, ad fidei robur consequendum. Hoc sacramentum fuit institutum in die ultimæ Cœnæ, quo ad materiam & formam; non verò quando Christus parvulis manum imponebat. Non est nec[illegible]arium necessitate medii, neque necessitate præcepti. Unde non peccat mortaliter, secluso contemptu, vel alia circumstantia, qui confirmationem sponte omittit. Minister Confirmationis, regulariter loquendo, est Episcopus ordinatus; nullusque præter Episcopum potest consecrare Chrisma. *tom.* 1 *de Confirmatione, disp.* 3. *quæst. unic. punct.* 1. *n.* 1. *& seq.*

2. Summus Pontifex potest committere facultatem confirmandi simplici Sacerdoti. Potest Episcopus degradatus & excommunicatus validè confirmare, etiamsi ipse confirmatus non esset; non potest tamen Episcopus confirmare, & actus Pontificales exercere extra suam diœcesim: secus dicendum de prima tonsura, quam conferre potest in alterius diœcesi. *ib. punct.* 2. *n.* 5. *& seq.*

3. Abbas qui non est Episcopus, non potest confirmare, sicut nec simplex Sacerdos de licentia Episcopi tantùm. *ib. n.* 7. *&* 8.

4. Suscepturus hoc sacramentum habeat intentionem formalem, aut virtualem, similiter & gratiam. Nec suscipiens, nec administrans debet esse necessario jejunus; nec administrare necesse est in die festo. *ib. n.* 13.

5. An

5. An sit necesse conferre Confirmationem in Ecclesia, alii affirmant, alii negant: servanda in hac re consuetudo. *ib. num.* 14

6. Materia remota sacramenti confirmationis est chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum admixto balsamo, cujuscunque loci sit, benedicto ab Episcopo consecrato. *ib. pu. 3, num.* 1.

7. Ex quo patet balsamum esse de necessitate sacramenti, & chrisma quod est materia Confirmationis, necessariò benedicendum esse ab Episcopo, non à simplici Sacerdote. *ib. num* 2. & 3.

8. Materia proxima Confirmationis est unctio facta in formam crucis necessariò in fronte. Modica quantitas ad unctionem Confirmationis sufficiens est. *ib. n.* 4 *& seq.*

9. Forma Confirmationis est ista: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* In hac forma non licet mutare verba quoad sensum substantialem, requiriturque expressio sanctissimæ Trinitatis *ib. n.* 7. *& seq.*

10 Confirmationis effectus sunt, conferre gratiam habitualem, & exprimere characterem. *ib punct.* 4. *n.* 1. *& seq.*

11. Subjectum seu susceptor Confirmationis est omnis homo baptizatus, sive sit adultus, sive infans; etiam nondum rationis usum habens, sive amentes. *ib. n.* 2. *& seq.*

12. In suscipiente Confirmationem requiritur intentio & gratia. Recipientem primam tonsuram, vel ordines ante confirmationem peccare, sunt qui negent, sunt qui affirmēt. Omissio colaphi non videtur peccatum mortale, impingitur tamen, tum ut confirmatus intelligat se debere pati injurias pro fide Christiana; tum ut recordetur se hoc sacramento semel initiatum esse. *ib. n* 7 *& seq.*

13. Dubitans an sit confirmatus, iterum est confirmandus sub conditione, *si non es confirmatus. Ib. n.* 10.

ADDITIO.

Chrisma oportet esse unius anni, nam vetus comburendum in Ecclesia. *c, si quis de alio, de consecr. d.* 4. Suar. *d.* 38, 52. Bellar. *t.* 1. *l.* 4 *c.* 6. *de verb. Dei, non script.* Sylv. *verb. oleum,* dicit, crimen esse uti oleo veteri.

Omittere cereum, aut colaphum, non est peccatum mortale.

In necessitate idem potest esse patrinus, qui fuit in baptismo. Sylv *l. c. num. 4. in fin.*

Patrinum oportet esse confirmatum. Cajet. *in baptismate, de conf. d. 4.*

Episcopus vinctus etiam excommunicationis vinculo ob hæresin, valide potest confirmare. Suar *l. c. sect.* 1. etiam si sit degradatus *ex Flor. & Trid.* Unus tantùm debet esse patrinus; si tamen plures adhibeantur, omnes contrahunt. Suar. *l. c. q. 72, comm. art. 10. ex c. quamvis de cogn. spirit. l.* 6. Sylv. *c.* 4. Tol tamen *l. 2. c. 24. n.* 11. duos patrinos, ut in baptismo, esse posse dicit.

Contractus.

Vide v. *Restitutio, Emptio, Monopolia, Societas, Locatio.*

1. Contractus est actus externus inter duos, vel plures ex consensu ipsorum ultro citroque obligationem pariens, saltem in foro conscientiæ; modò non sit irritus jure naturæ, vel positivo. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 1. p. 1. n. 1. & 2.*

2. Contractus multiplex est: alius est oneroſus, per quem onus imponitur; alius lucrativus, seu gratuitus, quo aliquid promittitur, vel traditur absque pretio, vel mercede: qualis contractus est commodatum, mutuum, precarium, depositum & testamentum. Alius fit in gratiam recipientis tantùm, ut mutuum; alius in gratiam tradentis tantùm, ut ordinariè contingit in deposito: alius denique fit in gratiam & bonum utriusque, ut emptio permutatio, pignus, &c. Alius est simplex & absolutus, & alius conditionalis; alius licitus, & alius illicitus; alius perpetuus, alius temporalis; alius nominatus, & alius innominatus. Contractus nominatus est, qui proprium habet nomen, qualis est emptio, venditio, &c. Innominatus dicitur ille, qui proprio caret nomine, & hujus contractus innominati quatuor sunt species, *do ut des*; ut si tradas Caio panem, ut tibi tradat vinum; *facio ut des*, ut si servias Caio, ut te doceat; *do ut facias*, ut si labores pro Caio, ut det tibi panem; *facio ut facias*, ut si Caius laboret pro te, & tu pro illo. Alius contractus dicitur bonæ fidei, in quo judex judicat ex æquo & bono, non ex rigore legis & juris scripti: alius dicitur stricti juris, in quo judex judicat ex rigore legis & pactionis, adstrictus ad verba,

ba, qualis contractus videtur donatio, assecuratio, &c *i.n.21.*

5. Alii contractus perficiuntur re ipsa, alii perficiuntur verbis: & requirunt certam verborum formam, qualis est stipulatio; alii perficiuntur solo consensu exteriùs utrimque explicato, qualis est venditio: denique alius contractus dicitur pactum nudum, quod consistit in sola conventione; & alius dicitur vestitus, videlicet qui majorem habet firmitatem & robur quàm habeat nudum pactum. Vestitur autem *re ipsa*, ut si ex altera parte sit adimpletus; *verbis*, accedente forma stipulationis: *scriptura*, ut si quis fatetur sibi satisfactum esse; *juramento* & *specifico nomine contractus*, ut sint contractus nominati in suo genere perfecti. *ibid.*

4. Petes, quid nomine *quasi contractus* intelligatur? Respond. intelligi tutelam, curam, negotia, gesta, & alia quæ fiunt ex aliquo officio; sed non consurgunt ex vero contractu, *ibid. num.* 22.

5. Error circa substantiam irritat contractum. Tunc autem error contingit circa substantiam, quando contrahens credit contractum de una re inire, sed postea comperit aliam esse, ut si quis credens emere aurum, inveniat esse aurichalcum. Idem dicendum de contractu celebrato cum errore comitante. Ille autem dicitur error comitans, qui sic comitatur contractum, ut nullo modo ad eum inducat; sed eo sublato, adhuc contractus fieret. *ibid. punct.* 2. §. 1. *n.* 1. *& seq.*

6. Error circa qualitatem non irritat contractum, modò non adsit dolus dans causam contractui; quia cum hujusmodi errore adest consensus sufficiens ad contractum. *ibid. n.* 4.

7. Contractus sive lucrativus, sive onerosus, excepto matrimonio, celebratus per dolum provenientem ab altero contrahente, invalidus est jure positivo, si dolus dedit causam contractui. Et hoc idem dicendum est de contractu celebrato per dolum dantem causam contractui, adhibitum ab utroque contrahente, quorum uterque ignorabat alterius dolum. Et contrahens qui invincibiliter deceptus est à tertio, non tenetur cognito errore ac dolo contractum adimplere, si contractus nondum est utrimque, vel ex altera parte adimpletus; quia non est obligatio adimplendi contractum, quando supervenit notabilis mutatio. Quòd si deceptus velit persistere in contractu, decipiens non tenetur ante judicis sententiam stare contractui, & illum adimplere; quia contractus onerosus censetur cum hac tacita conditio-

ditione celebratus, *obligo me, si tu te obliges*; deceptus autem non se obligat verum tamen est decipientem teneri ad restitutionem omnium damnorum, quæ passus est deceptus. *Ibid.* § 2. *n.* 3 *& seq.*

8. Contractus celebratus per dolum incidentem in contractum, validus est in utroque foro; adest enim consensus sufficiens ad contrahendum, cum contrahens consentiat, & adhuc consensisset, & contraxisset remoto dolo. *ibid. n.* 6.

Accepta per simulationem, vel hypocrisim, vel per dolum, vel per mendacia sunt restituenda, si dolus versetur circa causam finalem & motivam; secus si tantum circa causam impulsivam; hinc fit, ut qui se finxit pauperem, & obtinuit eleemosynam, vel simulavit consanguinitatem, & ob id pecuniam recepit, teneatur restitutionem ipsimet tradenti facere! quamquam multi Doctores velint eam faciendam esse pauperibus. Idem militat in illis quoque, qui ob fictionem aliquam adhibitam admittuntur ad Hospitalem domum, vel ad aliquod collegium. *ibid.* § 9. & 10.

9. Contractus celebratus per metum gravem, seu cadentem in constantem virum, aut per metum levem, validus est jure naturæ; adest enim sufficiens consensus & sufficiens voluntarium, cùm metus non tollat voluntarium simpliciter, *ex Aristot. 3. Et hic. cap.* 1. & validus est quoque jure positivo, exceptis quibusdam casibus, videlicet contractu matrimonii & sponsalium, dotis promissæ vel solutæ, renuntiationis beneficii factæ per metum, & donationis, ac eorum quæ vim habent donationis. *ibid.* §. 3. *n.* 2. & 3.

10. Contractus celebratus per metum gravem, aut levem, injustè incussum ab homine, ad extorquendum contractum, irritandus est ad arbitrium ejus qui passus est metum. Excipitur ab hac doctrina matrimonium metu levi celebratum, quod ubi semel validè celebratum fuerit, non potest irritari quidquid dicat Sanchez *lib.* 4. *de matrim. d.* 17. *n.* 4. Idem dic de voto solemni emisso cum metu levi. Nec refert ad rescissionem contractus, quòd metus incussus fuerit à tertia persona, absque participatione alterius contrahentis *ibid. n.* 4 & 5.

11. Contractus celebratus per metum juste incussum ad extorquendum consensum, non est rescindendus; propterea acquisita in contractu celebrato per metum gravem, aut levem, justè incussum, non sunt restituenda; secus dicendum

dum de extortis per metum injustum, nam cogens fecit injuriam tradenti. *ibid. n. 6. & seq.*

Adverte autem hanc esse differentiam inter metum gravem, & levem, quòd pro metu gravi datur actio in foro externo ad rescindendum contractum; non verò dari solet pro metu levi, ne multiplicentur lites. *ibid n. 8.*

12. Contractus celebratus sine solemnitate substantiali requisita à jure, invalidus est non solùm in foro externo, verùm etiam in foro conscientiæ, excepto testamento causa pietatis facto Hinc sequitur invalidam esse alienationem, & invalidos esse pupillorum contractus celebratos sine auctoritate curatorum, vel tutorum, de re immobili vel pretiosa, quæ servando servari potest. Item accepta per contractum gratuitum sine solemnitate substantiali celebratum, restituenda esse, etiam ante judicis sententiam Item hæredem institutum in testamento minùs solemni, id est, sine solemnitate requisita à jure, non esse tutum in conscientia, retinendo hæreditatem invitis heredibus venientibus ab intestato; quamvis multi Doctores oppositum magna cum probabilitate sentiant. Item eum, cui res aliqua legato relicta fuit in testamento minùs solemni, non posse uti occulta compensatione, vel eam clàm surripere, quando eam alia ratione consequi non potest. Item heredem non teneri in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quàm ipse testator expressit in schedula scripta, vel scripta propria manu; nam illa scriptura non habet vim testamenti, cùm careat solemnitate requisita à jure Habet tamen illa scriptura vim testamenti inter liberos. *ibid. punct. 3. num. 2. 3 4. 9. 10. 13. & 14.*

13 Dictum est paulò antè ad valorem testamenti causa pietatis facti non requiri solemnitatem juris civilis, sed sufficere solemnitatem juris gentium; consequenter dicendum, ergo feminam posse adhiberi in testem in testamento ad causas pias, cùm illa jure gentium possit esse testis. *ibid. n. 15.*

14. Petes, an testamentum principaliter causa pietatis factum sine solemnitate requisita à jure, validum sit etiam quoad legata profana in eo contenta, & relicta laicis ex nulla causa pietatis? ? Respond invalidum esse quoad hujusmodi legata profana, cùm hæc subsint dispositioni juris civilis. At valida erunt legata pia contenta in testamento invalido ob defectum solemnitatis requisitæ à jure; quia non irritantur

à jure Canonico, cùm non constet ubinam irritentur; neq
à jure civili, cùm jus civile non habeat potestatem cir
causas pias. *ibid. n.* 18. *& seq.*

15. Contractus seu dispositio facta ob causam finalem
subsistente causa finali, valida est; ea verò non subsistente
invalida est; nisi aliter constet, vel rationabiliter præsumatur de voluntate disponentis. Et hoc verum est, etiamsi
sit error vel dolus circa causam impulsivam. Similiter val
dus est contractus & dispositio modalis, seu facta sub mod
quamvis modus non adimpleatur; dummodò tamen m
dus non sit contrarius substantiæ contractus, & dispositi
nis cui apponitur. *ibid. punct. 4. n. 2. & seq.*

16. Donatio facta sub modo, potestne revocari, si dona
tarius non adimplevit modum, sub quo facta fuit donati
ex gr. Cajus qui dono dedit centum Titio ut nuberet, po
testne revocare rem donatam, si Titius non nupsit? Non
potest: modo ille modus sub quo facta fuit donatio, non
fuerit causa finalis, sed solùm impulsiva; cùm valida sit dis
positio non subsistente causa impulsiva, modò finalis causa
subsistat. *ibid. n. 5 & seq.*

17. Error in demonstratione per se non vitiat dispositio
nem, seu contractum; modò demonstratio non apponatur
per modum conditionis, vel causæ, & error demonstratio
nis non redundatur in errorem substantiæ, vel personæ; seu
modo constet de re & de persona; quia hujusmodi error est
tantùm error qualitatis, unde valent hæ dispositiones: *Dono
tibi meum prædium Sempronianum, quod est quinquaginta ju
gerum*, etiamsi prædiũ illud non constet tot jugeribus. Item
dono tibi meum equum, quem emi in regno Neapolitano, etiam
equus verè non sit emptus in regno Neapolitano, &c. *ibid.*

18. Contractus & dispositio facta sub conditione hone
sta & possibili de futuro eventu incerto adjecto in ipsomet
contractu, non est valida ante conditionis eventum: posito
verò conditionis eventu, valida est, ac si ab initio fuisset pu
rè & absolutè celebrata; neque novus consensus requiritur
secus si conditio sit turpis, aut impossibilis. *ibid. n.* 10.

19. Quæres, an contractus celebratus sub conditione ta
cita, vel sub hac conditione, *si Deo placuerit*, vel, *si Deus vo
luerit*, suspendatur & reddatur conditionalis? Respond. ne
gativè, si intelligatur de voluntate, qua Deus omnia qua
fiunt, permittit: secus si dicatur, *si placuerit Ecclesiæ*; contra
ctus

ctus enim censetur factus sub conditione approbationis faciendæ ab Ecclesia. *ibid num.* 11. *&* 12.

20. Qui donavit, vel disposuit de re aliqua sub conditione, non potest, secluſa donatione causa mortis, ante conditionis eventum resilire à donatione, vel dispositione: verum quidem est, liberaliter promittentem posse resilire ante acceptationem. *ibid. num.* 13.

21. Quilibet usu rationis præditus potest contrahere; modò habeat administrationem bonorum de quibus contracturus est, nec à jure impediatur: hinc sequitur, amentes, furiosos, & infantes, qui nondum rationis usum attigerunt, non posse validè contrahere: neque prodigum, cui prohibita est à jure administratio suorum bonorum; neque pupillum, qui nondum pervenit ad decimumquartum annum, sine licentia tutoris; & minorem, qui nondum pervenit ad vigesimum quintum annum, posse jure communi absque licentia curatoris contrahere: verum tamen est tam pupillum quàm minorem posse sine licentia tutoris aut curatoris contrahere in sui commodum, sibique alios obligare; modò minor contrahat cum majore, non verò cum minore gaudente simili privilegio *ibid. punct.* 5 *n.* 1. *& seq.*

22 Imò alienatio rei immobilis, vel etiam mobilis, quæ servando servari potest, facta à pupillo, vel à minore, etiam de licentia tutoris & curatoris, invalida est non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ; nisi facta sit de licentia judicis, & ex justa causa: qualis causa censetur solutio debitorum. Neque curator potest contrahere cum minore, nisi palam & bona fide contrahat; prohibetur enim contrahere; sicut etiam prohibetur tutor cum pupillo, *l. pupillus, ff. de auct. tut. ibid. n.* 7. *&* 11.

23. Petes, ex qua culpa contrahentes teneantur ad restitutionem in contractibus? Quando contractus est in utilitatem solius accipientis; accipiens tenetur ad restitutionem damni secuti: non solum ex dolo, seu calliditate, vel lata & levi; sed etiam ex levissima culpa, excepto precatio. Quare si quis ab alio commodatum sibi librum accepit, qui furto sublatus est, tenetur ad restitutionem non solùm si sublatus est ex dolo, vel lata, vel levi culpa; sed etiam ex levissima culpa ipsius accipientis. Quando verò contractus est in utilitatem solius dantis, accipiens tenetur solùm de dolo & lata culpa. Quòd si contractus sit in utilitatem utriusque contra-

contrahentis, accipiens tenetur tantummodo de dolo, lat levi; non verò de leviſſima culpâ. Ex dictis ſequitur illu cui aliquid locatur, teneri de latâ & levi culpa; quia co tractus locationis celebratur in gratiam utriuſque contr hentis; & eum cui traditur depoſitum, teneri ſolùm de lat cùm depoſitum fiat in gratiam ſolùm deponentis; modò pro depoſito non tradatur pretium: & famulos, quibus officio & ſtipendio ſpecialiter incumbit cura cuſtodiend rei domeſticæ; teneri ad reſtitutionem damni ex ſua le culpa ſecuti. Idem dic de artificibus, venditoribus, cuſto dibus rei alienæ, conductis mercede. *ibid punct. 6 n 5. & ſeq*

24. Quando res aliena perit caſu fortuito, accipiens no tenetur ad reſtitutionem; ſive rem acceperit in ſui, ſive in alterius contrahentis, ſive in utriuſque utilitatem (excep tamen pacto, culpa, & mora,) quia res non perit ipſius cul pa. *ibid. num* 21.

25. Contrahentes tenentúrne ad reſtitutionem, quand in periculo amittendi res ſuas, negligunt alienas, ut propria conſervent? Reſp. Tenentur, quando tenentur ex leviſſima culpa, ut accidit in accommodato: neque poſſunt negligere res alienas, ut conſervent proprias æqualis vel minoris pretii; ſecus ſi res propriæ ſint magis pretioſæ, quàm res aliena & alienæ magis quàm propriæ. *ibid. n. 22. & ſeq.*

Quibus competat reſtitutio in integrum.

26. Minoribus, iis videlicet, qui nondum expleverunt vigeſimum quintum ætatis annum (hi enim minores appellantur juxta jus commune) conceditur beneficium reſtitutionis in integrum, quando ſe aliquo contractu non mediocriter læſos deprehendunt, idque ſufficienter probant; uti vendiderunt rem minori pretio quàm alioquin vendere oporteret; niſi fortè adhibuerint juramentum, ſine vi, dolo & metu factum in ipſo contractu; vel ante, vel poſt contractum, quo juraverint ſe non uſuros remedio reſtitutionis; aut modò non impetraverint veniam ætatis à Principe, vel non ratificaverint contractum completis viginti quinque annis. *ibid. punct. ult. num. 2. & ſeq.*

27. Hoc privilegio reſtitutionis in integrum gaudere poſſunt minores ſpatio quatuor annorum poſt elapſum vigeſimum quintum annum, quatuor videlicet annis poſtquà

facti fuerunt majores. Neque illi, quibus ex jure municipali, seu ex statuto diminuitur ætas, possunt petere restitutionem in integrum pro contractibus celebratis à 20. usque ad 25. annum, quia alioqui frustra censeretur factus major *ibid. num.* 11 & 12.

28. Et non solùm in contractibus per seipsos celebratis hoc privilegio restitutionis in integrum (etiam fructuum) uti possunt minores, & eorum hæredes; verùm etiam in contractibus celebratis per tutorem, vel curatorem, etiamsi contractus initus fuerit cum decreto judicis, modò non fuerit obtenta ætatis venia; secus si minor celebraverit contractum obtenta à Principe, vel Regiis senatoribus venia ætatis; nam ea obtenta reputatur major. *ibid. n* 13. & 14.

29. Privilegio restitutionis in integrum non solùm gaudent minores, Respublica, & loca pia; verùm etiam homines rudes, & mulieres quæ ignorant jura. Præterea filiifamilias quoad contractus onerosos vel lucrosos de licentia patris celebratos, ad sororum dotes, vel ad alias causas. Gaudet etiam milites pro eo tempore quo militiæ operam navant. Præterea qui absunt ad negotia Reipublicæ gerenda, ne contra eos currat præscriptio. Denique gaudent etiam Principes quoad bona fisci, quæ reputatur bona reipublicæ. *ibi. n.* 25.

ADDITIO.

Regula, *Licitum est contrahentibus se invicem decipere. l. in causa* 2. §. *in pretio, ff. de minor*, procedit, quando fraus est citra dimidium justi pretii; secus si ultra dimidium: hocque ab humanis legibus permissum ad tollendas litigiorũ occasiones; lege tamen divina omnia æqualiter justeque mensuranda esse perspicuum est. D. Thom. 2. 2. *q* 77. *ar.* 1. *ad* 1, *apud Thomas. et reg.* 86.

In contractu qui Italice dicitur *scommessa*, Hispanice *Apposta*, Latine *sponsio* cùm scilicet de re aliqua alius ait, alius negat, proposito pretio ei, qui deprehendetur verum dixisse, non tenetur restituere, qui rem certò sciebat, si dolus abfuit. vid. Med. *de reb. restitut. q* 22. De hoc contractu vide Lopez *lib.* 2. *c.* 15. Garz. *cap.* 42. Molin. *d.* 508. *Si dolus*) Contrarium Garz. Mol. *loc. cit.*

Quæres: An res non necessariæ, ut canes, accipitres, gemmæ, & aliæ res pretiosæ pluris vendi possunt, quàm valeant. Sot. *lib.* 6. *de jur. & just. q.* 3. *a.* 3. secutus Victor. & Joan. Med.

Med. *de reb. restitut. q* 32. docent licitè posse remota vi, fra de, & dolo.

Si quæras ab eis, cur necessaria non possint eadem co ditione vendi carius. Respond. etiamsi sine fraude & do res necessariæ pluris vendantur, quàm valeant, tamè ei ve ditioni semper conjunctam esse quandam vim, vel coactio nem. Verùm contraria sententia est probabilior, quam tra dit Cajet. *q.* 77. S. Thom. 2. 2. *& in opusc. ult. tom.* 1. *resp.* 2 & est communis Probatur ex *l. pretia rerum. ff. ad leg. Falcid.* ubi dicitur, pretia rerum non ex affectu cujusquam, sed communi existimatione sumi debere 2 Probatur ratione, quia emptio & venditio, ut tales, necessario requirunt æqualitatem rei ad rem: ergo res tanti vendi debet, quantum valet.

Obiicit Sot. axioma juridicum, ad *l. quærebatur. ff. ad leg. Falcid.* tantum valere rem, quanti vendi potest; nempe sclusa vi, fraude dolo, quod maximè debet intelligi *de re non necess.* Resp. sensum axiomatis esse secundùm Sylvest. *emptio q.* 9. & Navar *c.* 23 *n.* 80. rem tanti valere, quanti vendi potest, secundùm communem æstimationem, hoc quanti vendi potest, pretio infimo, medio, & rigoroso, communiter currendo Resp. 2. Etiam in rerum non necessarium venditione esse vim aliquam, & coactionem fermè conjunctam, si carius vendantur. Dixi fermè, quia si intervenit donatio, ut quando Principes, & homines locupletes magno res parvas ducunt, ut videantur aliquid donare, & ut rem gratam faciant venditori. tum licitus esset contractus, & hoc sensu sententiam Sot. & Med. approbat Gregor. de Val. 2. 2 *disp.* 5. *q.* 20. *p.* 2.

Quæres: An licita sit olla fortunæ, **Ein Glücks-hafen**, qua homo sæpè exigua pecunia in ollam collata, lucratur magni pretii rem. Conrad. putat esse illicitam, quia nulla est æqualitas inter rem & pretium; verùm probabiliùs, esse licitam, 1. quia nulla lege divina, vel humana prohibetur; 2. quia passim in Germania ab omnibus magistratibus permittitur, & viri etiam honesti & docti ea utuntur; 3. quia in jure civili, *l si jactum retis emero ff. de contr. empt.* contractus emptionis probatur, ut licitus: quomodo quis emit certo pretio quidquid jactu retis vel piscium, vel avium est capturus. Legendus de hac re Joan. Briardus Doctor Lovan. *quæst.* 5. post quodlibeticas Adriani, & Pet Binsfeld, *lib. de usur. in navigari, q.* 4.

Quæres

Quæres : Quot modis possit mercatura reddi illicita. Resp. cum Sot. *lib. 6. de justit. q. 2. art. 2.* multis modis reddi illicitam. 1. ratione materiæ, ut si res sacra vendatur, vel si vendatur venenum. *l. quod sæpè ff. de venen.* ubi tamen additur si mixtum cum alia materia, fiat antidotum, posse vendi. 2. ratione personarum, ut si mercatura à clericis exerceatur, vel monachis. 3. ratione emptorum, ut si quis furioso vendat gladium, vel Turcis arma. 4. ratione temporis, ut si quis die festo negotiatur. 5. ratione loci, ut in templo, ut habetur in *cap. decet domum Dei. de immunit. Eccles. in 6.* Unde *Matth.* 21. Christus ejecit ementes & vendentes è templo. Cajetan. tamen *in opusc.* non putat esse peccatum negotiari in templo, per colloquia tantum, si divinum non celebretur officium Sed rectiùs Sot. *l. c.* & Med. *q.* 31. *de reb. rest.* id negant, licet addat Sot. si sine scandalo fiat, non fore peccatum mortale. 6. ratione modi, ut si mercatura fiat per usuras, mendacia, fraudes, monopolia.

Quæres: An liceat vendere eas res, quibus emptores possint abuti, ut chartas lusorias, aleas, larvas. Navarr. *c. 3. nu. 2.* & Med. *l. c.* & Gregor. de Valent. *disp. 5. q. 10. p. 3.* putant, non esse licitum, & peccare mortaliter, qui ejusmodi res omnibus indifferenter vendunt. Ludovic. quoque Pal. *in casib. Bononiensib. cas.* 48. & Lopez *lib. 1. de contract. cap.* 8. eadem de causa putant mortaliter peccare hospites, & cœnopolas, qui vendunt vinum iis, quos sciunt se eo solere inebriare. Contraria sententia est Cajet. 2. 2. *q.* 169. *ar.* 2. Franc. Victoriæ, Bannes *in q.* 77. Thom. *ar.* 4. *dub.* 1. Cum quibus resp. 1. quando merces, vel res vendendæ, secundum se sunt adiaphoræ, ut quis abutatur, vel non, posse licitè vendi quibusvis. Ratio est, quia non est mercatoris officium inquirere in mores aliorum, & judicare, quis hac, vel illa re sit abusurus; sed merces suas justo pretio indicare. 2. Quia alioqui culpandi essent sartores, qui vendunt vestes curiosas; & coci, qui delicatos cibos vendunt, quibus multi ad luxuriam abutuntur, Respond. 2. Posse etiam res easdem licitè vendi, etiamsi mercator certò sciat, emptores iis abusuros. Et probatur. 1. Quia ille non tenetur peccatum impedire aliorum, non vendendo rem suam. Ergo, nec peccant vendendo. Probatur antecedens, quia nemo tenetur amittere suum commodum temporale, ad procurandam salutem proximi sua culpa peccantis. Conseq. patet; Quia nullo modo con-

sentit ille peccato alieno. Non directè, quia non vēndit, ut alter peccet; nec indirectè, quia non tenetur impedire alterius peccatum: ille enim indirectè consentit, qui non impedit, cùm tenetur. Probatur 2. Licitum est vendere, & locare domum meretricibus, quas certò scimus in ea scortaturas, ut etiam Navar. concedit, qui etiam admittit opifices & sartores non peccare, qui vestes vel calceos pretiosos meretricibus vendunt, quibus sciunt eas peccaturas. 3. Probatur. Licet Judæis vendere agnum, quo scimus eos usuros ad sacrificandum, ut concedit Lopez, & alii, ergo.

Quæres: An monopolium sit licitum. Respond. Monopolium tribus modis posse institui. Primus est, cùm instituitur publica auctoritate magistratûs, vel Principis; ut cùm, v. g. Magistratus vult ab uno tantùm œnopola vendi vinum in parvo oppido aliquo, ut facilè illud possit haberi; vel cùm vult certum pharmacum ab uno tantùm pharmacopola vendi, ne vendantur pharmaca vitiosa: sic Imperator concedit privilegia typographis, ut ipsi soli ad certum tempus imprimant librum aliquem; ne ex impressione sua patiantur jacturam. Secundus modus est, quando mercatores inter se conspirant, & pro arbitratu suo inter se decernunt, ut omnes tanto vel tanto pretio merces suas vendant; qui vocantur monopolæ, quia omnes simul habent quasi rationem unius mercatoris. Tertius modus est, quando unus, vel alter, omnes unius generis merces coemit, ut omnes deinde ab ipso emere cogantur. Respond. ergo. Primum modum ordinariè esse licitum, quia illa privilegia conceduntur præcipuè ad utilitatem reipubl. Unde si cederent aliquando in damnum reipubl. tunc ille modus quoque redderetur illicitus, & peccaret tam is, qui ejusmodi privilegium importunè quàm qui sciens prudensque illud concedit, ut docet Navar. *cap.* 23. *num.* 92. & Lopez *lib* 1 *cap.* 12. quare typographi nostri, qui libros, quorum est usus quotidianus in Scholis, cum privilegio Cæsareo imprimunt, non excusantur à peccato, quia hujusmodi impressio cedit in damnum Reip. litterariæ; nam & tales libri cariissimè emuntur, & difficulter haberi possunt. Resp. 2. Secundum, & tertium modum ordinariè esse illicitum; 1. quidem, quia reprehenditur à SS Patribus, ut Ambros. *lib.* 3. *offic. c* 6. & Aristot. *l.* 2. *Polit. c.* 6. dicit, primum inventorem monopolii esse urbe pulsum. 2. Quia monopolæ in jure civili gravissima pœna, exilii nempe

pe & privatione bonorũ plectuntur, *Cod. de monopol.* 3. Quia ejusmodi monopoliâ ferè fiunt cum maximo damno emptorum, propterea quòd pretia rerum pro libito ipsorum decernuntur. Accedit, quod pessimo ferè fine instituantur, ut vid. caritas annonæ inducatur, ut sic cariùs suas res vendere possint. Unde rectè Sot *lib.* 6. *q.* 2. *art* 3 & Bann. *in quæst* 77. S. *Thom. art.* 1. licere tunc emptoribus, ad redimendam vexationem, vel ad vim vi repellendam monopolium apponere monopolio, id est, conspirare inter se, de non emendis mercibus, nisi pretio viliori. Dictum ordinariè esse illicitos; nam si fiant ad utilitatem Reip. sicut fecit Patr Josephus, *Gen.* 40. possunt esse licita, docet Innoc. *in c. signif. tit de pign.* & Ant. *p.* 2. *tit.* 10. 23. Qua de causa Arist. laudat eorum industriam, *loco* nimirum *cit.* qui excogitarunt monopolia.

Contritio, & Attritio.

Vide v, *Peccatum, Pœnitentia.*

1. Contritio est actus charitatis, quo quis detestatur omnia sua peccata, super omnia detestabilia; quatenus sunt malum aut offensa Dei, aut quatenus sunt contra amicitiam & voluntatem Dei, cum proposito non peccandi in futurum. Est actus elicitus ab habitu charitatis, non autem ab habitu pœnitentiæ; includitque actum dilectionis implicitè. *tom.* 1. *de Pœnitentia Sacramento, disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 1. *punct.* 1. *num.* 1 & 2.

2. Contritio propriè sumpta necessaria est necessitate præcepti; non autem medii, cùm sine ea possit justus repentè moriens salutem obtinere. Obligat præceptum contritionis per se, & vi propria in periculo mortis corporalis, vero, vel putato, quando non adest copia Confessarii. Neque tenetur peccator statim post mortale peccatum, aut omnibus diebus festis actum contritionis elicere. Similiter non tenetur homo contritionem habere de peccatis omissis, quoties memoriæ occurrunt; cùm præceptum contritionis & pœnitentiæ sit affirmativum, quod obligat tantum pro certo tempore. *ibid. punct.* 2. *n.* 4 & *seq.*

3. Attritio est dolor quidam imperfectus, quo quis detestatur peccatum ob timorem gehennæ, aut aliarum pœna-

rum: differt à contritione, quod contritio sit dolor perfectus, attritio verò imperfectus; deinde habent diversa motiva, videlicet attritio detestationem peccatorum ob metum gehennæ; contritio verò detestationem peccatorum, quatenus sunt offensa, seu malum Dei. Attritio efficax & universalis necessaria est ad suscipiendum pœnitentiæ sacramentum cum fructu, cùm attritio sit pars materiæ sacramenti, requiraturque ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum cum fructu, propositum non peccandi de cætero. *ibid. punct. 3. n. 3. & seq.*

4. Objectum materiale contritionis est peccatum commissum, & nondum dimissum, seu id quod facit inimicum Dei, seu quod est malum, & offensa Dei. Potest homo contritionis actum elicere de his, quæ trahunt ad peccatum, sive de occasionibus peccatorum; non potest tamen contritionem elicere de peccato dimisso ut sic; nam secundùm hanc rationem, peccatum non facit hominem Deo inimicum: peccatum item dimissum, quod ignoratur an sit dimissum, potest esse objectum materiale contritionis, sicuti & peccata venialia, sunt enim aliqua offensa Dei. Peccatum alienum non potest esse objectum contritionis; cum peccata aliena non efficiant nos inimicos Dei. Neque possumus per actum contritionis unum peccatum mortale detestari, non detestando cetera. *ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

5. Objectum formale contritionis est peccatum, ut est offensa Dei, vel malum Dei, vel contra amicitiam Dei; per hoc enim distinguitur actus contritionis ab actibus aliarum virtutum. *ibid. n. 11.*

6 Ad delendum singula peccata, non requiruntur singulæ contritiones, sed unus actus sufficit ad delenda omnia: neque tenemur eodem actu detestari mortalia & venialia, quia non tenemur eodem actu detestari peccata, ut sunt gravis, & ut sunt levis offensa Dei; possumusque remissionem mortalium obtinere, non obtenta remissione venialium; pro quorum remissione perfectior actus requiritur, quàm ad delenda mortalia. Neque per gratiam habitualem ut sic, delentur peccata venialia; alioqui homo justus habens gratiam habitualem, semper careret peccatis venialibus, quod non est admittendum, cùm septies in die cadat justus. *ibid punct. 5. n. 1. & seq.*

7. Nullus potest justificari per actum contritionis, nisi cogni-

cognitionem aliquam, saltem confusam, peccatorum commissorum habeat; cùm contritio sit actus voluntatis, quæ non fertur in incognitum. In his tamen casibus, quando post contritionem facienda est confessio, quando exstat obligatio restitutionis faciendæ, & quando remedium aliquod assumendum est ad evitanda peccata, his, inquam, casibus, pœnitens tenetur peccata sua distinctè recogitare; justificatus tamen, qui contritionis actum elicit unius tantummodò peccati, cujus solùm recordatur, facto diligenti peccatorum examine. *ibid. punct. 6. n. 1. & seq.*

8. Ad contritionem, & consequenter ad justificationem non requiritur certa intentio, ut contritio sit magna intensivè, intentione physica; sed sufficit quælibet contritio, licet remissa, modò sit vera contritio. Quare sufficit ut pœnitens in genere detestetur peccata super omnia detestabilia in cõmuni. Nec requiritur ad contritionem, ut pœnitens credat se non ampliùs peccaturum mortaliter; sed sufficit ut habeat propositum non ampliùs peccandi in futurum. *ibid. punct. 7. n. 3. & punct. 8. n. 3.*

9 Petes, an sicut homo de potentia Dei absoluta justificari potest sine ullo pœnitentiæ actu, ita etiam justificari possit sine ulla reali mutatione, id est, sine infusione alicujus doni incompossibilis peccato, sed sola Dei voluntate? Resp. peccatorem justificari non posse, absque reali mutatione, seu infusione alicujus doni peccato incompossibilis. *ibid. punct. 9. n. 3.*

ADDITIO.

Qui se mallet mortuum fuisse, quàm Deum offendisse, videtur contritus, si procedit ex motivo charitatis. Vide Lopez *p. 1. c. 10.*

Attritio, id est, imperfectus de peccato dolor, sufficit cum Sacramento pœnitentiæ ad gratiam impetrandam. Vide Concilium Tridentinũ. *sess 14. cap. 4.* Navarr. *cap. 1. n. 37.*

Dolor sufficiens est, cum Sacramento dolere, quòd non satis doleas; itemque displicentia de peccato, cum proposito cavendi, etiamsi displiceat ob timorem pœnæ aut peccati turpitudinem; modò adsit spes veniæ. Vide Navarr. *l. c. nu. 18, c. 10. nu. 4.*

De singulis peccatis singulas contritiones necessarias esse, dixerunt veteres, Alens. Rich. Palud. vide Sot. *l. c.* Val. *tit. 4. d. 7*

4.d.7.q.8.p.6. docet, secundum speciem, & numerum omnia peccata memoranda, & de iis sic consideratis dolendum, vel pluribus, vel uno contritionis actu. Ab hoc non videtur discrepare Sot. *l.c.conc.3.*

Peccati detestatio supra omne detestabile, vera contritio est; etiamsi non sit tam intensa, quàm temporalis mali detestatio esset. Contritio aliquando tanta esse potest, ut omnem pœnam auferat. Attritio quò major in sacramento, eò majori gratiæ infusione reficitur animus.

Contumelia.

Vide v. *Detractio.*

1. Contumelia est injuria, qua objicitur alteri crimen, vel alius defectus in ipsius præsentia; & idcircò est peccatum mortale, gravius detractione: aliquando tamen est veniale, si per jocum vel per correctionem, &c. fiat, non cum intentione lædendi ipsorum honorem. Contumelia, illusio, derisio, & subsannatio contra parentes habet specialem malitiam *tom.2. de restitutione in particulari, disp.2.q.5.punct.1. num.2. & seq.*

2. Derisio est actus quo honor alterius verbis, vel factis violatur cum intentione confundendi proximum, & inducendi erubescentiam. In derisione major contemptus reperitur, quàm in contumelia; ideò est gravius peccatum, & semper mortale, quoties adest intentio graviter confundendi proximum, vel quando manifestatur grave vitium, vel quando derisus graviter tristatur. *lb.n.9. & seq.*

3. Honor ablatus non solùm restituendus est apud ipsum dehonoratum, verùm etiam apud quos honor illius imminutus est; alioquin honor injustè ablatus, non restitueretur ad æqualitatem. *lb.punct 2.n.2.*

4. Ex honoris omissione præcisa alia circumstantia variante, v.g. contemptus, vel contumeliæ, vel scandali, non consurgit obligatio restituendi. Restituitur autem honos ablatus, vel dando locum honorificum, vel adhibendo ad mensam, propinando, &c. vel petendo veniam; quamquam petitio veniæ non est necessaria, quando restitutio honoris aliter fieri potest. *lb.n.3. & 4.*

AD-

ADDITIO.

Omnes contumeliæ, id est, injuriæ publicæ contra honorem, ejusdem sunt speciei: itemque omnes detractiones, id est, occultæ contra famam injuriæ.

Contumelia ex genere gravior est furto : potest tamen furtum ex quantitate gravius esse; quia læditur honor, qui divitiis potior. Cajetan. *vers. contumelia.*

Correctio.

Vide v. *Charitas.*

Correptio.

Corripere tenetur quisque proximum de peccato, quod certò scit esse mortale, si potest sine suo gravi damno, & credat profuturum, nec illum sine correptione emendandum, estque tempus corripiendi opportunum. Navar. *c.* 24. *n.* 12. Fu. *corrept. nu.* 2.

Cum periculo mortis non teneri privatum ad corripiendum, & prælatum sub veniali, dixit Vict. Cajet. & alii contrarium docent, & Bannes 2 2. *quæst.* 33. *art.* 3. *dub.* 4. si peccator sit in fine vitæ.

Correptionem omittere aliquándo virtus charitatis, aliquando p. m. interdum peccatum veniale. Sot. *concl.* 5.

Culpa.

Culpa lata dicitur, quam homines communiter vitare solent; levis, quam diligentes; levissima, quam diligentissimi. Vide Sylv. *culp. n.* 1. Garz. *c.* 2. *n.* 14. *de cont.* Navar. *c.* 17. *n.* 178. P. N. *l.* 2. *c.* 1 *n.* 52.

Si contractus sit in favorem unius solùm, tenetur is de culpa, etiam levissima, alter verò solum de dolo; si autem in favorem utriusque, uterque tenetur de levi. Ita Navarr. cum Jureconsultis, quod servandum in foro exteriori, alioqui in conscientia nemo tenetur, nisi de culpa lata, seu mortali: nisi aliud sit conventum; aut res esset ejusmodi, quæ exactam requireret diligentiam, & per negligentiam læsa esset; quam-

quam in iis multùm potest prudentia & æquitatis ratio quid sit agendum, decernere. Leg. Sylv. *commodatum.* 3. Nav. *l. c. n.* 179.

Culpa lata) vide Covar. *1. p. c.* 6. §. 8. *nu.* 12. *epit.* Aug. *Culpa* 6. Adrian. *de restit.* Covarr *in clem. si furiosus. 2. p.* §. 4. *n.* 9. dicens, homicidium ex levissima culpa per commissionem inducere irregularitatem, videntur sentire, teneri quempiam ad restituendum, ex levissima culpa. Sylv. *rest. 2. q. 4. mercat. de rest. c.* 5. P. N. *l. c. c.* 1, *n.* 57. *de dol. & cont.*

Curiositas.

Mortale peccatum est, velle videre id, aut scire, cujus visio, aut scientia in periculum peccandi mortaliter inducturа creditur. Leg. Nav. *c.* 23. *n.* 24. Tol. *de 7. peccat. m. c.* 12, *n.* 7. Cajet. *vers. curiositas.* & alios.

Addit:) Velle scire in mortalem finem, vel quæ sub p. m. vetita sunt; vel explicata in confessione, crimen m. est. Navar. Tol. *l. c.*

Custos.

Custos de damno tenetur, quod non impedit, cùm possit. Nav. *cap.* 17. *n.* 136. Salon. *quæst.* 62. *art.* 7. *controv.* 5. *concl.* 3. vid. Sylv. *custos.* 1.

Cum fures à culpa excusantur, ob necessitatem, potest custos dissimulare. Nav. *l. c. n.* 122.

Custos tenetur de lata & levi culpa, non de levissima. Bannes *quæst.* 62. *art.* 7. *contra Ard.*

D.

Damon.

Vide v. *Adjuratio, Divinatio, Maleficium, Observatio vana, Superstitio.*

Debitor.

Vide v. *Restitutio*

Debi-

Debitum.

Debitum solvendum æstimatione monetæ tempore contractus.

Qui debet monetam ferri metalli, in ea solvat, vel ejus æstimationem in tempore solutioni præfixo.

Si debitæ pecuniæ mutata est materia, vel pondus, solvenda est æstimatio temporis contractus; quod si solùm sit pretium mutatum, ante moram prodest id, & nocet creditori, nisi aliud sit conventum; post moram verò solvenda est æstimatio temporis, quo solvi debuit Quidam tamen dicunt solvendam maximo pretio, quo valuit post moram. Vide Tolet. *l. c. c.* 34.

Res in specie debita missa ad ejus dominum, per hominem, vulgo fidelem habitum, domino perit; quòd si mittens mala fide possidebat, ei perit, quia fuit in mora. Perit etiam domino, si apud debitorem perit ante moram sine ejus culpa, dante causam interitui. Vide Nav. *c.* 17. *n.* 185.

Pecunia debita perit creditori, qui eam tempore opportuno noluit recipere, & deposita est apud honestam personam; item, si absente creditore consignata est judici, vel deficiente judice, honestis personis. Vide Nav. *c. noli putare. de pœnit. dist.* 1. *n.* 9.

Debitum alicui ex promissione, vel juramento, non debetur heredibus ejus, si is, qui promisit, in illius tantùm personam intendebat.

Qui furatus est pecuniam, solùm ejus valorem debet, non autem quod ex ejus negotiatione, aut permutatione lucratus est; nisi creditor itidem fuisset lucraturus. Tol. *l.* 5 *c.* 22.

Potest creditor petere debitum ante tempus à debitore suspecto.

Debitum tibi si non potes aliter commodè recuperare, potes clam tollere; modò cures, ne creditor iterum solvat, & id fiat sine scandalo, vel sine periculo tuo, vel alienæ famæ, aut vitæ. Neque teneris revelare, etiam si prælatus præcipiat sub pœna excommunicationis, si est probabile, quòd revelans cogeris restituere. Imò neque tenentur alii, quicumque sciunt, si certò sciant, te hoc modo justè accepisse. Syl. *verb. furtum. q.* 15.

Si creditor est in eadem necessitate cum debitore, redden-

dendum ei id, cujus non fuerat translatum dominium. Putant & quidam etiam aliud debitum quodvis reddendum nisi extrema sit debitoris necessitas, in qua etsi anteà sereditum juraſſet, non teneri; intelligebat enim, ni extrema premeret necessitas.

Si utriusque necessitas extrema sit, 4. *dist.* 16. *q.* 2. Rich. d alii creditori reddendum censent; contrarium ait Sot *l.* 4. *q.* 7. *art.* 1. *col.* 19. cum D Cajetan Lopez *p.* 1. *c.* 13. *in fin.* Nav. 17. *n.* 60. Tol *l.* 5. *c.* 24. *n.* 8.

Debitum conjugale.

Vide v. *Matrimonium, Votum.*

Decalogus.

Vide v. *Charitas, Fides, Idololatria, Schisma, Spes, Superstitio.*

Quæres: Quare præcepta Decalogi sint forma negandi ferè expressa. Resp. Id factum esse tribus de causis: 1. Quia ea forma valet ad coercendos impios à flagitiis; unde Paulus 1 *Tim.* 1. dicit, legem justo non esse positam, sed injusto. 2. Quia negatio latius patet, quàm affirmatio; ut præceptum de non habendis diis alienis, quàm de uno colendo. Nam Samaritani præter unum Deum Judæorum colebant deos suos, ut est in *lib. Reg.* 3. 3. Quia negatio apertè includit affirmationem: si enim non habendi sunt dii; ergo unus colendus pro Deo; & si committendum furtum non est; ergo debemus contenti esse præsentibus, & restituere quod furto sustulimus. Similiter sub affirmatione continetur negativum, ut sub præcepto honorandi parentes, continetur præceptum de iisdem non contemnendis. Hoc tamen differunt negativa ab affirmativis, quòd affirmativa quidem obligent semper; sed non pro semper, id est, omni tempore; non enim teneor omni momento temporis honorare parentes: negativa autem obligant semper, nullo enim tempore licet fornicari, furari, &c. illa omissionis, hæc commissionis peccato violantur.

Pri-

Primum præceptum: *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c.

1. ADoratio est exhibitio reverentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur. Adoratio alia est interna, alia externa. Item alia latriæ, quæ debetur Deo; alia hyperduliæ, quæ debetur B. Virgini; & alia duliæ, quæ debetur Sanctis. Denique alia est absoluta, quæ convenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis & adorabilis est; & alia respectiva, quæ convenit rebus ratione carentibus, quæ non propter se, sed propter alium honorantur. *tom. 2 circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quæst. 1 punct. 1, nu 1. & 4.*

2. Una persona sanctissimæ Trinitatis potest distinctè ab aliis personis adorari; modò aliæ personæ explicitè non excludantur. *ib. n. 5.*

3. Sancti in cœlis degentes adorandi sunt; imò etiam viri sancti, licet nondum relati sint in numerum Sanctorum, coli & adorari possunt cultu privato; sed non publico. *ib. punct. 2. n. 1. & 2.*

4. Christus homo, id est subsistens in natura humana & divina, adorandus est adoratione latriæ, qua adoratur sanctissima Trinitas, & singulæ personæ sanctissimæ Trinitatis: at humanitas illius per se & præcisa persona Verbi divini, adoranda est adoratione hyperduliæ. Dum autem colimus Christum, adoramus naturam humanam ut assumptam à Verbo divino, eique ineffabili unionis vinculo adnexam. *ib. n. 5. & seq.*

5. Eucharistiæ sacramentum absolutè potest adorari; & si caro aut sanguis Christi miraculosè appareat in Eucharistia, adorandus est similiter cultu latriæ. *ib n. 8.*

6. Usus sacrarum imaginum licitus est & honestus; permittendæque sunt imagines Dei & Angelorum, (licet non sint corporei, sed puri spiritus;) eos per quamdam metaphoram repræsentantes, quia Deus aliquando apparuit sub forma sensibili: imò adorari potest ipsamet imago, sed adoratione tantùm respectiva, id est propter excellentiam illius, cujus est imago. *ib punct. 3 n. 1. & seq.*

7. Potestne imago & exemplar adorari, una & eadem adoratione qua prototypum, e.g. potestne crux Christi adorari adoratione latriæ, qua Christus ipse adoratur? Potest, quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine ado-

adoratur: nam volens Christum adorare osculando, v. g. ejus crucem, apprehendit Christum ac si existeret in cruce consequenter apprehendit crucem & Christum per modum unius; & uno adorationis motu per se primò tendit in Christum, in imaginem verò & in crucem concomitanter, & propter Christum. *lb. n.* 4.

8. Lignum crucis Christi & alia instrumenta passionis quæ Christum tetegerunt, adorantur adoratione latriæ, sed respectiva: at instrumenta quæ modò conficiuntur ad repræsentanda illa instrumenta, quæ in Christi passione adhibita sunt, non possunt adorari præcisè quatenus repræsentantia instrumenta antiqua; sed quatenus connotant Christi passionem, seu Christum passum. *lb. n.* 6. *& seq.*

9. Adoranda sunt quoque nomina sacra Jesus, Mariæ, &c. adoratione respectiva, propter eum quem repræsentant, & ad quem diriguntur *lb n* 9. Item

10. Reliquiæ adorandæ sunt, & devotè custodiendæ; eademque adoratio tribui potest illis, quæ tribuitur personæ cujus sunt reliquiæ. Per *reliquias* autem intellige corpora, ossa, cineres, vestes, pannos, &c. quæ Sanctorum corpora, vel reliquias attigerunt. Adverte tamen reliquias, quæ publicè exponuntur, non esse adorandas absolutè, nisi postquam fuerint approbatæ per Papam, vel Episcopum. Imò posita approbatione Papæ, vel Episcopi, corpora quæ in uno loco existunt, absolutè adorari possunt, etiam aliis dicentibus esse in alio loco. *lb. punct.* 4. *n.* 1. *& seq.*

11 Præterea licitum est accendere cereos ad reliquias vel imagines Sanctorum, sicut & etiam reliquias ad collum appensas deferre; neque speciale peccatum committitur a eo qui delinquit dum reliquias ad collum defert; secus dicendum de eo qui eas furriperet; talis enim peccaret mortaliter peccato sacrilegii, & furti. *lb. n.* 7. *& seq.*

12. Coli similiter & adorari possunt cum Deo ut ipsius imago, agni cerei; at vendi, aut minio, auro, aliove colore pingi, sub excommunicatione prohibentur; sicut & etiam à laicis tangi: quamquam non peccant mortaliter, qui eos attingunt sine contemptu. *lb. n.* 11. *& seq.*

ADDITIO.

Tria priora primæ tabulæ præcepta divinum honorem im-

immediatè, septem reliqua secundæ tabulæ proximi utilitatem respiciunt.

Quidquid est contra aliquod ex his, lethale crimen est; nisi excusetur levitate materiæ, vel defectu deliberationis, vel defectu pleni usus rationis.

In primo præcepto latria, sive Dei adoratio præcipitur, in qua tres actus sunt Primus est, intellectus, quo Dei summam excellentiam cognoscimus. Secundus, voluntatis, quo nos Deo subjicimus. Tertius est, adorationis effectus, qua nostram subjectionem patefacimus. Actus primus est fidei, & supponitur; secundus est vera adoratio, quæ præcipitur; similiter & tertius hunc exprimens, uterque ad religionem pertinet. Invocatio, laus, honor Dei, aliaque ad religionem spectantia eodem includuntur præcepto.

Huic præcepto etiam adversatur Astrologia judiciaria, quæ à Sixto V. damnata est, ejusque professores fidei censoribus subjecti sunt Petr. Nav *lib. 2. c. 2. de rect. à nu. 25.* disputans, an astrologi astrorum scientia humanos actus liberos cognoscere queant, tres sententias proponit, negantem, affirmantem, & mediam, (quam & ipse tuetur) docentem, posse cognosci actus liberos in communi fallibiliter, & contingenter; non tamen omnes, sed illos, in quos homo à natura propendet, perspecta tamen ejus nativitate, & propensione.

An autem Astrologus teneatur restituere, quod hac arte lucratus est, docet idem *àn. 112. l. 2.*

De sortibus legatur Mart. Delrio *lib. 4. c. 4. mag. disquis.* Petr. Greg. Tholos. *lib. 34. c. 5.* Syntagm.

Secundum præceptum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

Vide v. *Adjuratio, Iuramentum, Votum.*

Tertium Decalogi præceptum: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.*

13. Sabbatum significat requiem seu cessationem, eò quòd Deus die septimo requieverit. Ecclesia diem Dominicam illius loco benè constituit, in memoriam & signum illius diei, qua Christus resurrexit; & ne videremur consentire cum Judæis quoad eorum cæremonias: hinc patet observationem

enim Dominicæ diei non esse de jure divino, sed Canonico *tom. 2. circa tertium Decalogi præceptum, disp. 5. quæst. unic. nu.* 2. & 3.

14. Festos dies instituere in tota Ecclesia, & receptos abrogare, pertinet ad Summum Pontificem, & ad Concilium generale. Episcopi jure communi possunt etiam festos dies in sua tantùm diœcesi instituere, non tamen in honorem Sancti nondum canonizati: Respublica verò, vel civitas, vel Princeps sæcularis non potest dies festos tum etiam sacros constituere: potest tamen prætextu civilis honoris, vel alio titulo. Neque sola laicorum consuetudine introduci possunt aliqui dies festi. *ib. punct.* 1 *n.* 1. & *seq*

15. Potest institui dies festus colendus tantum usque ad meridiem, quia qui potest totum, potest etiam partem præcipere. *ib. nu* 8.

16. Observantia diei festi duo præcepta continet; affirmativum, quod præcipit auditionem Missæ; non verò contritionis eliciendæ obligationem: & negativum, quod prohibet opus servile: servile autem opus dicitur illud, quod ex se habet quemdam famulatum, & ab illis solùm communiter exercetur, qui aliis inserviunt; unde opera animæ, cujusmodi sunt legere, scribere, docere, concionari, consulere, & similia, permittuntur in die festo. Item licitum est concurrere ad consilia, & eligere ad officia. Appellatio quoque licita est in die festo, sed non citatio; & citatio facta pro die festo non obligat ad comparendum die proximè sequenti; quamquam reus citari potest dum existit in loco, in quo dies festus non celebratur. *ib. punct.* 2. *n.* 1. & *seq.*

17. Quælibet sententia tam civilis quàm criminalis requirens strepitum judicialem, vetita est in die festo. Vetitum quoque est placitum, judicium criminale, sacramentum publicum; & mercatus, id est, contractus emptionum, venditionum, locationum, & permutationum, sive privatim fiant, sive publicè. Intellige tamen extra necessitatis casum, vel quando judex vel testis alio tempore commodè haberi non potest; aut si periculum sit, ut interposita dilatione justitia impediatur; aut consuetudo legitima contrarium suadeat. *ib. nu.* 10 & 12.

18. Opera corporalia quæ propriè servilia sunt, prohibentur in die festo, cujusmodi sunt fodere terram, putare vites, &c. Non prohibentur tamen opera communia dominis & ser-

& servis; propterea licitum est iter facere, parare necessaria ad illud, uti musicis instrumentis, scribere, etiam ex officio, aut transcribere lucri causa: non verò pingere, aut recamaturas facere. Denique quæ licitè fiunt in die festo, possunt etiam fieri cum lucro. *Ib. n. 23 & seq.*

19. Causæ excusantes à mortali laborantes serviliter in die festo, sunt parvitas operis, necessitas, absentia à loco in quo dies festus celebratur, & dispensatio. Propterea excusantur parantes necessaria ad victum in die festo; secus dic de molitoribus non molentibus ex necessitate, nisi modicum laborem insumant. Excusantur quoque medici, chirurgi, pharmacopolæ, decertantes in bello, struentes foveas, vel muros causa belli ædificantes, cursores, ferratores equorum, & ii qui metunt imminenti tempestate, vel qui opus inchoatum prosequuntur, à quo nequeunt desistere absque gravi damno. Quòd si dubitetur an adsit sufficiens necessitas, recurrendum est ad Episcopum. Item excusantur qui serviliter laborant metu gravis damni, ut servi, famuli, &c. Item excusantur à mortali qui opera servilia præstant, quæ immediatè, vel præparatoriè cultui divino inserviunt; denique opera pietatis per se licitè fiunt in die festo. *Ib. punct. 3. nu. 1. & seq.*

20. Recedens à loco, in quo dies festus colitur, non peccat mortaliter Missam non audiendo, si ante meridiem perventurus sit ad locum, in quo festus dies non celebratur. *Ib. num. 18.*

21. Ille non peccat mortaliter, qui pluribus diebus festis aliqua parva opera servilia præstat, quæ simul sumpta magnam materiam constituere, & notabilem temporis partem occupare videntur. Ratio est, quia illa modica opera servilia non continuantur, nec integrant unam materiam, & opus servile uno die factum, non continuatur cum opere servili alterius diei, *Ib. nu. 3.*

22. Qui leviter delinquit in die festo contra multas obligationes diversæ rationis, non peccat mortaliter; secus si obligationes sint ejusdem rationis *Ib. n. 5.*

ADDITIO.

Quæres: Quæ festa sint iis observanda, qui degunt extra patriam. Resp. dum extra patriam sunt, non teneri ad festa cele-

celebranda propria patriæ, sed ad propria tantùm ejus loci ubi sedem fixerunt. Quòd si transeunt saltem aliquem locum, in quo festum celebratur, non tenentur ad festum ejus loci celebrandum, nisi sit commune totius Ecclesiæ.

Quæres: Sintne opera servilia, compingere libros, transcribere, pingere imaginem, piscari, venari, musica instrumenta pulsare. Navar & Cajet. dicunt esse indifferentia in genere suo; ex circumstantia autem fieri servilia, & illicita, ut si fiant ob quæstum.

Resp. 1. compingere libros, ex suo genere esse opus servile & illicitum.

Resp. 2. Transcribere librum, pingere, ex suo genere non esse servilia; fieri autem servilia & illicita, si ex officio exerceantur ad quæstum faciendum.

Resp. 3. Piscari & venari, ex genere suo quoque non esse servilia; hoc tamen esse inter utrumque discrimen, quòd nemo potest piscari in festo ex officio, & maximè reti, si quis sit piscator; potest autem die festo etiam ex officio venari, ut docet Navar. quia ita consuetudo obtinuit.

Resp. 4 Uti musicis instrumentis ex genere suo, non esse opus servile, nec fieri etiam servile, ratione officii, vel quæstus.

Quæres: An famuli quando coguntur diebus festis à dominis laborare, possint dominis parere. Resp. 1. Illos posse parere sine peccato, modò non cogantur in contemptum Ecclesiæ, & festi; tum enim debent potius mori, quàm parere. Resp 2. Tales famulos, qui sæpè coguntur à suis dominis laborare diebus festis, transacto tempore suæ obligationis debere alium quærere dominum, sub quo possint servare festum; nisi desint quibus commodè operam suam locare possint, aut si magnum illa mutatione paterentur incommodum. Ita Tolet.

Quartum Decalogi præceptum. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.*

23. Nomine *patris & matris* veniunt ipsi parentes immediati vel mediati; Superiores, ut sunt Episcopi, Curati, &c. Imperatores, Reges, & Principes; tutores, curatores, & magistri, quorum prudentia & doctrina erudimur; & his omnibus exhibendum esse honorem, reverentiam & amorem, docet

docet nos hoc præceptum, & ipsius naturæ dictamen. Unde filii conjicientes contumelias in parentes, aut ad gravem iram provocantes, peccant mortaliter. Sicut autem filii afficiuntur obligatione hujus præcepti in parentes, ita etiam parentes in filios, illisque subvenire tenentur. *tom. 1. circa quartum Decalogi præceptum, disp. 6. quæst. unic. punct. 1. num. 2. & 3.*

24 Hæc verba, *ut sis longævus*, intelliguntur non solùm de longitudine & diuturnitate futuræ vitæ, verùm etiam de longitudine hujus mortalis vitæ, juxta illud 1. ad Timoth. 4 *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. lib. n. 4.*

25. Et non tantùm filii debent honorare & amare parentes, illisque amoris signa exhibere, sed etiam obedire tenentur, quando aliquid præcipiunt circa bonos mores, & salutem animæ, ut ad vitandas pravas amicitias, deserendos ludos, vel meretrices, &c. & filius qui patri obedientiam in gravibus non præstat, mortaliter peccat *lib. punct. 4. n. 2.*

26. Præterea filii tenentur parentibus subvenire in necessitate spirituali & corporali; idcircò filii qui non curant patrem in mortis articulo constitutum confiteri, vel suscipere alia Sacramenta, graviter peccant. Idem dicendum si parentes infirmos, aut in carcere detentos non visitent. *lib. punct 5. n. 1. & 2.*

27. Filius non solùm tenetur ab ingressu religionis abstinere dum parentes, id est, pater & mater, sunt in extrema necessitate, vel quasi extrema, aut quando probabiliter futuri creduntur; sed etiam tenetur tempore novitiatus, imò & post professionem egredi, etiam invito prælato, dum necessitas parentum est extrema, & iis subvenire potest remanendo in sæculo, & modò ipse filius nullum incurrat probabile periculum salutis spiritualis dum in sæculo remanet. Eadem obligatione tenetur à fortiori pater erga filios; debetque curare ut addiscant rudimenta fidei, eosque delinquentes corrigere & castigare; peccantque graviter eos depravando suo pravo consilio, vel exemplo.

Adverte autem egressum è religione ad subveniendum necessitati, teneri servare vota & præcepta religionis eo modo quo commodè potest, & sublata necessitate redire ad religionem. *lib. n. 4. & seq.*

28. Quando debita patris excedunt facultates hereditatis,

tis, filius non tenetur in foro conscientiæ solvere debita patris, etiamsi non confecerit inventarium; quia hæres non tenetur, nisi ex bonis hereditatis. *lib. n.* 10.

29. Pater graviter peccat denegans alimenta filio sine gravi causa, etiamsi filius proscriptus sit vel emancipatus. Imò tenetur etiam uxori filii alimenta præbere, dum filius præbere non potest: mater verò non tenetur alimenta filio præbere, excepto lacte ex impotentia patris; neque peccat mortaliter non lactando filium per se ipsam, tenetur tamen bonam nutricem adhibere. *lib. punct.* 6, § 1. *n.* 2. *& seq.*

30 Parentes mortaliter peccant exponendo filium Hospitali, nisi justam habeant exponendi causam; ut si pater existat in valdè gravi necessitate, vel periculo vitæ, aut infamiæ *lib. n* 6.

31 Obligatio alendi filios transit ad hæredes illius, qui filios alere tenebatur, sed non transit directè ad donatarium, neq; ad eos qui bona parentum titulo emptionis, vel simili contractus acquisierunt: transmittitur tamen ad fiscum, cui bona parentis addicta fuerunt ob ipsius parentis delictum. *lib. n.* 7. *& seq.*

32. Pater qui filio alimenta non præstitit, non tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem, nisi fortè filius debita ob id contraxerit. *lib.* n. 12

33 Pater tenetur filiæ nubenti (etiam spuriæ) dotem competentem constituere, etiamsi filia dives sit, aut monasterium ingredi velit, aut nubat invito patre, aut etiam indigno (seu tali cum quo sine dedecore nubere non possit, juxta usum illius regionis:) secus si filia nubens indigno, sit major viginti quinque annis, & dives sit, patrisque alimentis non indigeat. Neque pater eximitur ab onere dotis alio dotem tradente. *b* § 2 *n.* 1.

34. Filius aut filia multis de causis privari potest hereditate & alimentis, v. g. ob percussionem parentum injustâ cum lethali culpa, ob gravem & inhonestam injuriam, ob accusationem in judicio, (excepto crimine hæresis & læsæ majestatis) ob attentationem in vitam patris; si cum maleficis versetur, si copulam habeat cum noverca seu patris uxore, si filius non succurrit patri, & impediat ne pater conficiat testamentum. In his casibus filium pater hereditate privare potest, non verò alimentis, si filius aliunde non habet. *lib.* § 3. *n.* 1.

35. Filia invitis parentibus nubens servata Tridentini forma,

ma, attento jure Canonico, non potest exhèredari. Imò neque potest attento jure Cæsareo, nisi filia sit minor 25. annis, & parentibus volentibus ipsam in matrimonium conjungere, renuerit, & luxuriosam degere vitam elegerit. Filia quæ bis tantùm copulam commisit, non potest ob id hereditate privari. Idem dicendum, si post 25 annos luxuriosam vitam elegerit; imò etiamsi ante 25. annos, si mater illius luxuriosam vitam degat, & nondum correcta sit exheredationis tempore; secus dicendum si solùm pater luxuriosè vivat. *lb. num. 3. & seq.*

36. Filius invito patre contrahens, aut indignam ducens, non potest hereditate privari; nam leges loquuntur solùm de filiabus, *lb. nu. 9.*

37. Exheredatio non tollitur per reconciliationem supervenientem, aut per pœnitentiam; tollitur verò religionis professione. *lb. num. 12.*

38. Maritus tenetur uxori non solùm actibus internis, verùm etiam externis honorem & amorem, imò etiam obedientiam in iis, in quibus est uxori subjectus, exhibere; & consequenter mortaliter peccat verba infamatoria proferens contra illam, aut graviter verberans, aut præceptorum adimpletionem impediens; aut eam non alens, modò alere possit; aut uxor ipsa à mariti consortio non recesserit, aut is qui dotem promisit non existat in culpabili mora solvendæ dotis. Quòd si uxor quæ ob viri sævitiam recessit, renuat oblata securitate ad virum redire, non est à viro alenda. Si verò uxor utriusque conjugis culpa recessit, deinde ad maritum redire contendat, maritus autem eam ad se redire non patiatur, alenda est à marito, quia ultima culpa marito imputanda est. Alenda erit similiter quoties dos casu fortuito periit. *Ib punct. 7. n. 1. & seq.*

39. Quæ diximus de viro quoad amorem, reverentiam & obedientiam, quam uxori præstare debet, uxor debet quoque præstare marito; unde graviter peccat, dum notabiliter inobediens est circa ea quæ ad bonos mores, & ad familiæ gubernationem pertinent. Et si illa post discessum è vita primi mariti ad secundas nuptias convolet, debet ea quæ ut arrhas à primo marito accepit, titulo lucrativo, seu donatione filiis primi matrimonii reservare; secus si accepit ab extraneo. *lb. n. 11. 12. & 15.*

40. Uxor aut filii non tenentur ad solvenda debita, quæ

vir seu pater contraxit pro alenda uxore, vel filiis; nisi pater illa acceperit nomine ipsorum, vel protestatus sit nolle gratis illa præstare, aut nisi acceperit in fraudem, id est, sine justa causa, scientibus filiis vel uxore. *Ib. n.* 13 & 14

41. Quæres: quæ cura & amor requiratur in superioribus & dominis erga servos & subditos, & è contra? Resp. Domini aliique Superiores tenentur sibi subditorum & famulorum, etiam mancipiorum curam habere, curando ut hi præcepta adimpleant, impediendoque eorum peccata, & eos corrigendo quando delinquunt: caveant tamen ne eos gravibus afficiant injuriis, appellando diabolos, aut canes, &c. aut ne iis alimenta denegent, dignus est enim operarius cibo suo; possunt tamen eos cum moderatione verberare, sicut pater filium, aut fratres vel patrui habentes curam sororum, vel nepotum; hos enim possunt moderatè percutere. Idem valet in senioribus, aut etiam in aliis, qui ab adolescentibus aliquam injuriam passi sunt, & eorum superiores commodè adire non possunt. *Ib. punct* 8. *n.* 1. 2. 6. *& seq.*

42. Dominus tenetur domo sua expellere servum ut resipiscat, & concubinæ consortio non utatur, quoties adest spes fructus, & id fieri potest absque suo notabili damno. *ib. num.* 8.

43. Frater tenetur alteri fratri vel sorori alimenta præbere, quando aliunde non habent; hoc enim postulat charitas & pietas in parentes & sanguine junctos; & hoc valet, etiamsi frater & soror in egestatem sua culpa inciderint; imò tenetur dotem sorori indigenti constituere, cùm dos veniat nomine alimentorum. *Ib. n.* 12.

44. Subditi suis Superioribus etiam improbis amorem, reverentiam & obedientiam, præsertim in rebus magni momenti præstare debent, quia superiores parentum vices gerunt, quibus debetur honor & reverentia *Ib n.* 13. *&* 14.

45. Famulus tenetur vitam domini defendere cum periculo vitæ propriæ, quando specialiter ad eam defendendam conductus est. *Ib. n.* 15.

ADDITIO.

De potestate patris in filios vid. Molin. *d.* 23. de arrogatione, & adoptione. *d* 217.

De peccatis parentum in filios, vid. Nav. *c.* 14. *à n.* 17. Tol *l.* 5 *c.* 1. *n.* 11.

In

In rebus gravioribus, in quibus filius patri subditur, potest ei pater aliquid sub mortali peccato præcipere, Lopez. & vir uxori, Sot. *l.1 q.6 art.4. in fi.* sed dominus in famulos, reliquamque familiam hanc vim non habet. Sot.

Filii genitoribus debent amorem, obedientiam, reverentiam. 1 Amor debet esse internus, & externo signo prodendus est; unde debent spirituali parentum necessitati pro viribus subvenire, & pia eorum legata, iis defunctis solvere; in corporalibus necessitatibus idem facere; & sive graves, sive extremæ essent necessitates, peccarent mortaliter filii, si relictis parentibus, ad religionem convolarent; professique tenenentur egredi, ut extremam parentum inopiam subleventiin gravibus necessitatibus possunt egredi, petita, licet non obtenta, licentia; an autem teneantur, controversum est, vid. Victor. *ad h.l.* Filium extremæ parentum necessitati potiùs, quàm filiorum, opem ferre debere, probabilius est; contraria vero opinio sua etiam non caret probabilitate. 2. Quoad obedientiam, peccat mortiferè filius, patri in re gravi ad regimen domus, & ad bonos mores spectante, non obediens, præcipuè si ex contemptu & pertinacia id faciat. 3 Quoad reverentiam, percutiès patrem, injuriosè minans, maledicens; dedita opera verba in eum jactans ad insignem iram provocantia, lethali noxa corripitur: idem affirmes de patrem pauperem dedignante. Si tamen filius ex patre cognito, grave damnum in vita, vel in honore, vel in rebus passurus esset, patrem negans mortiferè non peccaret; dum tamen animo patrem agnosceret, & inopem adjuvaret.

Sextum & nonum Decalogi præceptum: *Non mœchaberis*, &c, *Non concupisces uxorem proximi tui.*

46. Hoc sexto & nono Decalogi præcepto non solùm prohibetur adulterium, verùm etiam quælibet alia carnalis copula extra legitimum matrimonii usum: imò etiam omnes alii actus, qui ad impudicam libidinem allicere & permovere possunt, ut tactus, amplexus, oscula, locutiones, ornatus lascivi, litteræ amatoriæ, &c. Neque solùm prohibentur actus exteriores, verùm etiam voluntas & affectus interior inordinatus rei venereæ. Et peccata quæ his præceptis prohibentur, sunt mortalia ex suo genere; neque ignorantia per se loquendo excusat in hac materia à peccato; neque

minæ, metus, vel timor infamiæ; excusaret tamen vis absoluta, quando qui vim patitur, animo non consentit, nec aliquo modo cooperatur ad peccatum. *tom. 2. circa sextum & nonum Decalogi præceptum, disp. 8. quæst. unic. punct. 1. n. 1.*

Octavum Decalogi præceptum: *Non falsum testimonium dices.*

Vide v. *Mendacium.*

Decimæ.

1. Nomine *Decimæ* intelligitur quota bonorum debita Ecclesiæ ministris in ipsorum subsidium & sustentationem, quatenus hæc pars est indefinita, debetur jure naturæ & divino; ut verò est definita & determinata, v. g ad decimam partem fructuum, debetur jure Ecclesiastico. *tom. 2. de præceptis Ecclesiæ, disp. ult. qu. 5. punct. 1. n. 1. & 3.*

2. Triplex est decima, personalis, prædialis & mixta. Personalis, est decima pars fructuum provenientium ex industria & opera personæ; ut ex mercatura, venatione, bello, ludo, &c. Prædialis seu realis, est quota fructuum, qui ex prædiis percipiuntur: ut est vinum, oleum, frumentum, olera, rapæ, poma, &c. Adverte decimam quæ debetur ex vinea non esse solvendam in uvis, sed in vino, quia fructus vineæ propriè consistunt in vino; & decimam prædialem deberi non solum ex agro qui aliàs coli consueverat, verùm etiam ex agro de recenti ad culturam redacto, & ex novalibus. *Ib. punct 2. nu. 1. & seq.*

3. Decima verò mixta est illa, quæ partim ex hominis industria, partim ex prædiis provenit, ut sunt fœtus animalium, qui partim ex pascuis, partim ex animalibus proveniunt interveniente hominum industria in illis alendis & custodiendis. *Ib. nu. 3.*

4. Decimæ personales solvendæ sunt ab iis, qui sacramenta suscipiunt, & illi quidem Ecclesiæ, in qua sacramenta suscipiuntur, nisi aliter consuetudine receptum sit. Solvenda autem est decima omnium bonorum, quæ per industriam licitè acquiruntur; quamquam multi velint solvendam etiâ de illicitè acquisitis, præcisa tamen circumstantia actum vitiante. An verò denegari possint sacramenta non

solventibus decimas, respondendum affirmativè, dum nullam habent legitimam excusationis causam *lib p. 3. n. 1. & seq.*

5. Dum quis habet duo domicilia in duabus paræciis posita, & partim in uno, partim in altero habitat, solvenda est decima personalis in illa paræcia, in qua domicilium principalius habet, & in qua habitat majore anni parte; nisi æqualiter habitet in duobus, tunc enim dividenda *ib. n.* 4.

6. Decimæ prædiales solvendæ sunt ab illis omnibus, qui prædia titulo non spirituali possident, illi Ecclesiæ cui subjecta sunt prædia; nisi consuetudine introductum sit ut alteri solvantur: hinc sequitur laicos etiam infideles, paganos habitantes in terris Ecclesiæ subjectis, teneri solvere decimas prædiales, quæ anteà solvi consueverant, vel dum acquirunt bona alicui Ecclesiæ subjecta, cui præscribitur decimam solvi. *ib. nu.* 5. & 6.

Prætereà sequitur loca pia & monasteria teneri solvere decimas, nisi privilegio eximantur. Item clerici tenentur solvere decimas eorum, ad quorum titulum promoti sunt, quia res transit cum suo onere. Parochus quoque tenetur solvere decimas illi Ecclesiæ parochiali, in cujus territorio habet prædia, præcisa in contrarium consuetudine. *ib. n.* 7. 8 & 13.

7. Dum plures colligunt fructus, decimæ solutio incumbit illi, qui jus primariò & principaliter habet in fructus pro rata juris; nisi hoc onus in alterum rejecerit. *ib. n.* 10.

8. Dominus agri non tenetur solvere decimas fructuum, quas percepisset Ecclesia, si ille agrum coluisset, defendisset, &c. quia non violavit justitiam non colendo agrum; neq; refert, quòd dominus sua culpa non perceperit fructus. *ib. n.* 11

9. Ecclesia quæ jus habet exigendi decimas, non solùm agere potest contra emptorem prædiorum decimæ subjectorum, (res enim transit cum onere,) verùm etiam contra venditorem, qui Ecclesiam defraudavit. *ib n.* 15.

10. Episcopus non tenetur solvere decimas ex bonis mensæ Episcopalis; modò tamen hæc in alium non transferantur; tunc enim cessaret ratio exemptionis: teneretur tamen solvere Summo Pontifici, si eas exigeret: & non solùm ille, verùm etiam ceteri clerici. *lb. n.* 12. & 14.

11. Solvendæ sunt decimæ mixtæ juxta locorum consuetudinem, clericis etiam divitibus, aut improbis; non enim debentur decimæ clericis ob eorum inopiam, aut probitatem;

tem, sed ob laborem quem in populi utilitatem impendunt. Et in solvendis decimis realibus non sunt detrahendæ expensæ, v. g. culturæ agri; secus in personalibus. *ib. num.* 16. & *seq.*

12. Qui decimas non solvunt, aut in solvendo deteriorem, & non mediocrem partem bona fide assignant, peccant contra justitiam, consequenter tenentur ad restitutionem: & peccant adhuc peccato sacrilegii secundùm multos auctores; quia non solvunt, inquiunt, rem Ecclesiæ debitam ob sacrum ministerium, & sacris usibus deputatum; sed hoc D. Bonacinæ non probatur. *ib. n.* 18.

13. Decima personalis solvenda est post lucrum acquisitum; prædialis vero statim ac fructus collecti sunt, sive ager pluries in anno fructus ferat, sive semel tantum; & decima ex fœtibus animalium solvenda est, quando fœtus pervenit ad statum utibilem. Solvenda autem est decima in loco, in quo ex recepta consuetudine solvi consuevit. *ib. punct.* 4. *n.* 1. & *seq.*

14. Obligatio solvendi decimas, quatenus decimæ dicunt quotam fructuum, seu determinatam partem, potest valide privilegio Papæ condonari & auferri, etiam sine causa; sed tunc illicitè conceditur. Item obligatio solvendi decimas in futurum, auferri posse videtur per compositionem, interveniente Summi Pontificis auctoritate. Imò etiam Prælatus Ecclesiæ, aut beneficiarius potest justa de causa absque assensu Apostolico compositionem vel remissionem facere de præteritis decimis, cùm jure suo cedere possint, & nulla interveniat simoniæ labes, aut prohibitio. *ib. punct.* 5. *n.* 1. & *seq.*

15. Præterea obligatio solvendi decimas, quatenus decimæ dicunt certam partem fructuum, potest per consuetudinem communitatis quadraginta annorum spatio auferri, sicut & potest etiam lex abrogari; possunt quoque particulares personæ liberari & immunes fieri per legitimam præscriptionem, (ut quando quis consuevit non solvere decimas per tempus immemoriale, nullo interveniente titulo; aut quando consuevit non solvere spatio 40 annorum interveniente titulo saltem rationabiliter præsumpto) ab obligatione decimarum. *ib. n.* 5. & *seq.*

16. Quæres, an populus, seu communitas facta fuerit immunis ab obligatione decimarum, eò quòd spatio 40. annorum non solverit decimam suo parocho? Respond. affirmativè,

tive, non propter præscriptionem, cùm elapsum non sit tempus immemoriale; sed propter consuetudinem 40. annorum, etiamsi non adsit titulus, nec bona fides, imò neque consensus Papæ expressus; modo tamen aliunde sufficienter provisum sit sustentationi parochi *ibid. n. 8.*

17. Decima ut dicit jus percipiendi fructus ob sacrum ministerium, petenda est coram judice Ecclesiastico, & non civili; potest tamen beneficiarius, cui sublati sunt à laico fructus decimarum, qui jam soluti erant, coram judice sæculari hanc causam agere; quia in causa temporali sequendum est forum rei. *ibid. punct. 6. num. 1. & 2.*

Concilium Tridentinum *sess. 25. de Reform. cap. 12. & cap. statuimus. 16. q. 1.* præcipit subtrahentes decimas, aut earum solutionem impedientes non solum excommunicandos esse, verum etiam non esse absolvendos, nisi facta plena restitutione; intellige modò non adsit impotentia restituendi. Extant etiam peculiares pœnæ *in Clem. 1. de decim.* contra religiosos, qui iniquè usurpant decimas ad se non pertinentes, vel alios retrahunt ab iis solvendis, vel pœnitentibus conscientiæ scrupulum circa decimarum solutionem facere negligunt. Idem dic de Confessariis *ibid. punct. 7. n. 1.*

18. Fideles ad primitiarum solutionem nullo jure nunc in nova lege obligantur. Per *primitias* autem intellige primos fructus, qui ex agris aut arboribus percipiuntur, Deoque in recognitionem beneficiorum quæ Deo accipiuntur. *Oblationis* verò nomine intelligitur, quidquid Deo in recognitionem dominii & excellentiæ ipsius offertur, sive sint primi fructus, sive sit aliqua res mobilis, sive immobilis; differunt autem oblationes à decimis, quòd hæ in cultum & honorem Dei; decimæ verò offerantur ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, tamquàm ipsis debitæ. Jure communi pertinent oblationes ad rectorem, sive parochum illius Ecclesiæ, vel sacelli, vel imaginis, in qua fiunt; modò tamen non offerantur hac intentione, ut in honorem vel ornatum imaginis, vel sacelli insumantur, aut modo non tradantur Sacerdoti, tamquam stipendium sui laboris. *ibid. punct. ult. n. 1. & seq.*

ADDITIO.

Decimæ non debentur, ubi non est ejus rei consuetudo; & quidem personales, id est, ex lucro industriæ, nullibi ferè sunt in usu,

De Decimis leg, Azor *l. 7. c. 34.* Navar. *cap. 21. num. 32.* Tol. *l. 6. c. 20 n. 5.*

Non solvens decimas ob justum impedimentum, potest absolvi (secundùm Navar.) non obstante Conc. Trid. Nav. *c. 21. n. 32. c 17. n. 59.* Trid. Conc. *sess. 25. c. 12. de reform.*

Quæres: Qui illi sint clerici, quibus debentur decimæ. Resp Non omnibus deberi, sed iis tantùm, qui ex officio ordinario verbum Dei, & sacramenta administrant, & curam animarum habent; ut sunt Episcopi, parochi, adjutores, & Canonici Ecclesiarum cathedralium, & alii consiliarii Ecclesiastici, ut habet Cajet. Ceteri autem sacerdotes, qui ex legatione, vel privilegio concionantur, vel sacramenta administrant ut sunt multi etiam religiosi, non habent jus ullum percipiendi decimas Imò *Clement. 1. cit. loc. de Decim.* excommunicantur religiosi, qui decimas exigere præsumunt, nisi ipsi vere habeant beneficia Ecclesiastica.

Quæres: An omnes homines obligentur ad solvendas decimas, etiam pauperes. Resp. Omnes, exceptis solis clericis obligari, sive clerici ipsi sint divites, quibus decimæ sint solvendæ, sive pauperes Ratio. Quia non solvuntur illis decimæ, quia sunt pauperes; sed quod pro populo laborent. 2. Quia non dantur tantùm decimæ pro ipsorum sustentatione, sed etiam ad alendos pauperes. 3. Quia ita docet S. Thom. *quodl. 9. a. 10.* Major Navar. Sylv.

Quæres: An clericus possit subtrahere spiritalia ministeria subditis, si nolint solvere decimas. Resp. Non posse, ut docet D. Thomas, Panorm. & Covar Ratio Quia alioqui videretur pretium temporale dari pro ministerio spirituali.

Quæres: Possitne laicis competere jus percipiendi decimas. Resp. cum S. Thom. *l. c. a. 3. & quodl. 2. art. 8.* Cajet. & Canonistis *c. quamvis de decim.* non posse. Ratio, quia clerici jus illud consequuntur ex ministerio verbi & sacramentorum; at laici non possunt illud usurpare ministerium. Resp. 2. Nihilominus Episcopum justa de causa, non jus percipiendi decimas, sed decimarum fructus nomine & titulo Ecclesiæ alicui laico posse concedere, eò quòd, v. g. Ecclesiam, ejusque patrimonium à tyranni oppressione liberarit, ut docent iidem DD Resp. 3. Olim, ante Concil. Later. sub Alex 3. celebratum, obtentum fuisse, ut laicis de Ecclesia benè meritis decimæ à prælatis perpetuò in futurum darent; sed id, ne deinceps fieret, dictum Concilium prohibuit. Ita tamen,

tamen, ut qui eas in feudum ante Concilium recepissent, retinerent.

Degradatio.

1. Degradatio verbalis, seu depositio totalis est sententia Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica privatur omni officio & beneficio in perpetuum, sine spe illius consequendi, non amisso privilegio clericali. Degradatio vero actualis præter hæc privat etiam privilegio clericali, & cum quadam solemnitate, videlicet astantibus Abbatibus mitratis, aut aliis in dignitate constitutis, &c. de quibus vide Pontificale. *tom. 1. de Degradatione, disp. 4. punct. unic. n. 1. & seq.*

2. Sacerdos degradatus realiter valide consecrat; quia per degradationem non admittit characterem ordinis. *ibid. n. 5.*

3. Crimina quæ merentur verbalem degradationem sunt. adulterium, concubinatus perseverans post monitionem, simonia notoria; stuprum, incestus, furtum, periurium, homicidium, etiamsi patratum sit solo consilio; delictum, quo quis permittit sua culpa suum parochianum decedere sine Baptismo. *ibid. n. 6.*

4. Clericus ob frequentem fornicationem, seu concubinatum non statim est deponendus, sed gradatim cum ipso agendum, habita ratione loci, personæ, &c. an sit alendus fructibus beneficii, divisi sunt Doctores; pars negans D. Bonacinæ est probabilior. *ibid. n. 7. & 8.*

5. Depositio verbalis presbyteri spectat ad proprium Episcopum, vel ejus Vicarium generalem: degradatio verò actualis ad solum Episcopum consecratum, aut ad Vicarium generalem delegatum, qui potest solus ad id delegari. *ibid. n. 9. & seq.*

6. In depositione reali ordinatà ad degradationem Sacerdotis, debent alii Episcopi assistere, ut judices; aut iis deficientibus Abbates, aut aliæ personæ in dignitate constitutæ, & consentire omnes nemine discrepante; ac coram eis facienda est degradatio actualis clerici sæculari Curiæ tradendi, in aliqua Ecclesia seu oratorio. Usu receptum est ut Episcopus in facienda actuali degradatione utatur vestibus Pontificialibus; ex juris tamen dispositione non tenetur illas adhibere. *ibid. num. 12. & seq.*

7. Clericus minoribus tantùm ordinibus insignitus, ratione delicti degradari potest: quod delictum nisi sit notorium,

rium, nullus degradari potest absque accusatore, seu per viam solius inquisitionis. *ibid. n.* 18. & 19.

8. Is, contra quem sententia degradationis, seu depositionis realis lata fuit, non potest auctoritate Episcopi in pristinum statum restitui; quia depositus realiter caret omni privilegio clericali sine spe illius recuperandi; modò depositio, seu degradatio non sit injusta; nam quando est injusta, restitutio degradati fieri debet à Papa, vel ab Episcopo, & degradatus recipere debet ea quæ perceperat, cùm ordinaretur: videturque attenta consuetudine posse Episcopus depositum restituere, dum restitutionem alicujus clerici depositi facit in casibus à jure expressis. *ibid.*

ADDITIO.

Quæres: Quibus de causis degradetur quis, ita ut tradatur curiæ sæculari. Resp. Tribus fermè, 1. ob hæresin pertinacem. 2. ob adulteratas litteras Apostolicas 3. ob calumniam, vel contumeliam proprio Episcopo illatam, si post admonitionem, id est, punitionem accesserit contumacia, & incorrigibilitas, *cap. cùm non ab homine. in 6 & 11. q. 1. c. si quis sacerdotum* Syl. *in v degradatio* dicit, hanc degradationem habere locum in homicidio iterato, parricidio, & homicidio sacerdotis proditoriè facto, cum spoliatione bonorum, & in aliis gravissimis delictis.

Delectatio morosa.

1. Delectatio morosa dicitur à mora rationis, quando homo posita advertentia, adhuc in delectatione perseverat, & tunc dicitur morosam delectationém capere. *tom. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrim. quæst. 4. punct 8. n. 1.*

2. Delectatio morosa de sola cogitatione rei illicitæ non est ex se peccatum, si motivum non sit malum: nam delectatio de re turpi & mala, est mala, juxta motivum ipsius delectationis, seu juxta rationem formalem, ratione cujus delectatio fertur in objectum. Unde peccat mortaliter qui delectatur de malo proximi, ut est malum ipsius; nam hoc mortuum est malum. Item delectatio de aliquo actu carnali, ut de fornicatione, tactibus, vel osculis, est peccatum mortale, si ex affectu carnali capiatur ab eo, qui non est conjugatus:

tus: secus dicendum de eo qui ob bonum finem delectatur de homicidio aliàs secuto, licet injusto. *ibid. n. 4. & seq.*

3. Qui se laudat, vel jactat de peccato aliquo veniali, peccat venialiter, habet etiam motivum veniale. *ibid. n. 10.*

4. Conjuges qui in absentia alterius conjugis delectantur de actu conjugii præterito, vel etiam futuro, ac si actus esset præsens, non peccant mortaliter; nisi se provocent ad libidinem *ibid. num. 12.*

5. Vidua vel sponsa, quæ de actu conjugii delectatur, non peccat mortaliter, quando delectatur de actu conjugii. non apprehenso sub ratione delectabili, seu ex affectu venereo. *ibid. num. 14.*

6 Quælibet distillatio seminis voluntaria cum carnis commotione, est peccatum mortale: neque potest dari parvitas copulæ excusans à mortali. *ibid. num 17.*

7. Delectatio morosa est ejusdem speciei, cujus est motivum, seu ratio formalis, ob quam sumitur delectatio; excepta tamen delectatione venerea, quæ est ejusdem speciei cum opere externo, id est, habet eamdem speciei malitiam; quam habet opus externum: non desunt tamen DD. qui contrarium asserant. *ibid. n. 19 & 20.*

8. Nullum est peccatum habere actum desiderii & velleitatis de re aliqua illicita ex motivo honesto, vel sub conditione, qua per impossibile, vel possibile posita, actus ille non esset peccatum Quare excusantur ii qui habent propositum & desiderium sumendi vindictam de inimico sub conditione, *si liceret*; vel, *nisi esset peccatum*; vel dicunt die jejunii, *comederem carnes si liceret* Similiter excusatur Sacerdos qui habet desiderium ducendi uxorem, si non esset adstrictus voto castitatis, modò cum desiderio non habeat adjunctam delectationem sensualem: non excusaretur tamen à peccato, qui diceret, *si Titius moreretur, ego magno perfunderer gaudio*: aut, *nisi essem religiosus vel presbyter, vellẽ committere fornicationem*, aut, *ego occiderem, vel adulterarer*, &c. *nisi esset infernus vel supplicium*; aut, *nisi esset timor Dei, non jejunarem*, est enim timor servilis; aut si cum affectu vindictæ sumendæ dicat, *si Titius hoc mihi fecisset in adolescentia, vel ante præsentem statum, illum occidissem. ibid. 21. & seq.*

Denuntiatio, Denuntiator.

Vide v. *Accusator, Hæresis.*

1. Tene-

1. Tenentur denuntiare ex vi monitorii tantùm, quo judex, seu Superior intendit obligare: nam præceptum & excommunicatio vim habet ab ipsius Superioris voluntate. Adde monitorium non obligare, nisi quos pars intendit in monitorio includi; præsumitur enim non habere intentionem, ut filii, uxor, &c. ligentur excommunicatione. *tom. 1. de onere, & obligatione denuntiandi, &c. disp. 6 punct. 1. §. 1 num. 1. & 2.*

2. Obligatus sub pœna censuræ ad denuntiandum, debet esse subditus ipsi ferenti censuram; consequenter qui non est subditus Superiori concedenti monitorium, edictum, vel legem sub excommunicatione, non ligatur excommunicatione lata contra non revelantes. *ibid. §. 2. n. 1.*

3. Tenemurne ad denuntiandum in delictis in damnum nostrum ab aliis patratis, aut dum ex denuntiatione damnum nobis impendet? Resp. nos non teneri, nisi aliter exigat bonum publicum, aut alia circumstantia. *ibid. § 3. num. 1.*

4. Socius delicti non tenetur ex vi monitorii manifestare delictum proprium, nisi juridice interrogetur: neque uxor maritum, neque filius patrem, aut è contra. Excipe casus hæresis, læsæ majestatis, blasphemiæ, & sollicitationis in confessione *ibid. n. 3. & seq.*

5. Filius spiritualis tenetur ex vi monitorii denuntiare patrem spiritualem, qui potest esse testis contra ipsum; ergo potest etiam denuntiare. *ibid n. 7.*

6. Non est obligatio denuntiandi ea quæ non verè & realiter scimus. Et qui audivit delictum ab eo qui illud jam denuntiavit, non tenetur illud denuntiare, etiamsi audierit à viro fide digno, quia ipsius denuntiatio esset inutilis, & nihil prodesset. Idem dicendum, quando probabiliter creditur ex denuntiatione nullum remedium adhibendum à Prælato. *ibid §. 4. n. 1. & seq.*

7. Ex decreto lato ad manifestanda delicta alicujus delinquentis non oritur obligatio denuntiandi ea quæ probari non possunt per testes, vel scripturas, vel indicia sufficientia. *ibid. n. 4.*

Excipiuntur tamen hi casus, in quibus extat obligatio denuntiandi, etiamsi delictum probari non possit; videlicet quando in edicto non præcipitur denuntiatio, sed testificatio; quando præcipitur denuntiari delictum respiciens fidē & Christianam religionem, ut est hæresis, vel blasphemia hære-

hæreticalis; quando crimen vergit in grave detrimentum communitatis; & denique quando agitur de impedimento matrimonii denuntiando. *ib num.* 5.

8. Nemo tenetur denuntiare quæ novit sub secreto naturali, vel per consultationem, vel ad remedium adhibendum animæ aut corporis, aut honoris, aut pro defensione bonorum externorum. Imò revelans in hoc casu, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, etiamsi revelet id de quo præcessit infamia, vel semiplena probatio *ib.* §. 5 *n.* 1. & 2.

9. Qui tenetur revelare, non eximitur ab obligatione revelandi, etiamsi promiserit cum juramento non revelare; nam juramentum de re illicita non obligat, cùm non sit vinculum iniquitatis. *ib. num.* 3.

10. Ex vi edicti de manifestandis furibus, vel injustis detentoribus, non tenemur manifestare justum compensatorem, aut alium justum detentorem, aut eum qui supra debitum accepit aliquid in compensationem, antequam ferretur excommunicatio; sed statim lata excommunicatione proposuit restituere quamprimùm poterit, & oblata opportunitate restituit. §. 6. *num.* 1. & 2.

11. Petes, an qui non denuntiat justum compensatorem, ligetur excommunicatione, quoties ipse compensans non ligatur? Respond. non ligari, etiamsi excommunicatio specialiter lata sit contra scientes & non manifestantes. Idem dic de eo qui non denuntiat eum, quem novit non posse restituere ob impotentiam. *ib. n.* 3 & 4.

12. Conscius justæ compensationis, aut alterius legitimæ causæ in iis casibus, in quibus non tenetur denuntiare, potest jurare se nihil scire; intelligendo intra se, ut teneatur manifestare, secus dicendum quando dubitat de justitia compensationis, vel de impotentia restituendi; nisi rationabiliter deponat dubium. *ib. n.* 5 & 6.

13. Teneturne Caius denuntiare Titium vendentem possessionem in confidentia, in præjudicium creditorum, qui ad hoc impetrant excommunicationem contra retinentes talem possessionem? Tenetur, si Titius facta correctione, non vult satisfacere creditoribus. *ib. n.* 7.

14. Obligatio ex vi monitorii incipit à die & hora qua publicatur monitorium; non videtur tamen dies publicationis monitorii enumerandus intra dies termini ad denuntiandum. *ib.* §. 7. *n.* 1, & 2.

15. Ex-

15. Excusatus à culpa mortali non revelando, excusat etiam ab incurrenda excommunicatione lata in monitorio. *ibid. num.* 3.

16. Quando Prælatus præcipit manifestari delinquentes ad ipsius emendationem, vel satisfactionem partis, vel ad impediendum aliquod peccatum, præmittenda est iterum atque iterùm fraterna correctio; modò speretur emendatio & modò judex intendat solam emendationem, vel satisfactionem; secus si etiam intendat punitionem, & modò non sit periculum in mora: non est tamen præmittenda correctio antequam denuntietur hæreticus ex malitia. *ibid.* §8. *num.* 1. *& seq.*

17. Revelationem faciendam virtute monitoriorū recipere debet Notarius approbatus; nec solùm fieri debet ore, etiamsi fortè fiat coram Episcopo, aut Vicario. Præterea revelatio fieri debet expresso nomine & cognomine deferentis. *ibid, num.* 6.

18. Obligatio denuntiandi non finitur elapso termino præscripto ad denuntiandum; ita ut qui non denuntiavit intra terminum præfixum, toties incurrat excommunicationem non denuntiando, quoties commodè potest denuntiare. *ibid.* §. 9. *num.* 1. *&* 2.

19. Ab excommunicatione contracta ob inobedientiam edicto, aut monitorio, præter Episcopum virtute Tridentini potest absolvere solus habens facultatem ab eo, qui tulit edictum, aut monitorum. *ibid.* §. 10. *num.* 1.

20. Quilibet tenetur sub mortali jure communi hæreticum denuntiare, etiamsi hæresis sit occulta; & hæreticus denuntiandus, sit strictissimo consanguinitatis vinculo nobis conjunctus; vel etiamsi alterius hæresis nobis manifestata fuerit sub secreto (præciso tamen secreto confessionis, vel etiamsi hæreticus jam credatur emendatus. Limitatur tamen hæc doctrina, modo quis non retrahatur à denuntiatione ob metum gravis damni; aut si non certò sciat, sed solùm suspicetur aliquem esse hæreticum; aut modò non sit socius criminis: aut modo non sit in iis locis, in quibus passim permixti sunt hæretici cum Catholicis, id scientibus Inquisitoribus & Episcopis. *ibid, punct.* 2, *n.* 1. *usque ad* 10.

Ex dictis sequitur denuntiandos esse apostatas à fide (cùm apostasia non differat specie ab hæresi) & etiam maleficos aut sortilegos, quoties initum est pactum cum dæmone, aut

prævia

prævia est apostasia à fide. *ibid. numer.* 10. & 11.

21. Qui intra duodecim dies à sacra Congregatione præscriptos non denuntiavit hæreticos, vel suspectos de hæresi, tenetur adhuc illos denuntiare: nam terminus duodecim dierum non apponitur ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem denuntiandi. *ibid n.* 13.

22. Extat obligatio sub mortali denuntiandi Confessarium ad inhonestos actus pœnitentem in confessione sollicitantem; id est, allicientem, seu precibus rogantem, seu alia ratione invitantem ad turpia & inhonesta. Urgetque obligatio denuntiandi, etiamsi Confessarius tacitis verbis sollicitet, ut laudando à pulchritudine, venustate, &c. vel etiamsi alliciat pœnitentem ad peccandum cum tertia persona; vel etiamsi sollicitaverit ad venerea, antequam istæ bullæ promulgarentur. Imò probabile est, contra nonnullos, urgere adhuc præceptum denuntiandi, etiamsi Sacerdos sit emendatus, & pœniteat eum sollicitationis; secus dicendum de Confessario sollicitante ad alia peccata non venerea. *ibid. punct.* 3. *num.* 3 *& seq.*

23. Omnes ergo tam mares quàm fœminæ tenentur denuntiare Confessarium, qui eos ad turpia sollicitare, vel provocare tentavit, occasione vel prætextu confessionis; secus dicendum si pœnitens ipse Confessarium sollicitarit, & ad venerea induxerit; consequenter Confessarius non tenetur deferre fœminam se sollicitantem in confessione, sicut neque filia spiritualis patrem spiritualem, à quo sollicitata fuerit ad venerea extra sacramentum pœnitentiæ *ibid. n* 16. *& seq.*

24. Quæres, ad quem pertineat inquirere, cognoscere, & pœnam imponere ob crimen sollicitationis? Respondeo pertinere ad Inquisitores, Episcopos, ac ordinarios locorum; sed non possunt hoc delictum punire, nisi plenè probetur; quod fieri potest per testes singulares, ut per plures fœminas, quæ singulæ seorsim affirment se à Confessario in confessione sollicitatas fuisse; quia hoc crimen aliter probari non potest; debent tamen esse plures, quàm duæ fœminæ, quia cum fœminæ leves sint, & mutabiles, etiam ipsarum testimonium debile censetur & infirmum. *ibid. num.* 23. *& seq.*

Depositio.

Depositus retinet privilegium fori, & canonis, vide V. Or-

excommunicatio. Vid. etiam Tolet. *l.* 1. *c.* 17. *numer.* 6.

Depositio verbis, degradatio actu fit: privat depositio honore & dignitate, Maiol. *l.* 3. *de irreg. c.* 12

Depositione digna sunt stuprum, incestus, adulterium, & omnia adulterio majora, (quia etiam *c pervenit. d* 50. indicat sufficere fornicationem,) item furtum, perjurium, homicidium, etiam solo consilio, vel scortatione factum, & omne crimen inducens irregularitatem; denique enorme judicis arbitrio.

Quando infligatur depositio, docet *gl.* 15. *q.* 8. *in summa*

Depositus sine degradatione per Episcopum, ab eodem potest restitui. Quidam tamen addunt, nisi ob crimen sit depositus adulterio majus.

Sed non solent depositi ad clerum restitui, ex *c. qui semel c pervenit d.* 50. Maiol. *l. c. n* 4.

Depositum

1. Depositum est contractus, quo sola rei custodia alteri committitur; & consequenter depositarius non potest uti depósito; imo potiùs committet furtum si eo utatur, nisi forte credat hoc domino non displicere; aut nisi dominus concedat usum depositi expressè vel tacitè, aut res sit consumptibilis, ut pecunia, & similis haberi possit tempore quo repetetur, seu tempore solutionis. Duplex est depositum judiciale, & privatum; quod contingit, quando res aliqua deponitur apud confidentem hominem ut custodiatur; judiciale verò, quando debitor deponit pecuniam, quam creditor recusat acceptare; aut quando lis pendet de re aliqua, & interim ea deponitur apud aliquem, donec liti finis imponatur. *to* 2. *de Contractibus. disp.* 3. *q.* 14. *§unct.* 1. *n* 1.

2. Quilibet pollens usu rationis potest esse depositarius etiam si sit pupillus, femina, clericus, aut religiosus; quamvis malè faciat suscipiendo depositum absque consensu Abbatis. Ordinariè deponuntur tantummodo res mobiles, aut se moventes, ex. gr. gemmæ, libri, animalia, pecunia, &c. quæ functionem recipiunt; horum enim custodia potest alteri committi. *ibid punct* 2. *n.* 2. *&* 3.

3. Ad depositum hæ requiruntur conditiones: consensus tradentis & acceptantis, ut res tradatur; ut quando depositum exigitur, restituatur eadem res (intellige tamen quando depo-

depositum retinet naturam depositi, & non induit naturam mutui) & ut si depositum pereat, pereat deponenti, seclusâ culpâ depositarii. *ibid. punct 3. n, 1.*

4. Qui pecuniam apud aliquem deponunt, v. g. apud montem pietatis, vel apud mercatorem, hoc pacto ut mercator vel mons sibi solvat quatuor vel quinque in centum, excusari minimè possunt à peccato, sive accipiant hujusmodi lucrum ex depositi præcise, sive ratione usus concessi depositario *ibid. num. 5.*

ADDITIO.

Depositum, vel commodatum missum per hominem habitum fidelem ad dominum, ei perit; item, si pereat apud depositarium, vel commodatarium, sine culpa ad illius interitum aliquo modo ordinata, aut si perinde apud dominum fuisset periturum. De depositi Garz. *c.* 1. Mol. *à d.* 522. Lopez *l.* 3. *c.* 36 Salon. *quæst.* 62. *art. con.* 6 Nav. *c.* 17. *à num.* 180. Nav. *l c. n.* 185. Syl. *commodatum. nu.* 7 Lop *p.* 1. *c.* 97. aut) Syl. *vers mora. q* 4.

Depositi apud te, vel commodati, causa solius deponentis, in periculo postponenda sunt tuis omnibus; si verò causa utriusque, tuis æqualibus; si tua causa solùm, tuis pretiosioribus. Offerre quidem aliena periculo pro tuis non potes; sed tua servare neglectis alienis eo modo, quo dictum est, potes, si ea cum tuis simul servare non possis. Vid. Syl. *commodatum. n* 11. Garz. *c* 5. *n.* 24. *contr. Syl.*

Ecclesia tenetur de depositi apud sacristam, si iste deputatus erat ad custodiam depositorum; non autem si solùm erat deputatus ad Sacristiæ custodiam.

Potest in conscientia & depositum, & commodatum pro debito retineri, quidquid de foro sit exteriori. vid Nav. *l. c. n.* 185. Syl. *commodatum* 3. Garz. *l. c n.* 17. contrarium dicit.

Pactũ quod depositarius de dolo non teneatur, non valet.

Depositum dandum fisco, si ei omnia deponentis bona sunt adjudicata, ait Navar. Emm. Sa ei, qui depositi, restituendum credit, quod ad forum conscientiæ attinet; nisi id judex prohibuisset Nav. *cons.* 5. *de injur. & damn. da. l.* 5.

Depositarius reddens depositum familiari deponentis, liberatur; non liberatur autem si rem pretiosam dedit, leviter credens signum aliquod afferenti.

Res usu consumptibilis deposita, fit mutuum, simul ac depositarius uti incipit de voluntate deponentis. Vid. Syl. *c.17.num.181.*

Detractio

Vide v. *Contumelia, Susurratio.*

1. Detractio est occulta & injusta denigratio, seu læsio famæ (id est bonæ opinionis communis,) propriæ vel alienæ. Detractio est minus peccatum quàm contumelia, quæ est aperta & publica offensio. Duplex est detractio; formalis videlicet, quæ fit animo auferendi famam proximi; & materialis, quæ fit absque intentione auferendi famam proximi. Octo sunt modi detractionis: quatuor directi, videlicet

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Et quatuor indirecti, videlicet,

Qui negat, aut minuit, retrocet, laudatq; remissè.

2. Detractio est peccatum mortale ex suo genere; nihilominus ratione indeliberationis, vel parvitatis materiæ potest esse peccatum veniale: materia autem sufficiens ad peccatum mortale detractionis est manifestatio peccati mortalis, quoties graviter lædit famam proximi, quamvis defuncti: imo fieri potest ut manifestatio contumeliosa peccati venialis sit aliquando peccatum mortale, habita ratione personæ, v.g. Episcopi, vel alterius viri Ecclesiastici. *tom.2. de restitutione in particulari, disp.2.q.4.punct.1.num.* 1.2.3.6. *& punct* 2.*n.*1. *&* 7.

3. Manifestatio defectuum naturalium animi, vel corporis, nisi aliquod notabile damnum afferat, non est materia sufficiens ad peccatum mortale detractionis; sive defectus contracti sint cum culpa, sive sine culpa, ut si quis dicat Titium esse ignarum, parvi judicii, &c. Secus si dicat infectum esse morbo Gallico. *ibid.punct.*2.*n.*8. *&* 9.

4. Dicens in tali collegio, vel in tali loco adesse multos pravos & improbos homines; vel unum ex Canonicis talis Ecclesiæ commisisse simoniam, aut fornicationem, &c. non manifestata persona in particulari, peccatne mortaliter? Nó peccat, quia nullus infamatur in particulari, & nullus graviter læditur. Limita tamen, modó loquens non asserat omnes esse improbos; aut dicto suo multum detrahat & diminuat de

de bona existimatione talis vel talis loci. *ibid. num.* 10.

5. Petes, utrum revelare crimen uni vel duobus prudentibus qui secretò retinebunt, vel ob honestam causam, sit peccatum mortale? Probabile est non esse peccatum mortale; maximè si adsit honestus finis, ex. gr emendatio delinquentis, vel bonum publicum, causa capiendi consilii, &c. Quare damnandi sint conjuges peccati mortalis, qui extra hos casus de gravibus delictis aliorum inter se loquuntur: nisi fortè sint personæ taciturnæ, ut nonnulli volunt. Excusantur tamen loquentes de criminibus occultis filiorum suorum, aut famulorum; maximè quando hoc dirigitur ad illorum correctionem. *ibid punct.* 3. *n.* 1. *& seq.*

6. Pœnitens non peccat peccato detractionis, manifestando complicem in confessione, quando non potest aliter peccati speciem explicare; nec habet copiam, seu commoditatem adeundi alium Confessarium, cui non sit notus complex; similiter non peccat is contra justitiam, qui refert crimina audita ab hominibus non fide dignis, judicando personas à quibus audivit; & hoc verum est, quamvis audientes credant ea crimina vera esse. *ibid. punct.* 4. *num.* 2.

7. Non est peccatum mortale, saltem contra justitiam, crimen alterius alicubi publicum jure vel facto, vel famosum manifestare alibi, ubi nescitur: erit tamen peccatum mortale contra justitiam, si revelentur crimina alterius, quæ publica facta sunt per injuriam; ut accidit quando quis vi tormentorum confessus est crimina occulta judici non interroganti juridicè *ibid punct.* 6. *n.* 2. *&* 3.

8. Non est peccatum contra justitiam referre alicui delicta alterius, propter quæ aliàs fuit infamatus, quamvis nunc famam acquisierit honestis actionibus; modò referens non ostendat etiam nunc ipsum esse infamem & improbum; quia quamvis ille, cujus delicta narrantur, bonam nunc retineat famam; nihilominùs ratione delicti aliàs perpetrati fuit infamis, & numquam acquisivit jus, ut dicatur probus pro eo tempore, quo fuit improbus & infamis; peccant tamen historiographi referendo peccata mortuorum publica, non referendo eorum emendationem & resipiscentiam, si revera resipuerint. *ibid. n* 4. *& seq.*

9. Ad nullam tenetur restitutionem qui narrat delictum Titii occultum Mediolani, sed Romæ publicum, ex quo Titius damnum patitur; cùm hæc narratio non sit contra

justitiam. Idem dic de petente vel loquente de causa, ob quam aliquis in carcere detinetur; secus de narrante crimen alterius, credens illud esse verum & publicum, cùm revera non esset; hic enim tenetur ad restitutionem famæ statim ac cognoscit se erraſe. *ibid. n. 7. & seq.*

10. Non est peccatum mortale contra justitiam, infamatum in uno genere peccati, infamare in alio habente connexionem necessariam, vel moralem cum priori peccato, de quo fuit diffamatus; v. g dicere adulterum scripsisse litteras amatorias, aut hæreticum fregisse imagines Crucifixi, &c. Similiter patet non esse peccatum mortale detractionis infamatum ob multa delicta, infamare in alio, in quod labi solent committentes priora delicta; tunc enim non lædituf graviter fama proximi. *ibid. punct. 7 n. 1. & seq.*

11. Licitum est aperire crimen alterius ad consulendum bono illius, cujus crimen detegitur, vel alterius; vel ad impediendum damnum spirituale vel temporale alicujus momenti, modò revelatio criminis necessaria sit ad impediendum illud damnum, ad consulendum bono, &c. non poterit autem revelari crimen occultum, si nulli noceat. *ibidem punct. 8 num 1.*

12. Non est ergo peccatum detractionis detegere crimen alterius ad instructionem audientium, aut ad majorem cautelam audientium; ne peccatis aliorum pertrahantur ad peccata. *ibid. n. 10.*

13. Conficiens, vel concurrens ad libellos famosos, graviter peccat, & tenetur ad restitutionem; imo jure communi excommunicandus est. *Libelli* autem *famosi* nomine intelige signum, vel scripturam, quæ alicujus infamiam continet nondum anteà publicam, ut publica fiat, & in notitiam aliorum veniat, statim, aut paulatim, sive posteà publica fiat, sive non; eo quod ab aliquo comburatur, vel laceretur, vel alia ratione impediatur. Ille quoque censetur auctor libelli infamatorii, ejusque pœnis subjacet, qui apponit aliquod signum, quo alter infamatur: ut si quis cornua ad januam depingat, vel exponat ad indicandum aliquem habere conjugem adulteram. *ibid. punct. 9. n. 1. & seq.*

14. Licitum est ex causa rationabili manifestare sua peccata, & famam suam prodigere; peccat tamen mortaliter, qui sine rationabili causa dicit se esse hæreticum, vel commisisse crimen læsæ majestatis: nam ista crimina redundant

in

in opprobrium filiorum. Similiter peccat religiosus contra justitiam seipsum infamans, quando illius infamia redundat in religionem vel monasterium; quia fama illius non est tam illius, quàm religionis, cui cedere non potest. Peccat etiam, qui seipsum infamat cum periculo propriæ vitæ: sed non is, qui ad vitanda gravia tormenta manifestat judici verum crimen alterius, sed occultum, de quo promiserat secretum; quia secretum non obligat cum tanto incommodo, nisi sit secretum confessionis. *ibid. punct. 10. n. 2 & seq.*

15. Qui audit detractorem, & aliquo modo movet ad detrahendum peccat mortaliter contra justitiam, est enim causa injusta detractionis. Similiter peccat, & tenetur ad restitutionem, qui ostendit sibi gratam fore aliorum detractionem; aut qui absque justa causa alterum interrogat de aliorum defectibus; secus dicendum de eo qui non incitat alium ad detrahendum; sed solum delectatur de gravi detractione, is enim peccat tantùm contra charitatem. Audiens quoque detrahentem de re gravi, & eum non corrigens, per se loquendo peccat mortaliter contra charitatem (facit enim contra præceptum correctionis in re gravi, si subsit spes fructus, & non timeat sibi aliquod grave damnum corrigendo) & etiam contra justitiam, si teneatur ex officio curare salutem. *ibid punct 11. n. 1. & seq.*

16. Infamator ad nullam tenetur restitutionem, præcisè ratione infamiæ, quando infamatus recuperavit famam suis bonis actibus; tunc enim infamatus nullum amplius patitur damnum. Idem dic, quando infamator judicat prudenter audientes oblitos fuisse criminis narrati, sive narratio vera fuerit, sive falsa, neque tenetur interrogare eos, quibus narravit crimen alterius, an illius recordentur. *ibid. punct. 12. num. 1. & seq.*

17. Qui revelavit crimen coram iis quos sciebat, vel dubitabat, idem crimen aliis revelaturos, tenetur apud omnes famam restituere; quia sua detractione censetur causa efficax infamiæ apud omnes; secus si revelavit alicui, de cujus taciturnitate non dubitabat *ibid. punct. 14. n. 1. & 2.*

18. Qui alterum infamavit verum crimen aperiendo, non tenetur, neque potest dicere se mentitum esse, aut falsùm dixisse; sed debet sapiùs honorare & laudare infamatum apud eos, apud quos detraxit. Qui verò infamavit imponendo falsum crimen, tenetur retractare quod dixit, dicendo

se falsum dixisse; & qui publicè famam abstulit, tenetur eam publicè restituere. *ibid. punct. 15. n. 2. & seq.*

19. Detractor qui per suam infamiam injustè fuit causa ne alter consequeretur aliquod bonum, ut officium, vel beneficium, tenetur ad restitutionem boni impediti; id est, quanti valebat spes illius. *ibid. punct. 16. n. 2.*

Causæ excusantes à restitutione famæ.

20. Sunt novem, compensatio quæ fieri potest in restitutione famæ servata æqualitate; condonatio justa obligationis restituendi famam; quando infamia jam abiit in oblivionem; quando jam recuperata est bonis ac virtuosis actibus, vel proborum virorum testimonio; quando quis revelavit crimen occultum, quod posteà alia ratione justa factum est publicum; quando restitutio famæ facta èst impossibilis; quando detractatio fuit inefficax, ut quando audientes non crediderunt; quando infamator non potest famam sine periculo vitæ restituere; & quando restitutio alienæ famæ fieri non potest absque notabili jactura propriæ famæ; unde vir illustris non tenetur famam restituere homini plebeio; quando eam præstare non potest sine jactura suæ famæ. *ibid. punct. ult. n. 1. & seq.*

ADDITIO.

Detractio est ablatio famæ per verba, cum intentione nocendi. Fama est notitia, & opinio, quam aliquis apud homines habet, si bona, bona; si mala, mala appellatur. differt ab honore, qui est reverentia alicui exhibita, & aufertur per contumeliam, cùm fama per detractionem auferatur.

Intendit quis nocere dupliciter, directè, cùm habet hanc verè nocendi mentem; indirectè, cùm famam aufert, ob finem minùs principalem, quam sit famam lædere.

Octo modis aufertur fama. Quatuor circa malum, totidem circa bonum versantur? omnes duobus versibus significantur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudat ve remissè.

Impo-

Imponens falsum crimen. Augens verum, per exaggerationem. Manifestans occultum cum intentione lædendi famam. In mala, &c. interpretando bona facta in malam partem.

Negat virtutem alicujus apud eos, apud quos is ex eâ benè audit. Minuit, qui verbis extenuat. Tacendo detrahit, qui famam alterius non defendit, cum potest; vel cùm is laudatur, silet si hinc lædatur fama. Remissè, &c. hic modus ad secundum revocatur.

Hominem, (judicis præcipuè sententia) diffamatum in uno loco, posse in alio loco detegi, Cajet. ait: Adrian. negat. Distinguit Tol. Homo laborat infamia, vel ob actum judicialem, (quia scil. punitus est à judice,) vel ob factum publicum. 2. sic infamatus vel amissam reparavit, vel non. His observatis, sint conclusiones: 1. Prodere crimen alicujus quocumque modo infamiæ notati, animo lædendi famam, peccatum est contra charitatem. 2. Hominis olim infamia affecti, vel per actum judicialem, vel per publicum factum, qui modò bonam famam adeptus est, crimen sine legitima causa aperire, flagitium est charitati & justitiæ contrarium.

Hoc tamen aliquando liceret, 1. ad vitandum damnum alicujus corporale. 2. ad vitandum damnum spirituale. 3. quando criminis occultatio bono publico noceret.

Hominis per judicis sententiam infamia laborantis, bonam famam nondum adepti, scelus pandere in eadem urbe, neque charitati, neque justitiæ repugnat; alibi hoc facere non adversatur justitiæ, nisi in duobus casibus, 1. si tertia persona infamiam subeat. 2. si laboranti infamia corporale aliquod damnum accidat. Qui detegit crimen infamati, in illo loco, quo illius infamia non perveniret, peccat contra charitatem.

Si infamia sit publica, non per judicis sententiam, non est peccatum, in eodem loco rem manifestare; si hoc tamen alibi non noceret.

Seipsum infamare non est contra justitiam, (nisi ex consequenti, cùm scilicet alius inde infamia notatur) sed contra charitatem; est autem lethale piaculum in duobus casibus: 1. Cùm infamia est gravis. 2. cùm illa infamia alii nocet; adde, cùm intercedit perjurium.

Justè tortus occultum alterius crimen, verum tamen, manifestans non peccat. Limita 1. Nisi ea manifestatio in publicum damnum cedat. 2. nisi illud crimen cognoverit,

ratione sacramentalis confessionis. 3 vel viâ aliquâ injustâ ut vi, fraude, dolo.

Crimen suum verum potest quis, dum torquetur, etiam injustè, sine peccato fateri; est enim suæ famæ dominus. Hoc tamen non liceret, si putaret spirituale damnum aliis, aut Reipub. detrimentum suam confessionem allaturam. Tortus ob crimen falsò impositum, non peccat mortiferè, si illud à se admissum fateatur; si tamen non peieret, si aliis non noceat, si crimen non sit hæresis. Quòd si jam aliis nocuisset, falsum dicendo, obligandus esset à confessario ad veritatem aperiendam. V. P. Navar. *lib. 2. c. 4. n. 130. de restit.*

Cajet. *v. detractio. & 2. 2. q. 73. art. 2.* se ipsum infamare, ex genere suo, lethale crimen esse putat, contra charitatem, & justitiam; contraria Toleti sententia, quam sequitur etiam Pet. Nav. *lib. 2. c. 2. p. 2. dub. 1. n. 113. de restit.* communis est, Greg. de Valent. *tom. 3. d. 5. q. 10. p. 1* mortale scelus existimat ex genere hoc sine rationabili causa efficere, Clau. Reg. *lib. 41. c. 3. n. 33* veniale, utraque sententia probabilis.

Modi restituendæ famæ.

Qui famam abstulit falsis dictis, tenetur dicere, se mentitum, & jusiurandum addere, si opus sit. Qui infamatoriis libellis hoc effecit, contrariis libellis infamiæ notam tollere debet.

Qui verum, sed occultum crimen detexit, laudet etiam, cujus crimen in medium attulit, aut dicat, se malè, & injustè dixisse, & cùm opus est, coram Notario.

Quòd si crimen occultum patens fiat, detractor, (qui detrahendo deliquit, & damni illati reus est,) liber est à restitutione.

Qui his modis detrahendo damno affecit, ad restitutionem obligatus est.

Reus accusatorem infamans verum crimen negando, quod fateri debeat, tenetur famam restituere; si crimen non sit probatum, non tenetur restituere, licet peccarit negando. Contrarium tamen placet Cajet.

Qui famam aufert dicendo, se audivisse crimen alicujus ab alio, debet hominem laudando dicti illius certitudinem minuere.

Famam ablatam injustè pecuniis compensari posse, aut aliis

liis fortunæ bonis, videtur colligi posse ex S. Thom. 2 2. *q.* 62 *art.* 2. *ad* 2. & docent Arag. Salon. *in eumd. loc.* & Clavis Reg. *num.* 26 *l. c.*

Famam injustè ablatam tenetur infamator, etiam cum damno propriæ famæ restituere; vir tamen magni nominis & existimationis non tenetur ad hoc, cum homine infimæ sortis, sed potest resarcire pecunia, etsi recuset infamatus.

Qui famæ ablatione conjecit alterum in vitæ discrimen, tenetur restituere cum propriæ vitæ discrimine. Aliquando detractor tenetur cum periculo vitæ notabilem infamiam auferre, quod est contra Cajetan. bona inferioris ordinis cum damno bonorum ordinis superioris, restituenda non esse docentem.

Duo, qui se invicem æquali infamia affecerunt, mutuò possunt famæ compensationem efficere.

Infamia notatus non potest per modum vindictæ infamatoris famam obscurare, neque enim licet malum pro malo reddere; in judicio tamen potest injustè accusatus occultum alterius crimen prodere ad se justè tuendum, si talis criminis manifestatio ad hoc necessaria sit.

Compensationem in fama restituenda non habere locum docuit Cajetan. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. Joan. Majol *l.* 4. *dist.* 15. *q.* 16. Verùm Adrian *In* 4. Sot. *lib.* 4. *q.* 6 *art.* 3. *ad* 4 *de just.* & multis aliis contrarium placet, vid. Clav. Reg. *n.* 16. *l. c.*

Dispensatio.

Vide v. *Censura, Excommunicatio, Irregularitas, Lex, Privilegium, Votum.*

Disputare.

Vide v. *Fides.*

Distributiones.

Vide v. *Clericus, Officium divinum.*

1. Distributiones quæ nomen suum à verbo *distribuo*, acceperunt, sunt ea portio proventuum, qui tribui & dividi debent per singulas Horas, inter eos qui divinis officiis inter-

inserviunt pro rata servitii præstiti. Distributiones alio nomine vocantur, *portiones quotidianæ*, quòd conferantur quotidie inservientibus, *vestuaria, aut victualia, sportulæ, & dataria, emolumentum beneficiorum, seu præbendarum, reditus beneficij, vel Ecclesiæ proventus Ecclesiastici*, &c. Item vocantur aliquando *manuale beneficium*. Distributiones, regulariter loquendo, distinguuntur à fructibus ex Tridentin. *sess.* 24. *c.* 12. Unde qui privatur distributionibus, non ob id censetur privatus fructibus, modò beneficium simul reddat fructus à distributiones. Item habens facultatem lucrandi fructus, seu quantum lucraretur residendo, non potest distributiones percipere; cùm nomine *fructuum* non veniant distributiones. *tom.* 1. *de iis, quæ ad divinum Offic. in Choro publicè recit. faciunt, disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *n.* 1. *& seq.*

2. Pensio in dubio alicui beneficio imposita, non censetur super distributionibus imposita; nisi Summus Pontifex aliud exprimat; vel nisi beneficium in solis consistat distributionibus. *Ib. n.* 7. *&* 8.

3. In impetratione beneficii non sunt necessariò exprimendæ distributiones, nec in valore beneficii computantur neque similiter in sequestratione fructuum, redituum & proventuum veniunt distributiones propriè acceptæ. *ib. nn.* 9. *&* 10.

Dixi *propriè acceptæ*, quia extant aliquæ distributiones, quibus propria distributionum ratio non competit, ut sunt illæ quæ ex communi massa alicujus Ecclesiæ, etiamsi divinis officiis non intersint, modò resideant in loco suarum Ecclesiarum, aut saltem non recedant sine justa causa. *Ib. punct.* 2. *num.* 2.

Anniversaria non sunt propriè distributiones, sed ipsarum privilegio gaudent, & interessentibus solùm conferuntur. Jure humano Ecclesiastico, non verò naturali vel divino distributionum usus inductus est ad augendum & servandum divinum officium, ut beneficiarii, affectu distributionum acquirendarum, ad interessendum divinis officiis alliciantur & invitentur *Ib. n.* 3. *& punct.* 3. *n.* 1 *&* 3.

4. Qui ad distributiones admittendus est, titulum & possessionem beneficii habere debet. Item qui ad distributiones in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata admitti petit, ejus esse debet ætatis, ut intra annum promoveri queat ad ordinem quem ipsius beneficium postulat; adverte tamen id in-

telligi, præciso privilegio seu dispensatione Summi Pontificis. *lb. q. 3. punct. 1. n. 1. 2. & 3.*

5. Qui Canonicatum ex privilegio ante legitimam ætatem obtinuit, potest absque alia dispensatione distributiones interessentiæ respondentes recipere; nisi aliud ferat consuetudo; non verò quas lucraretur ratione functionis ordinis sui beneficii; quia par non est ut commodum sentiat, qui onus non sustinet. *lb. n. 4.*

6. Canonicus qui ad distributiones admitti postulat, ad illas præcisa in contrarium consuetudine, admitti debet, etiamsi actu ordinem non habeat quem tale beneficium exigit; quia ad lucrandas distributiones, per se loquendo, sufficit assistentia in choro, & debita Canonicarum precum recitatio. *lb. punct. 2. n. 1.*

7. Illi qui intra annum debito ordine initiatus non est, præcisa etiam in contrarium consuetudine, subtrahitur dimidia pars distributionum. *lb n. 3.*

8. Promovendus ad distributiones, seu ad Canonicatum, eam callere debet scientiam, quæ ad uniuscujusque beneficii ordinem requiritur; vel saltem ut habilis & idoneus censeatur, qui infra annum eam addiscat, qua ad debitum ordinem promoveri possit: in Canonicatibus verò nullum ordinem annexum habentibus, arbitror requiri saltem, ut promovendus fidei rudimenta edoctus fuerit, sciatque legere & scribere; & præterea nonnullam latinæ linguæ scientiam habeat, ita ut construere sciat, & etiam moderatè & sufficienter instructus sit in cantu *lb. punct. 3. n. 1. & seq.*

9. Non statim ac quis admissus est ad Capitulum, censetur etiam admissus ad distributiones, & è contrà *lb. n. 4.*

10. Qui sacro ordine initiatus non est, non potest vocem in Capitulo ferre, etiamsi ipse non fuerit in mora, aut etiamsi suscepto Subdiaconatu, noluerit suscipere Diaconatum, vel sacerdotium beneficio adnexum. Limitantur tamen prædicta in Decano, seu Archidiacono, qui Capitulum convocare potest, etiamsi sacro ordine nondum initiatus sit. *lb. n. 5. & seq.*

Cui ad Distributiones jus competat?

11. Jus percipiendi distributiones competit clericis Ecclesiæ Collegiatæ, vel Cathedralis, vel similis, qui divinis officiis

officiis ad distributiones admissi in suis Ecclesiis interfunt & inserviunt juxta legitimam sui Capituli constitutionem aut Superioris dispositionem: vel dispensationem. Unde qui vult lucrari distributiones, debet ad eas admitti interesse, & canere quæ alternatim dicuntur; debet etiam inservire juxta munus sui beneficii. *ib. q 4. punct. 1 n 1. 2. & 3*

12 Ad Episcopum & Capitulum spectat distributionum quotam Horis Canonicis assignare, & ea decernere quæ ad spiritualem Ecclesiæ administrationem faciunt, habendo rationem non solùm Horarum Canonicarum, verùm etiam ipsius Missæ Capitularis, & aliorum officiorum, quæ ex legitima consuetudine, vel ex particulari illius Ecclesiæ statuto in Ecclesia persolvuntur: hæc enim omnia veniunt nomine officii. Verum quidem est Canonicum illius Ecclesiæ, in qua aliquæ preces particulares recitantur, non teneri extra Chorum recitare. *ib. n. 4 & seq.*

13. In distributionibus assignandis alicubi habetur ratio Capitulorum & processionum. *ib n. 7.*

14 Ut prudenter assignetur distributionum taxa, inspicienda est solemnitas, quantitas officii & temporis in eo insumendi, aliæque hujusmodi circumstantiæ, quæ assistentem divinis, majori vel minori distributionum copia dignum efficiunt: non est tamen in hac taxa constituenda circa Collegiatas Ecclesias necessariò servanda constitutio Pii V. *ib. n. 8. & 9.*

15. Qui toti matutino non interfuit, sed majori parti, per se loquendo, ex natura rei privandus non est totis distributionibus; quia obligatio divini officii dividua est, quandoquidem divinum officium constet partibus dividuis. *ibid. num. 10.*

16. Jus percipiendi distributiones competit solis interessentibus divinis officiis verè ac realiter, vel saltem fictione juris: ob id Canonicus, qui choro non interest, etiam primis sex mensibus, aut tempore permisso in Concilio Tridentino, non lucratur distributiones. *ib. n 11.*

17 Canonicus assistens lucratur distributiones, etiamsi peccator sit occultus, vel publicus, vel fornicator: secus dicendum de non recitante notabilem divini officii partem attentè, aut obdormiente voluntariè, aut confabulante aliis recitantibus, etiamsi id fiat ad lectoralia. *ib. n 12 & 13.*

18. Canonicus non amittit de jure communi distributiones,

nes, dum non est in suo stallo, aut non induit habitum Canonicorum; sed quia non recitat cum aliis, *ib. n.* 14.

19. Resignans purè & absolutè, non potest facta beneficii resignatione, eaque à Summo Pontifice acceptata distributiones subsequentis temporis lucrari, quia jus ad distributiones habetur ratione tituli veri, vel saltem coloràti; quo caret qui ita resignavit: resignans autem sub conditione, potest distributiones lucrari, donec alter possessionem beneficii acceperit, modò per ipsum non stet, quò minùs possessionem capiat, aliæve conditiones in resignatione appositæ impleantur *ib. punct.* 2. n. 3. & 4.

20. Fructus percepti medio tempore, pertinent ad resignatarium, in cujus favorem facta fuit resignatio; Secus dic de distributionibus medio tempore perceptis; istæ enim debentur resignanti, qui divinis officiis assistit. *ib, n.* 5.

21. Habens duo beneficia, non potest in utroque residere; verùm si ista beneficia sint dignitate inæqualia, in digniori residere tenetur. Quòd si habeat ex dispensatione duo beneficia residentiam requirentia, in eò residere tenetur, in quo est major necessitas, seu causa residendi: si æqualis est necessitas, residere potest in quo maluerit. *ib. punct* 3. *n.* 1. & 2.

22. Habens dignitatem & Canonicatum, vel duplicem Canonicatum in eadem Ecclesia, non potest præcisa dispensatione, vel consuetudine duplices distributiones utrique Canonicatui respondentes lucrari. Ad introducendam autem legitimè hujusmodi consuetudinem, quadraginta anni requiruntur, *ib. n.* 3. & *seq.*

23. Quæres, cur habens plura beneficia, recipiat fructus omnium unica recitatione, non verò recipiat distributiones omnium unica assistentia? Respond rationem differentiæ esse, quia illud legitima consuetudine & moribus omnium plura beneficia habentium comprobatum est, sciente & permittente Summo Pontifice: circa distributiones verò non extat hujusmodi licentia, seu permissio. *ib. n.* 7.

24. Qui ex privilegio, vel dispensatione inservit Ecclesiæ per Coadjutorem, seu Vicarium, lucratur distributiones: nisi aliter Summus Pontifex disposuerit; vel nisi coadjutus consenserit ut coadjutori tribuantur: quia coadjutor regulariter conceditur in favorem coadjuti, qui non debet illi damnum circa distributiones afferre. Distributiones ergo debentur coadjuto, etiamsi coadjutor absit ex causa infirmi-

firmitatis, vel aliàs imò ex quacumque causa sua culpa absit tenetur ad damnum. *Ib. punct. 4. n. 3. & 4.*

35 Canonici qui Choro quidem assistunt, sed ex consuetudine, saltem præscripta post Tridentinum, officium per seipsos in Choro non recitant, sed per Mansionarios in Ecclesia existentes muneri suo satisfaciunt, distributiones lucrari possunt. Ut autem hujusmodi consuetudo legitimè introducta censeatur, requiruntur quadraginta anni, non verò tempus immemorabile, ut multi sentiunt. *Ibid. punct. 5. n. 4. & 5.*

Absens quibus ex causis lucrari possit Distributiones: & an ligatus censura eas quoque lucretur.

26. Absens causa gravis infirmitatis potest etiam præcisa consuetudine, distributiones lucrari: etiamsi propria culpa infirmitatem contraxerit, nec in loco beneficii tempore infirmitatis existat; secus dicendum si absit ex ignavia, vel si morbus levis sit: existimo tamen leviorem morbum potiùs excusare ab interessentia in Choro, quàm à recitatione divini officii. *Ib. q. 5. punct. 1. n. 1. & seq.*

27. Infirmus qui aliàs interesse non consuevit, non lucratur distributiones; quamquam nonnulli sentiant infirmum posse distributiones lucrari, etiamsi aliàs consuetudinem haberet non interessendi. Infirmo autem qui aliàs interesse solebat, conferendæ sunt distributiones pro rata temporis, quo interesse consueverat. *Ib. n. 10. & seq.*

28. Laborans gravi podagra, aut simili morbo accessum ad Ecclesiam impediente, excusatur ab assistentia in Choro, nec non lucrari potest distributiones. Idem valet in sene, qui sine gravi valetudinis detrimento Choro interesse nequit. *Ib. n. 13*

29. Absens ex justa & rationabili corporis necessitate lucrari potest distributiones, quamdiu necessitas durat; præcisa tamen positiva consuetudine in contrarium. *Ib. punct. 2. num 1.*

30. Distributiones conceduntur ei qui de consilio Medici domi se continet, aut pharmacum sumit, aut sanguinem misit, aut qui oppido egreditur, ut salubriori aura utatur. Idem procedit in eo, qui ob cantum defatigatus aliquantisper egreditur Choro. *Ib. n. 4. & 5.*

31. Ab-

31. Absens causa pestis in illo oppido grassantis, lucratur distributiones; modò curam non habeat animarum. Item absens ob gravem metum injustè incussum, ob bellum, ob injustum Principis præceptum, ob inimicitias similesque causas lucratur distributiones. Idem valet in eo qui vi detinetur, aut injustè pulsus est in exilium. *ib. n. 7. & seq.*

32. Detentus injusto carcere lucratur distributiones; etiamsi judex illum capi justè præceperit; & etiamsi prima sententia condemnatoria contra ipsum lata fuerit; modò tamen anteà interesse consueverit, nec propria culpa in carcerem conjectus sit *ib. §. 1. n. 1. & seq.*

33. Canonico injustè detento in carcere, non debentur anniversaria, seu funerales portiones; quamquam actionem habeat contra injustum accusatorem. *ib. n 5.*

34. Qui ob injustam accusationem Romam se contulit, ibique probata innocentia vitæ per sententiam absolutus fuit, distributionibus gaudere potest *ib. n. 6.*

35. Justè excommunicatus excommunicatione majori, & vitandus, seu denuntiatus privatur distributionibus, etiamsi petat absolutionem, & justè denegetur; secus si injustè denegetur. *ib. §. 2. n 1. & 2.*

36. Excommunicatus absens à Choro aliquibus diebus, potest tempus absentiæ computare intra bimestre, quo impunè à Choro abesse potest. *ib. n 3.*

37. Invalidè excommunicatus, qui anteà divinis officiis interesse consueverat, non amittit distributiones; imò subtractas recuperat, postquam de nullitate seu injustitia excommunicationis constiterit; quia talis dicitur abesse ob rationabilem necessitatem. Et distributiones quæ ob injustam excommunicationem amissæ fuerunt, repeti debent ab ipsis Canonicis, quibus applicatæ fuerunt, & in ipsorum defectum à judice: quamvis aliter sentiendum est in foro conscientiæ, si judex bona fide excommunicavit, aut si Canonici bona fide consumpserunt, nec in ulla re locupletiores effecti sunt. *ib. n 4. & seq.*

38. Injustè suspensus distributiones percipere potest, sive sit suspensus ab officio, sive à beneficio, sive etiam à fructibus, si fortè ob hujusmodi suspensionem à Choro abesse cogatur. Imò justè suspensus ab officio non privatur distributionibus, nisi fortè aliquæ functiones debeantur ratione alicujus functionis ex officio debitæ, quam ob suspensionem exercere nequeat. *ib. §. 3. n. 1. & 2.*

39. Justè suspensus à beneficio, vel à divinis, privatur distributionibus; nisi fortè sit toleratus, & assistat. *ib. n.* 3. & 4.

40. Injustè interdictus à divinis officiis non privatur distributionibus; justè verò interdictus privatur, quatenus hæ conferuntur iis qui divinis intersunt. Hoc valet non solum in interdicto simpliciter, seu à divinis; verùm etiam in interdicto vitando, & in eo qui divina audit in Ecclesia consecrata, vel benedicta, & Episcopi auctoritate erecta. *ib.* §. 4. *n.* 1. & *seq.*

41. Canonici non privantur distributionibus, dum non celebrant officia, eò quòd interdicta sit Ecclesia interdicto speciali; secus si interdicta sit interdicto generali. *ib. n.* 5.

42 Canonici qui tempore cessationis à divinis officiis celebrare nequeunt, non percipiunt distributiones; habent tamen præfati Canonici actionem contra eum, cujus culpa post admonitionem latum est interdictum, quando ex legitima causa cessaverunt *ib.* §. 5. *n.* 1. & 2.

43 Canonici percipiunt distributiones, dum Ecclesia in qua celebrare consueverunt polluta est & violata; quia per ipsos non stat, ne divina officia in Choro persolvantur. Non censetur autem Ecclesia polluta, nisi postquam delictum publicum effectum est. *ib.* §. 6. *n.* 1. & 3.

44 Canonicus irregularis ob irregularitatem præcisè contractam post beneficii consecutionem non privatur distributionibus; privatur autem per accidens distributionibus, quoties functioni ordinis debentur distributiones, aut quoties irregularitas annexa est alicui delicto inducenti ipso facto beneficii privationem, quam beneficiarius tenetur ante judicis sententiam subire. Imò etiam privatur distributionibus ob irregularitatem, dum irregularitas ante beneficii consecutionem contracta fuit *ib.* §. 7. *n.* 1. & *seq.*

45. Canonicus realiter degradatus præcisa dispensatione obtenta à Summo Pontifice, non percipit distributiones; neque hujusmodi degradatus alendus est fructibus beneficii, aut distributionibus. Idem valet in verbaliter degradato, nisi fortè legitimam appellationem interposuerit: imo verbaliter degradatus non videtur alendus distributionibus, etiamsi alioquin ostiatim mendicare cogatur; & hoc in terrorem pœnæ & spem emendationis aliorum. *ib.* §. 8. *n.* 1 & *seq.*

46. Canonicus qui beneficio privatus est, non habet jus ad distributiones; quia sublato principali, videlicet beneficio,

cio, corruit accessorium, seu distributiones ex beneficio consurgentes. *ib.* § 9 *n.* 1.

47. Canonicus, seu clericus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, qui aliàs interesse consueverat, potest jure sibi permittente, distributiones capere, dum abest in evidentem & certam suæ propriæ Ecclesiæ utilitatem. Idem valet in habentibus dignitatem, mansionarius, aliisque clericis ejusdem Ecclesiæ; modò tamen non adsit positiva consuetudo in contrarium, & modò utilitas ob quam abest, sit alicujus momenti; & non sit dubium an negotium, de quo agitur, utile futurum sit Ecclesiæ; utilitas enim debet esse certa & evidens. *ib. punct.* 3. *n.* 1. *& seq.* Hinc

48. Absens causa confessionis suorum peccatorum, aut voti adimplendi, non lucratur distributiones: secus dicendum de absente ad necessitatem propriæ Ecclesiæ sublevandam; huic enim debentur distributiones; sicut & illi, qui tempore divinorum ex mandato Capituli detinetur in iis, quæ ad Capitulum faciunt. *ib. n.* 8. *& seq.*

49. Exercens jurisdictionem suæ Ecclesiæ, vel missus ad Summum Pontificem, aliumve Principem titulo legationis nomine Capituli, lucratur distributiones. Item Canonicus missus ad Concilium generale tamquam Theologus, vel Canonista sui capituli, vel tamquam Procurator. Item Canonici missi ad limina Apostolorum ad referendum Ecclesiæ suæ statum, lucrantur quoque distributiones. *ib. n* 12 *& seq.*

50. Qui provinciam ad negotium in evidentem Ecclesiæ utilitatem peragendum sibi demandari curavit; lucrari potest distributiones. *ib. n.* 15.

51. Canonicus à Capitulo constitutus ad negotia Ecclesiæ peragenda, lucrari potest distributiones, si ea tempore divinorum peragat; quamvis alio tempore expedire potuisset, modò ei liberum esset quovis tempore expedire; quidquid dicant alii in contrarium. *ib. n.* 16. *&* 17.

52. Qui ad peragenda Ecclesiæ negotia citiùs discessit, aut diutiùs distulit quàm par sit, non lucratur distributiones illi tempori respondentes, quo diutiùs regressum distulit, vel citiùs discessit; modò scienter hoc fecerit. *ib. n.* 18.

53. Canonicus legitimè absens lucratur pro tempore absentiæ distributiones, etiamsi absens aliquot horas, vel dies sine detrimento justæ causæ, ob quam abest, in ludos & recreationem insumat. *ib. n.* 20.

54. Qui mandatum à Capitulo accepit ad peragendum matutino tempore negotium Ecclesiæ, lucratur distributiones, etiamsi matutino tempore propriis negotiis vacet, dilato post prandium Ecclesiæ negotio expediendo. *ib. n.* 21.

55. Ad lucrandas distributiones non est absenti in evidentem Ecclesiæ utilitatem necessaria Episcopi licentia. *ib. n.* 21.

56. Absenti in servitio Papæ non sunt quidem denegandi fructus; distributiones tamen præciso privilegio non debentur. Unde à fortiori patet inservienti Cardinali, vel Principi sæculari non solùm distributiones denegari, verùm etiam fructus subtrahi posse. Probabilius est etiam inservienti Legato Summi Pontificis subtrahi posse distributiones. *ib.* §. 1. *n.* 1. *& seq.*

57. Canonicus cum Episcopo absens in utilitatem propriæ Ecclesiæ, lucratur distributiones: secus si absit cum Episcopo ad visitandam diœcesim, &c. quia non dicitur tunc abesse in evidentem Ecclesiæ utilitatem. Verum quidem est, Canonicum cum Episcopo extra propriam Ecclesiam existentem percipere distributiones juxta probabilem nonnullorum opinionem, si Canonicatus nullos redditus habeat præter distributiones. *ib.* §. 2. *n.* 1. *& seq.*

58. Episcopus potest aliquos Canonicos non solùm urbi, verum etiam ruris in sui servitium adhibere; qui interim fruuntur fructibus, etiamsi in ea Ecclesia extet statutum juratum, quo fructus non residentibus denegantur; modo præfati Canonici non sint alterius diœcesis Mansionarii, aut alii qui non sunt propriè Canonici, privari possunt distributionibus, dum absunt in servitium Episcopi; cùm jura loquantur solùm de Canonicis. *ib. n.* 4 *& seq.*

59. Absens ad tuenda Capituli sui jura, non privatur distributionibus, etiamsi in locum valdè distantem se transferat, aut etiamsi stipendium à Capitulo accipiat. *ib.* § 3. *n.* 1.

60. Canonicus absens ut tueatur jura beneficii, lucratur distributiones, etiamsi procuratorem in sui locum mittere potuerit ad prosequendam litem; secus si absit ut tueatur jus suum contra alterum idem prætendentem, aut ad prætendendos fructus beneficii, quod habet in alia Ecclesia. *ibid. n.* 2. *&* 3.

61. Canonicus qui tempore divinorum officiorum Missam in sua Cathedrali aut Collegiata Ecclesia celebrat, non lucratur distributiones. Hoc valet etiamsi celebret ex devotio-

tione, vel tamquam mercenarius, vel tamquam Capellanus titularis Idem valet, etiamsi celebret de consensu Superioris, inferioris Summo Pontifice; secus dicendum si hoc faciat ex privilegio Summi Pontificis. *ib* §. 4. *n.* 1. *& seq.*

62. Pœnitentiarius jure novo percipit distributiones, si tempore divinorum, aut etiam Litaniarum, vel Processionum, quæ extra Ecclesiam peraguntur, in Ecclesia propria detineatur ad excipiendas confessiones; secus si confabuletur, vel privatim recitet officium, vel confessiones domi audiat: Canonici quoque confessionem audientes in defectum pœnitentiarii, percipere possunt distributiones; secus si hoc faciant præsente Pœnitentiario; nisi aliud ferat privilegium vel statutum à Sede Apostolica confirmatũ. *ib.* § 5 *n.* 1. *& seq.*

63. Theologus seu obtinens præbendam Theologalem, non potest præciso privilegio tempore absentiæ lucrari distributiones, etiamsi à Choro absit prætextu parandæ concionis, vel lectionis, vel defatigationis, quæ ex studio consurgere potest; nisi fortè ipsius præbenda fructus non habeat distinctos à distributionibus. Excipiuntur tamen à præfata propositione illi dies, quibus Theologi in suis Ecclesiis legunt; illis enim diebus tamquam præsentes in Choro habendos declaravit Gregorius XIII *ib* §. 6 *n.* 1. *& 2.*

64. Theologus absens causa sui muneris percipit distributiones, dum Canonicatus in solis consistit distributionibus juxta communem opinionem; de qua videtur ambigendum, & saltem dicendum detrahendam esse tertiam partem pro inservientibus. *ib. n.* 4.

65. Habens dignitatem, vel Canonicatum cum animarum cura, non lucratur distributiones tempore absentiæ; intellige tamen, modò beneficium habeat distributiones & fructus, aut nisi adsit privilegium, aut consuetudo in contrarium; quæ consuetudo introducta est, ne parochi timore amittendarum distributionum muneri suo Parochiali deessent. Imò ex Tridentino *sess.* 22. *c.* 3 *de reform.* qui dignitatem habet cum cura animarum extra diœcesim, lucratur distributiones extraordinarias; quæ autem sint distributiones extraordinariæ, vide in Trident. *c.* 22. *cap.* 3. *ib.* § 7. *n.* 1 *& seq.*

66. Canonici quibus locorum piorum cura, vel administratio aliqua demandata est, ut sunt deputati Seminarii, Hospitalium & similium locorum, non possunt, pro tempore quo in commodum & utilitatem horum locorum absunt,

distributionibus frui; modo tamen non adsit legitima consuetudo, vel privilegium in contrarium, quale concessum fuit D. Carolo. *ib* § 8. *n.* 1. *& seq.*

67. Absens causa studendi, vel docendi, non lucratur distributiones, sed tantum modo fructus; lucratur tamen etiam distributiones, dum hoc illi permittitur per consuetudinem, vel quando abest ex speciali privilegio, quo datur facultas abesse possit cum jure ad fruct s, & beneficium non habet fructus separatos à distributionibus: tunc enim absens lucratur etiam distributiones; detracta tamen ea parte, quæ deservientibus debetur, juxta locorum consuetudinem. Et hoc valet non solùm in absente causa studii Theologici, verùm etiam civilis. Imò multi Doctores putant licitum esse causa studii abesse usque ad quinquennium sine alia licentia. Non potest tamen quis causa studii abesse, dum Ecclesia ex illius absentia grave damnum, vel magnam divini cultus diminutionem pateretur. *ib.* §. 9. *n.* 1. *& seq.*

68 Absens causa studii debet operam studiis dare in gymnasio publicò, in universitate, seu studio generali. Et si Sacerdos aut habens dignitatem causa studii abesse velit, peculiarem habere debet facultatem; secus dicendum de Canonico absente causa studiorum; is enim non tenetur alium in sui locum substituere, nisi beneficium adnexam habeat animarum curam, jurisdictionem, vel aliud, quod per alium adimpleri possit: si verò habet solum simplex beneficium solam habens Chori obligationem, non tenetur Vicarium in sui locum substituere. *ib n.* 7. *& seq.*

69. Absens potest ex privilegio solius Summi Pontificis, non autem ullius alterius ipso inferioris lucrari distributiones: & hujusmodi privilegium concessum stricte explicandum est, servata verborum proprietate. *ib. p.* 4. *n* 1. 2. *& 4.*

70 Licita & valida est compositio, qua absens privilegium obtinet, retinendi sibi distributiones soluta certa pecuniæ summa Cameræ Apostolicæ; & qui tale privilegium obtinuit, tutus est in conscientia. *ib. n.* 3.

71. Habens privilegium percipiendi distributiones non lucratur mortuaria & anniversaria. Item habens privilegium percipiendi fructus omnes, non potest percipere distributiones, nisi fortè beneficium nullos alios habeat reditus præter distributiones. *ib. n.* 5. *& 6.*

72. Habens privilegium non residendi certo anni tempo-

re

re cum jure ad distributiones, non potest hujusmodi privilegio uti, dum usu privilegii divinus cultus notabiliter læderetur; quamobrem huic incommodo per Episcopos in aliquibus Ecclesiis consultum est, ut certo tempore non nisi tertia pars Canonicorum abesse possit, assignatis cuilibet suis hebdomadis, ut sufficiens Canonicorum numerus ad divina celebranda semper remaneat. *lb. n. 7. & 8.*

73. Privilegium, quo Canonici sine jactura distributionum duobus mensibus in anno causa recreationis, vel negotiorum suorum abesse possunt, computandum est intra totum annum, pro rata temporis quo ad distributiones admissi fuerunt. Item habens privilegium quo duorum mensium spatio, id est, sexaginta diebus naturalibus, abesse possit sine distributionum amissione, hoc privilegio integrè gaudere potest, nisi aliud exigat consuetudo: quare habens hoc privilegium non interessendi duobus mensibus in anno, potest quovis anni tempore ex vi illius privilegii abesse, nisi aliud obstet. *lb. n. 9. & seq.*

74. Habens privilegium percipiendi fructus, vel distributiones, non potest cogere Capitulum ad restitutionem fructuum, seu distributionum, postquam bona fide facta fuit illarum divisio inter Canonicos. *lb. n. 16.*

75. Statuto vel constitutione Capitulorum, vel Episcoporum, aut alterius Summo Pontifice inferioris caveri non potest, regulariter loquendo, ut distributiones absentibus conferantur. Dicitur *regulariter loquendo*; quia multi casus per epikeiam excipiuntur. *lb. punct. 5. n. 1 & 3.*

76. Non potest sola consuetudine induci, ut distributiones absentibus licitè conferantur, nisi consuetudo ex rationabili causa inducatur; aut nisi Summus Pontifex consentiat; non sufficit autem, regulariter loquendo, tacitus Summi Pontificis consensus. *lb. punct. 6. n. 2. & 6.*

77. Non est admittenda consuetudo, ut absentes eleemosynam capiant, dum anniversaria celebrantur. Non valet quoque consuetudo, ut Canonicus de recenti admissus percipiat distributiones tempori absentiæ respondentes. Item non potest induci consuetudo, ut assistens una hora, vel recitans submissa voce lucretur omnes totius anni distributiones; sicut nec consuetudine induci potest, ut distributiones primi anni conferantur heredibus quasi jure proprio ipsorum heredum; secus dicendũ de fructibus, qui ex cõsuetudine

dine dari possunt heredibus Canonici mortui. *lb.n.8.&*

78 Non videtur admittenda consuetudo; qua Canonici alternis hebdomadis inserviant,& omnes distributiones lucrentur;non videtur tamen reprobanda ea consuetudo,qua interessentes Matutinis precibus,tantùm lucrentur, quantum percipiunt alii,qui reliquis horis intersunt, *lb.num.13 & 14.*

79.Non videtur admittenda consuetudo concedens jubilationem, id est, ut qui quadraginta annis divinis interfuerunt, distributiones capiant æquè ac si essent præsentes, etiamsi Choro non intersint, maximè quando adhuc sunt vegeti & robusti : secus dicendum de senibus,quia senectus comparatur morbo,imò & ipsa morbus est, *ib.n.* 15.& 16.

80. Consuetudine saltem immemorabili induci potest, ut quis per alium ejusdem Ecclesiæ Canonicum assistens & serviens Ecclesiæ,fruatur distributionibus. *ib.n.17.*

81. Habens duos Canonicatus non potest ex consuetudine acquirere jus percipiendi distributiones,dum abest; nisi fortè beneficia in solis distributionibus consistant,tunc enim probabile est posse aliquid accipere ob alia onera, *ibid. numer.18.*

82.Canonicus qui justam ob causam abfuit,lucrari potest distributiones,si postquam rediit, aliquamdiu domi justa de causa,v.g.ad quiescendum commoretur,nec ad chorum accedat.*ib.n.20.*

83.Quæres,utrum Canonicus,qui divinis officiis non interfuit,possit distributiones percipere, si alii,quibus ob assistentiam accreverunt,eas remittant,largiantur, vel ex pacto condonent. Respondetur primò, non solùm illicitam, verùm etiam invalidam esse distributionum remissionem,etiamsi absentia contigerit ex justa causa;nec est tutus in conscientia, qui distributiones accipit ob remissionem sibi factam. Et remissio distributionum non solùm irrita est si fiat de futuro,verùm etiam si fiat de præterito. Secundò non est licita,aut valida distributionum collusio inter absentes,neque licita videtur etiam amicabilis compositio,qua certa distributionum portio còndonatur; secus dicendum de transactione circa præteritas & futuras distributiones, quæservatis servandis non videtur illicita : sicuti nec donatio jure communi vetita videtur, facta ab eo qui jam acceperat distributiones,quas alter ob absentiam amiserat. Unde sequitur

turCanonicum donare posse distributiones absentibus, quas accepit per se, vel procuratorem, seu Thesaurarium, qui eas ad partem ex mandato Canonici retinet: Canonicus tamen qui distributiones amissas tradit interessentibus, hac conditione, ut sibi restituantur, non est tutus in conscientia si eas recipiat. *ibid. punct. 7. & §. 1. n. 2. & 3.*

Jure particulari in aliquibus locis, ut in provincia Mediolanensi, non solùm illicita est remissio distributionum; verùm etiam donatio propriè accèpta. *ibid §. 2. num. 4.*

84. Quæres, utrum Cànonici qui Choro non assistunt, non solùm jacturam distributionum faciant: verùm etiam ad alia onera, v.g. annatam, decimam, pensionem, &c. distributionibus annexa teneantur, quamvis illis per absentiam à Choro priventur? Respondetur annatam non solvi ex quotidianis distributionibus in ingressu beneficii; & hoc valet etiam si beneficium in solis consistat distributionibus: solvendum est tamen quindennium, & quidem anticipatè singulis quindecim annis, non solùm à Canonicis, verùm etiam ab iis, qui pensionem ex beneficiis percipiunt. Nec refert quod Canonicus, à quo solvitur quindennium, Choro postea non assistat, quia solvitur anticipatè. *ibid. qu. 6. punct. 1. num 1. & seq.*

85. Quindennium seu annata nullam simoniæ labem continet; quia annata non imponitur tamquam in pretium beneficii, sed in subsidium & sustentationem ministrorum, qui Summo Pontifici inserviunt. *ibid. n. 9.*

86. In permutationibus beneficiorum æqualis valoris non solvitur annata: si verò sint inæqualis valoris, solvitur non solùm quoad excessum valoris, verùm etiam integre. *ib. n. 8.*

87. Ex distributionibus solvendum non est Episcopo subsidium charitativum, quod ei persolvi præscribitur *cap. conquerenti*; quia hujusmodi subsidium solvitur de fructibus & reditibus beneficiorum; distributiones autem, regulariter loquendo, non veniunt nomine fructuum, vel redituum; nisi aliud ex verbis vel circumstantiis colligatur. *ibid. n. 9.*

88. Decima spiritualis solvitur parochis de distributionibus, non autem Papæ; nisi hoc exprimatur in impositione decimæ. *ibid. punct. 2. n. 1. & 2.*

89. Pensio, regulariter loquendo, non solvitur ex distributionibus: & in dubio pensio non censetur super distributionibus imposita, nisi beneficium in solis distributionibus consistat,

sistat, aut nisi Summus Pontifex aliud exprimat. Adde pensionem non censeri impositam in illis distributionibus, quæ conflatæ sunt ex fructibus, & proventibus beneficiorum, juxta Tridentini decretum *sess.* 21. *c.* 3 *ibid. punct.* 3. *n.* 1, *& seq.*

90. Si pensio super distributionibus imposita sit, solvenda est ab illo, qui distributiones percipit; quia obligatio solvendæ pensionis est onus reale; onus autem reale, solvendum est ab eo qui rem habet: hinc onus solvendæ pensionis transit ad Capitulum, dum distributiones accrescunt ob absentiam Canonici, super cujus Canonicatu imposita fuerat pensio, & singuli Canonici, quibus accreverunt distributiones Canonici absentis, habentis Canonicatum onere pensionis super distributionibus gravatum, tenentur ad pensionem pro rata distributionum perceptarum; modò Canonicus non perceperit tot distributiones, quæ sufficiant ad pensionem solvendam. Idem dicendum est, dum beneficium onere pensionis gravatum unitum est Capitulo. *ibid. n.* 8 *& seq.*

91. Quando consuetudine vel statuto introductum est, ut omnes fructus, aut aliqua pars Capitulo solvatur primo anno, Capitulum non potest fructus exigere, nisi detracta pensione; quia fructus beneficii remanent hypothecæ subjecti pro solutione pensionis. *ibid. n.* 12.

92. Canonicus non tenetur ad priorem pensionem, postquam aliud beneficium per novam provisionem obtinuit: secus si retento primo titulo obtineat alia bona, vel priora bona in alia commutet. *ibid. num.* 14.

93. Successor in beneficio tenetur ad pensionem, sive imposita esset super fructibus, sive super distributionibus; succedit enim in onera realia, ad quæ prior beneficiarius ratione beneficii tenebatur. *ibid. num.* 15,

94. Distributiones quotidianæ propriè sumptæ, quæ conferuntur iis qui absunt, si divinis officiis interessent, præcisa consuetudine in contrarium, debentur aliis Canonicis qui divinis officiis interfunt; modò reipsa aliqui interfint, & non omnes sua culpa absint: distributiones verò impropriè acceptæ, seu extraordinariæ, non debentur aliis assistentibus; sed Ecclesiæ, vel pio loco arbitrio ordinarii. *ibid. quæst.* 7. *punct.* 1. *n.* 1. *&* 2.

95. Distributiones, quibus Canonicus in pœnam delicti à judice privatur, tradendæ sunt fisco, juxta judicis voluntatem. *ibid. num.* 3.

Con-

Consuetudine induci potest ut distributiones absentium quæ interessentibus accresc. rent, Ecclesiæ tribuantur. *ib. n.* 4.

96. Distributiones absentium non accrescunt iis qui ex legitima causa absunt, ob quam jura proprias distributiones concedunt, ut si absint ob infirmitatem, aut quia Ecclesia diruta est. *ibid num.* 6.

97. Beneficiarius divinis officiis in Choro mancipatus, si divinis officiis non interfit, non potest distributiones percipere, & perceptas tenetur restituere, etiam ante ullam judicis sententiam. Præterea à Canonici Choro interessentes acquirunt distributiones absentium ab eo tempore, quo isti absunt ex causa, ob quam jura distributiones non concedunt. Ratio est, quia respectu absentium tunc temporis desinit causa ob quam conferuntur distributiones, & reliqui Canonici ab eo tempore majorem præstant operam. *ibid. punct.* 2 *num.* 2. & 5.

98. Episcopus ferre potest legem, ob cujus transgressionem Canonicus privetur distributionibus ante judicis sententiam. *ibid. num.* 4.

Divinatio.

Vide v. *Decalogus.*

1. Divinatio est prædictio seu prænuntiatio rerum occultarum, quæ humano modo cognosci non possunt, facta ope dæmonis. Divinatio fit tam per expressam, quàm per tacitam dæmonis invocationem. Expressa contingit per apparitionem fictam in figuris, vel assumptis corporibus per signa apparentia in corporibus terrestribus; ut in ligno, ferro, lapide, per negromantiam, per exta animalium, per aera, ignem, aquam, & per somnia; quatenus homo per somnia à dæmone immissa divinare intendit, quibus non licet fidem adhibere; licet verò adhibere aliquam fidem iis quæ à Deo proficiscuntur, aut à causa naturali quoad ea, quæ per ipsa cognosci possunt. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum disp. 3. quæst. 5. punct. 3. n. 1 & seq.*

2. Contingit autem divinatio cum tacita dæmonis invocatione, quoties ad divinandum ea adhibentur, quæ talem virtutem non habent; ut fit, quando quis vult divinare per taxillos, per chartas, per numeros, aut per observationem

vocis

vocis vel cantus; secus dicendum si fiat per id, quo talis cognitio naturaliter haberi potest; & hac de causa excusatur astrologia naturalis, per quam ex intuitu & contemplatione astrorum coniicimus effectus naturales, in quos cælum influit; & etiam inclinationes hominis: quamquam hæc astrologia est valdè incerta. Quod attinet ad astrologiam judiciariam, superstitiosa est, quoties certiùs prædicit tales effectus, quàm ex astris cognosci possint; unde faciens judicia vel nativitates hominum circa futuros effectus contingentes ab humana voluntate pendentes, reus est astrologiæ judiciariæ & superstitiosæ, vetitæ non solùm jure Ecclesiastico, verùm etiam naturali divino, si de his effectibus absolutum judicium ferat. *ibid. n.* 9 *& seq.*

3. Divinatio per sortes, alia est divisoria, qua emittuntur sortes ad cognoscendum, quid cuique tribuendum sit in electionibus, controversiis, &c. alia consultoria, qua emittuntur sortes ad indagandam divinam voluntatem, ut sciatur quid præstandum, quidve cavendum sit; alia divinatoria, qua aliqui utuntur ad cognoscendas res occultas. *ibid. num.* 13. Hoc posito adverte,

4. Electionem ad officia Ecclesiastica factam per sortes, non esse ipso facto irritam (excepta saltem electione per sortes ad pastorale officium ac dignitatem,) cum id nullo jure probetur. *ibid. n.* 14.

5. Sors consultoria est tantummodò licita; quando fit ex necessitate, circa debitam materiam, cum debita reverentia & modo debito; sors verò divinatoria est omnino illicita. *ibid. n.* 15.

6. Divinatio sive fiat cum tacita, sive cum expressa dæmonis invocatione, est mortale peccatum ex suo genere; at excusatur à mortali, qui joci causa ostendit velle futura divinare. *ibid n.* 17. *&* 18.

7. Divinatio per somnia, per sortes, &c. est peccatum mortale, nisi ex simplicitate fidem quis illis præstet, vel nisi putet ea esse à Deo, ut paulò ante diximus. *ibid. n.* 19.

8. Divinatio cum tacita dæmonis invocatione habet malitiam ejusdem speciei, quam habet facta cum expressa invocatione. Et sive fiat per aerem, sive per aquam, sive ignem, &c. est ejusdem speciei in genere moris, sed diversæ in genere naturæ: quare non est necesse in confessione exprimere rem, per quam facta est divinatio. *ibid. n.* 20. *& seq.*

AD.

ADDITIO.

Divinatio est enuntiatio inordinata eorum, quæ per naturam cognosci nequeunt, velle scire modo inordinato à sola divina voluntate, ab humana libertate pendentia, & nondum futura. Futura contingentia, occulta, & absentia, quæ nequit homo per se cognoscere, ad divinationem spectant.

Hæc dæmon non certò, sed conjectura aliqua, vel boni Angeli revelatione scit; prædicit tamen aliqua, quæ naturaliter eventura cognoscit. Interdum dæmon apertè invocatur, ut pandat occulta, qui respondet vel per fictas figuras, vel per somnia, vel per mortuorum suscitationem, vel per arreptitios, vel per statuas, & corpora terrestria, vel per figuras in aqua, seu in igne, vel per animalium viscera. Hæ omnes species lethalia peccata sunt. Interdum tacitè invocatur dæmon, cùm quis ad res cognoscendas iis utitur, quæ nullam ad hoc virtutem habent, hujus divinationis duplex est genus: alterum, cùm media non sunt opera ab homine facta, alterum cùm media sunt actiones humanæ Primum continet Astrologiam, Augurium, Auspicium, Omen, Chiromantiam.

In vana observantia dæmon invocatur tacitè, cum media adhibentur nullam vim ad effectus habentia. Hujus quatuor sunt species. 1. *Ars notoria*, quæ continet orationes quasdam. & jejunia ad consequendas scientias, sine labore; hæc lethalis est. 2. *Observantia sanitatum*, cùm homo ad consequendam corporis sanitatem, vanis, & inutilibus mediis utitur; hæc venialis est, si ex ignorantia quis ea utatur; mortalis, si admonitus. 3 *Observantia futurorum eventuum*, hæc venialis est; nisi homo admonitus pertinaciter in ea perseveret. 4 *Observantia reliquiarum falsarum, vel verarum*, cum aliqua vana circumstantia; ut, si quis Evangelium ferat scriptum in charta virgine, &c. præterea cùm effectus falli promittuntur, ut quod quis in bello non peribit. Hæc sunt mortalia. Sine vanis circumstantiis veras reliquias deferre, aut sacra verba, pium est, & utile.

Quæres: quot modis fiat divinatio diabolica. Resp. Generatim fieri duobus modis, uno quando manifestè dæmones invocantur ad futura manifestanda; vel quando quis ex inten-

intentione aliquid facit, ad quod opera dæmonis requirit. Altero, quando tacitè invocantur, hoc est, quando quis facit, quibus dæmon se ordinariè miscet, etsi non ea intentione faciat. Resp. 2. Utrumque modum habere certas species, à diabolo inventas, qui instar simiæ imitatur cælestes Dei operationes, vel sacros Ecclesiæ ritus. Et 1. quidem, nec invocatus, nunc in vigilia, nunc in somnis, nunc in cerimonia externa, nunc sine illa facit homines divinare. Resp. 3. Eum facere divinare in vigilia homines ferè quadrupliciter, 1. in oculis prædicendo species rerum, quæ non sunt, & dicitur præstigium, quo oculi præstringuntur. 2. in auribus formando vocem, sicut & Deus, 1. *Reg.* 9 loquebatur in Samuelis aurem 3 cum imaginatione, sicut Deus Ezechieli, & Isaiæ variè ostendebat, vel addito furore quodam, ut videantur à mente alienari, ut 1. *Reg.* 10. & 19. spiritu Dei agitati, & vaticinati sunt Saul & lictores ejus; sic dæmonis opera arreptitii isti, & fortè etiam eodem modo vaticinatæ sunt Sibyllæ. 4. manendo semper in aliquo homine, sicut & spiritus Domini semper mansisse dicitur in Moyse, *Num.* 11. quomodo divinabant Pythonici, & Pythonissæ; Pythones autem dicti sunt, quia dæmonem habent in ventre, & responsa dant per umbilicum, vel per pectus, ut docet Orig. *l. b. 7. cont. Cels.* & Aug. *l. 2. de doct. Christ. c. 23.* & Plut. *in l. cur. oracul. defecerint.* Resp. 4. Adhibita cerimonia fieri divinationem, & quadrupliciter. 1. respondendo per idolum, divinis interrogantibus. 2. per sacrificia, ut etiam in Vet. Testam. & tunc in visceribus animalium demonstrant signo aliquo, quod quæritur, & dicuntur arupices. 3. per divinationem mortuorum, quæ dicitur necromantia, qualem exercuit Pythonissa 1. *Reg.* 1. vel apertione capitis, vel alterius partis corporis humani, & dicitur cranimantia. 4. per figuram expressam in re materiata, quæ si fuerit in corpore terrestri, ut ferro, vitro, speculo, vel lapide solido, dicitur geomantia; si in aqua, hydromantia, si in aere aeromantia, si in igne, pyromantia.

Divortium.

Vide v. *Matrimonium.*

1. Quamvis adulterium non sit causa sufficiens faciendi divortium quoad vinculum, nihilominus est causa sufficiens

ciens divortii perpetui quoad torum & habitationem, tam in femina, quàm in viro. *to. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrim. quæst. 4. punct. 5. n. 2*

2. Per solum animum fornicandi, aut alios actus impudicos non datur causa sufficiens divortii, cùm per eos non dividatur caro: secus dicendum de sodomia tam activa quàm passiva, & bestialitate in femina vel viro, quæ est causa sufficiens divortii; modo hoc peccatum committatur cum alio, quàm cum proprio conjuge: caro enim conjugum non dividitur, nisi per copulam cum alia habitam *ibid n. 3. & 4.*

3. Pollutio extraordinaria cum alia, vel secum tantùm, non est causa sufficiens divortii; quia caro proprie non dividitur, *ibid. n. 5*

4. Vir & uxor sunt pares in causa divortii. *ibid. n. 6.*

5. Ad faciendum in foro conscientiæ divortium, non requiritur ut adulterium probetur; nam probatio videtur spectare ad forum externum pro faciendo divortio. Imo potest conjux innocens propria auctoritate, secluso scandalo, divortium facere. *ibid. n. 7. & seq.*

6. Innocens qui cum adultero fecit divortium, ex natura rei non tenetur cum eo habitare, si per censuras ad id compellatur; quia præceptum Superioris non obligat in conscientia, quando procedit ex falsa præsumptione. *ibid. n. 11.*

7. Conjux innocens tenetur facere divortium sub mortali, si per divortium sperat emendationem & fructum, etsi immineat scandalum, ita ut existimetur fautor delicti, cui aliter quàm per divortium mederi non possit. *ibid n. 13.*

8. Casus in quibus non licet facere divortium sunt hi; quando uterque conjux commisit adulterium; quando vir dedit uxori causam proximam adulterandi; quando uxor commisit adulterium tantùm materialiter, aut cognita est per violentiam, & quando conjux innocens condonavit alteri adulterium expressè per verba, aut tacitè per signa. *ib n. 14*

9. Quando uterque conjux commisit adulterium, sed unus emendatus est, potest emendatus petere divortium, si alter perseveret in crimine. *ib d. n. 15.*

10. Conjux innocens, post factum divortium cogere potest adulterum ut ad se redeat, cùm sententia divortii facta sit in pœnam adulteri: potestque consequenter eum revocare in amicitiam. *ibid. n. 16. & 17.*

11. Adulter facto divortio non habet propriè actionem repetendi innocentem. *ibid. n. 19.* 12. Con-

12. Conjux adulter occultus potest petere debitum altero conjuge ignorante suum adulterium; nec tenetur suum delictum manifestare. Imò & publicus amicabiliter pete potest ut recuperet jus amissum. *ibid. n. 20. & 21.*

13. Habens occultum vitium, quo cognito alter recede ret à sponsalibus, potest cogere sponsum ignarum vitii, u stet sponsalibus validis *ibid. n. 22.*

14. Conjux facto divortio potest recipere sacros ordines aut religionem ingredi altero manente in sæculo : caveat tamen innocens id facere quando delictum alterius est occultum; fieri enim potest, ut non probato delicto restituatur uxori adulteræ. *ibid. n. 23.*

15. Multæ sunt causæ sufficientes ad faciendum divortium non perpetuum quoad thorum & habitationem, quamdiu ipsæ causæ durant; videlicet, sævitia mariti, furor alterius conjugis, quando unus conjugum tentavit alterum occidere, vel instigat ad peccatum, vel si sit veneficus, aut labatur in infidelitatem, vel hæresim, qui lapsus est quædam fornicatio spiritualis; & denique votum communi consensu emissum, in quo casu possunt conjuges separari quoad torum. *ibidem num. 25.*

16. Filii facto divortio sequuntur jure civili partem innocentem. *ibid. num. 26.*

ADDITIO.

In adulterio notorio perditur dos, & donatio propter nuptias (de paraphernalibus alii ajunt, alii negant; sed id Judex viderit, requiritur enim ejus sententia) redduntur autem omnia post reconciliationē; at adultera mortua, ei, ad quem ejus morte pertinebant; sed de iis Jurisconsulti censeant. Notorium autem dicitur adulterium, si deprehendantur in eodem lectio, aut, (secundùm quosdam) se occultè invicem osculari.

Facto divortio, filii partem innocentem sequuntur, de Jure Civili.

Peccatum contra naturam est una ex causis divortii. S. Thom. *add. ad. 3. p. q. 62 art. 1. ad 4.* Led. *ibid.* etiam apud Turcas, teste Aug. Gisl. Busbeq. leg. Turc. *ep. 3.*

Decreti

Docere, Doctor.

Docturus etiam Grammaticam, debet priùs facere fidei professionem, juxta Bullam Pii V. idemque promovendus ad gradum aliquem, aut Rectoris, aut Cancellarii officium.

De Doctorum peccatis vid. Navar. *cap.* 25. *n.* 55.

Docturus scripturam Regularis extra claustrum, priùs est per ordinarium approbandus. Ex Conc. Trid. *session.* 5. *c.* 1. *de reform.*

Dolus, Vid. etiam Culpa.

Dolus est cum voluntate nocendi sc. machinatio fallax.

De dolo, culpa juridica, casu fortuito, vid. Mol. *d.* 293 De dolo in emptione & venditione vid. eumd. *d.* 352. Sylvest. *ver. culpa.*

Lata culpa in conscientia non habetur pro dolo. Syl. *l.* 1.

Dolo procurans delictum, non potest tenere proventia sibi ex illo per aliquod statutum.

Domicilium.

Domicilium alicujus est, ubi familia ejus, vel habitatio, cum intentione manendi. Clerici autem, ubi residentia; quod si in duobus beneficiis æqualiter residet, utrobique habet domicilium. v. Syl. *domicilium.*

Qui æqualiter, aut ferè æqualiter in duobus locis habitat, in utroque habet domicilium.

Scholastici, etsi non habent domicilium in loco studii; tamen possunt ab illo Episcopo absolvi, & dispensari ut subditi, non autem ordinari.

Dominium, Dominus. vid. etiam Princeps, Servus.

Dominus tenetur de damnis, quæ cùm posset, non impedivit in suo dominio.

De dominio Val. *l.* 3 *disp.* 5 *q.* 10. *p.* 1. Sot. *l.* 4. *de just.* Salon fusè *q.* 71. *art.* 2. Syl. *dominium.* 8.

Non tenetur dominus famulum ob peccatum domo ejicere, nisi fortè id necessarium sit ad peccatum illud vitandum, vid. Nav. *c.* 14. *n.* 21.

Potest dominus in domibus servorum dare hospitium externis per aliquot dies; modò id faciat suis expensis.

Potest & solus hospitium, & furnum publicum, si velit habere.

Dominium rei, quæ nullius fuit, non acquiritur sine apprehensione; sufficit autem in spiritualibus habere titulum.

Domus. v. etiam Conductio.

Concessa alicui domûs habitatione, intelligitur etiam concessum, ut possit locare; nisi solus usus concedatur.

Donatio.

1. Donatio nihil est aliud quàm liberalis datio alicujus rei. Donatio remuneratoria, non est propriè donatio; item neque remissio debiti facta liberaliter à creditore. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 13. punct. 1. n. 1 & seq.*

2. Ille potest donare, qui habet liberam administrationem & dominium bonorum, & à jure non impeditur: ex quo patet prodigum, impuberem sine licentia curatoris, filiumfamilias non habentem bona castrensia vel quasi, religiosum Superiori subditum absque licentia sui Superioris, uxorem non habentem alia bona præter dotem, furiosum, amentem; vel alium qui non est sui compos, eum cujus bona fiscò adjecta sunt, & minorem non posse donare absque consensu curatoris tacito, vel expresso; quamquam minor donare potest ea, quæ alii suæ conditionis donant. Item beneficiarius non potest ad suum libitum fructus beneficii qui supersunt congruæ suæ sustentationi, donare vel impendere in usus profanos & vanos; quamvis si donet, valida sit donatio. *ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

3. Donatio patris in filium legitimum non emancipatum, regulariter non est firma jure communi, sed revocari potest ad arbitrium patris; nisi facta sit cum juramento. Dicitur *regulariter*, nam dantur aliqui casus, in quibus valida est donatio patris in filium, si fiat sine damno legitimæ aliorum filiorum; hi casus sunt donatio causa dotis & nuptiarum titulo remunerationis ob accepta obsequia, quando pater remittit filio usumfructum, quem habet in bonis filii adventitiis, quando donat filio eunti ad castra bona mobilia. Item quando valet donatio inter conjuges, valet etiam inter liberos; valida autem est donatio inter conjuges, si conjux donet

net causa mortis, aut remunerationis ob merita & obsequia alias non debita: ut si senex duxit puellam, si maritus constante matrimonio condonet & remittat dotem, aut scienter fateatur se dotem accepisse, cùm non acceperit; si fiat contrados, quæ si fuerat constituta, constante matrimonio, poterit mortuo viro exigi ab uxore; quando donator non efficitur pauperior ob talem donationem, aut donatarius non fit locupletior. *ibid punct 5, n. 2. & punct 4. n. 29.*

4. Petes, an annuli, vestes, & similia quæ uxoribus fieri & tradi consueverunt à maritis, censeantur donata, vel tantùm concessa ad usum; Resp. si hæc ornamenta sint vilia, & ad quotidianum usum, censentur donata, sicque fiunt propria uxoris; secus si sint pretiosa, vel festiva. *ibid. num 30.*

5. Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum inter viros, invalida est, nisi fiat Ecclesiæ, vel causæ piæ, aut confirmetur juramento; quia per hujusmodi donationem adimitur potestas testandi, quam jura adimi nolunt. *ibid. punct 5. num. 1.*

6. Insinuatio (quæ est quædam manifestatio, qua donans declarat judici in scriptis, se liberè tantam summam alteri donare, & judex suo consensu illam approbat,) requiritur ad donationem excedentem quingentos solidos, id est, quingentos nummos aureos, alioquin donatio invalida est quoad excessum; etiamsi donatio sit tantummodò tacita & præsumpta, nisi firmetur juramento, vel fiat causæ piæ, vel nisi fiat Principi absoluto. Idem valet, etiamsi donatio facta sit pluribus simul absque insinuatione. *ibid. punct. 6. num. 1. 2. 3. & 4.*

7. Ille cui facta est donatio excedens dictam summam tenetur ad restitutionem, si exigatur à donatore, vel ejus hæredibus: si verò non exigatur, non tenetur. *ibid. num. 6.*

8. Non est liberum donanti rescindere, quoties voluerit, donationem factam inter vivos, præterquam in his casibus, ob ingratitudinem donatarii; modò donatio non sit facta ob causam, vel cum expresso juramento non revocandi ob ingratitudinem: aut ob susceptionem prolis legitimæ non præcogitatam, aut ob inofficiosam donationem, quæ contingit, quoties pater tantam donat, ut non retineat quantum postulat legitima portio filiorum; appellaturque inofficiosa, quia est contra officium pietatis. Hæc autem inofficiosa donatio revocari potest, quatenus opus est ad

supplendas legitimas filiorum portiones, modò donatio non sit facta extraneo: hæc enim revocatur in totum. *ibid. punct. ult. n. 2. & seq. item. n. 13. & 14.*

9. Petes, utrum si filii nascantur post donationem, sed adhuc vivente patre moriantur, reviviscat donatio? Respondetur negativè, nisi ex conjecturis appareat, patrem iterum in donationem consentire. Similiter non revocabitur donatio, si facta donatione, filius naturalis, aut spurius nascatur, qui privilegio Principis legitimetur; quia in leg. fit tantùm mentio legitimorum. *ibid. num. 17. & 18.*

10. Heredes donatoris non possunt revocare donationem ob ingratitudinem donatarii commissam contra donatorem, si ingratitudo cognita fuit donatori, illique superfuit tempus ad revocandam donationem; nam eo ipso quòd cognovit, & non revocavit, censetur condonasse. *ibid. n. 5.*

11. Donatio facta causa mortis, potest à donatore usque ad mortem revocari, sicut revocari potest legatum & testamentum. Non censetur autem donatio facta causa mortis, nisi sit facta mentio mortis. *ibid. n. 20. & 21.*

Dubium.

Vide v. *Peccatum.*

Duellum.

Vide v. *Excommunicatio.*

1. Duellum est pugna singularis, deliberata ab utraque parte, sponte & ex condicto suscepta, statuto loco & tempore, cum periculo occisionis, mutilationis aut vulneris. Hinc collige bellum non esse duellum, neque conflictus, qui fiunt in bello inter hostes, dum unus dux mittit decem milites in arenam contra alios decem; neque conflictus, qui fiunt subito iræ fervore, vel ex altercatione nascuntur; neque secundùm nonnullos illi videntur incidere in pœnas pugnantium in duello, qui sese obviam habentes, diffidant se in tali loco, quò statim tendunt, & ibi pugnant: quamquam contrarium probabilius sit, *tom. 1. de Excommunicatione. disp. 2. q. 6. punct. 1. n. 2. & seq.*

2. Pugnam inchoans in Ecclesia, non videtur incidere

in

in pœnas duellum committentibus propositas, si Ecclesia egrediantur ob ipsius reverentiam, & pugnam extra Ecclesiam committant. *ibid. n.* 8.

3. Duellum offerens alteri, illumque eodem tempore aggrediens, duellum non committit. Item nec digladiantes causa loci, vel exercitii, committunt duellum; nec mulieres capillos adinvicem evellentes. aut pugnis, aut alio instrumento non periculoso se petentes, non incurrunt pœnas ob duellum impositas. *ibid n.* 9. & *seq.*

4. Decertantes faxis, cultellis, baculis & fustibus committere possunt duellum, modò hæc pugna fiat ex recondito: secus dicendum de eo qui domum accedit ad capienda arma, & nulla facta ad duellum provocatione rediens inimicum diffidat, & statim aggreditur. *ibid. n.* 12. & 13.

5. Diffidans alterum non animo pugnandi, sed causa honoris proprii defendendi, non afficitur excommunicatione; quamvis aliunde peccet, invitando scilicet alterum ad peccatum. Idem dicendum de provocantibus se ad pugnam nullo statuto loco & tempore. *ibid. n.* 14. & 15.

6. Deambulans ante inimicum, aut torva facie intuens, aut ensem distringens, & similia faciens, non afficitur excommunicatione. *ibid. n.* 16.

7. Invitans alterum ad duellum, aut pugnans in duello regulariter loquendo, graviter peccat; & præter excommunicationem gravibus subjicitur pœnis. Duellum per se loquendo semper est illicitum: nisi ad sedandos duos exercitus contrarios, aut quando aliquis compellitur sub vitæ periculo acceptare duellum; numquam tamen duello dirimi potest lis inter duos, etiamsi aliter dirimi nequeat. *ibidem num.* 17. & *seq.*

8. Delinquentes contra constitutiones Pontificias in detestationem duelli editas, præter confiscationem bonorum, & alias pœnas pro qualitate personarum in Bulla expressas, afficiuntur excommunicatione: & loca, in quibus duellum commissum fuit scientibus & permittentibus dictorum locorum dominis, Ecclesiastico interdicto subjiciuntur; decertantes verò, si in ipso conflictu obierint, privandi sunt Ecclesiastica sepultura; si fuerint clerici, suspenduntur & privantur beneficiis. *ibid.* n. 20. & *seq.*

9. Ex dictis collige non solùm pugnantes in duello, aut diffidantes, excommunicationi subjici, verum etiam dominos

minos locorum, magistratus, locum tenentes, duces militum, qui non prohibent quominùs hæc fiant, (nisi habeant justam causam permittendi,) aut qui post commissum crimen, veniam & impunitatem concedunt. Princeps tamen Christianus concedens locum in suo territorio duobus infidelibus ad duellum, non videtur incidere in excommunicationem. *ibid. n.* 25. & 26.

10. His etiam pœnis subjiciuntur mandantes, suadentes, consulentes quolibet modo; licet consilium, vel mandatum non influxerit in effectum: quamvis multi oppositum sentiant, quando consilium vel mandatum nihil omnino influunt, aut influxus re adhuc integra revocatus & retractus est. *ibid. num.* 27. & 28.

11. Eædem pœnæ incurruntur ab acceptante statim ac acceptavit, à comitantibus; nisi fortè velint impedire: à sociis, patrinis, & spectatoribus ex industria: à commodantibus aut vendentibus scienter arma pugnaturo in duello, nisi justam vendendi aut commodandi causam habeant. Item incurruntur à facientibus, & intimantibus, seu affigentibus scripta & narrationes provocatorias ad duellum: secus dicendum de ratum habentibus duellum. *ibid. num.* 29. 20. 21. & *seq.*

12. Ab excommunicatione contracta ob aliquod delictum in causa duelli, absolvere possunt post Summum Pontificem, Episcopi, quando delictum est occultum, aut reus non potest adire Papam; & religiosi juxta sua privilegia, modo revocata non fuerint (sicut de facto respectu existentium in Italia extra urbem Romanam revocata fuerunt in decreto sacræ Congregationis:) & non inciderint in excommunicationem Gregorii XIII. *ibid. n.* 38. & *seq.*

E.

Ecclesia,

Vide v, *Immunitas, Sacrilegium.*

Ejecti à religione,

Vide v. *Apostata.*

Eleemosyna.

Vide v, *Charitas.*

Em-

Emphyteusis.

Vide v. *Feudum.*

Emptio.

Vide v. *Contractus, Monopolia, Venditio.*

1. EMptio est contractus ultro citroque emptore & venditore obligans, eo quòd emptor obligetur ad tradendum pretium pro merce, & venditor obligetur ad tradendas merces pro pretio. Venditio verò est etiam contractus ultro citroque emptorem & venditorem obligans; ita ut venditor obligetur ad tradendam mercem pro pretio, & emptor obligetur ad tradendum pretium pro merce. Emptio & venditio possunt perfici solo consensu extrinsecùs expresso, neque traditio est de essentia venditionis, contra nonnullos, *tom. 2. de Contractibus, disp. 3 q. 2. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. Hinc sequitur gabellas quæ solvendæ sunt ex emptione aut venditione anteà celebrata, persolvendas esse priori gabellario; non verò successori, si ante conditionis eventum mutati sunt gabellarii. *ibid. n. 6.*

3. Omnia quæ pecunia æstimantur (qualia non sunt spiritualia per se, ut calices, res sacræ, &c. quæ vendi non possunt, nisi ratione materiæ,) vendi possunt; nisi adsit aliqua specialis prohibitio, seu circumstantia, quæ venditionem reddat invalidam, aut illicitam & peccaminosam; ut est venditio rei alienæ, & eorum quæ tantùm inserviunt ad malum usum, aut venditio Templi absque Principis auctoritate, aut venditio hominis liberi, quamquàm excusatur pater vendens filium ob nimiam egestatem, aut pro solvendis debitis, pro vita propria redimenda, aut etiam pro alio redimendo, ut patet exemplo S. Paulini Episcopi Nolensis, qui seipsum vendidit pro filio viduæ redimendo. Reliqua verò vendi possunt, ut jactus retis, partus pecorum, fructus agrorum, actiones, jura, hæreditates, & res omnes ex se indifferentes pretio æstimabiles. *ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

4. Venditio cum pacto retrovendendi in favorem solius venditoris licita est, interveniente justo pretio, intentione emendi & vendendi, & modò nulla adsit læsio, &

fructus rei emptæ pertineant ad emptorem, quia res domino fructificat; limita tamen, præciso contractu locationis fructuum cum pacto retrovendendi celebrato; celebrari enim licitè potest, modò non celebretur ad palliandam usuram. *ibid. punct. 3. n. 38. & seq.*

5. Petes, quanti res vendi possit? Resp. rem tanti vendi posse, quanti valet juxta taxam Principis, vel communem prudentum hominum æstimationem: propterea vendentes aliquid supra justum pretium rigorosum, aut ementes infra infimum, tenentur ad restitutionem illius, quod acceperunt non servata justi pretii latitudine; & res pretiosas parvi emi posse in iis locis, in quibus passim parvi æstimantur: nam tanti emuntur, quanti valent in iis locis. Non erit tamen totus in conscientia, qui emit nummo aureo gemmam à rustico ignaro valoris gemmæ, protestans se nolle plus dare, seque velle excessum retinere titulo donationis. Ratio est, quia rusticus censetur involuntariè donare, cùm ignoret gemmæ valorem; ad validam autem donationem requiritur perfectum voluntarium. *ibid. punct. 4. n. 3. & seq.*

6. Sed quid faciendum, & quodnam pretium servandum est, quando extant duo pretia, quorum unum taxatum fuit à Principe, alterum à communi hominum æstimatione? Servandum est pretium justum taxatum à Principe; secus si non sit justum, sed iniquum. Non extat obligatio servandi pretium taxatum à Principe, quando res notabiliter variata est quoad valorem: neque quando omnes, vel major pars taxam Principis impunè violet, sciente Principe. *ib. 7. & seq.*

7 Licet aliquando rem pluris vendere, quam alioquin venderetur, & minoris emere, quam alioquin emeretur, concurrentibus his circumstantiis: multitudine emptorum & copia pecuniæ, affectu ad rem quæ venditur, ut si venditor ægrè se privet ea re; lucro cessante venditori in gratiam emptoris rem vendenti, aut damno emergente, quod patitur creditor vendendo credita pecunia. Alia conditio seu causa augendi pretium est periculum amittendi totum, vel partem pretii, vel periculum recuperandi pretium cum expensis & molestiis: videtur tamen admonendus emptor de hac re, ne invitus emat majori pretio, quam fortè aliunde emisset. Sed petes, an venditor, qui pretium auxit ob periculum prædictum possit excessum pretii sibi retinere, si postea damnum re ipsâ non patiatur? Potest retinere, modò pretium

eium non fuerit immoderatum, & reverà subesset periculum amittendi totum vel partem pretii, vel recuperandi pretium cum expensis, &c. *lib. n.* 13. *& seq.*

8. Sicut autem propter lucrum cessans, & damnum emergens; aut propter periculum amittendi pretium, res potest pluris vendi credito quàm alioquin venderetur; ita etiam emptor potest minoris emere anticipata solutione, si anticipata solutio sit illi causa damni emergentis, aut lucri cessantis, aut adsit periculum recuperandi rem emptam. *lib. n.* 20.

9. Alia conditio seu causa augendi, vel diminuendi pretium est modus vendendi; nam aliquando una res cariùs venditur uno modo, quàm alio: ut si merx minutatim vendatur, carius venditur, quàm si venderetur in magna quantitate; aut si merx ultrò offeratur, viliùs venditur, quàm si venderetur in magna quantitate; nam merx oblata, vilescit: aut si quid sub hasta vendatur, aliquando cariùs venditur, & aliquando viliùs, juxta paucitatem, aut multitudinem, fervoremque contralicitantium: sic enim res exponitur periculo utriusque fortunæ, lucrandi scilicet & perdendi. Reliquæ verò conditiones, propter quas licet aliquando rem minoris emere, quàm alioquin emeretur, sunt multitudo mercium, & raritas emptorum; inopia pecuniæ, & modus vendendi, modò res non habeat pretium à lege constitutum. *lib. n.* 21. *& 22.*

10. Estne illicitum rem cariùs vendere extraneis & peregrinis, quàm indigenis & naturalibus? Est illicitum, si excedantur limites justi pretii, cùm illud excedere non liceat, etiam in venditione eorum, quorum pretium taxatum non est à Principe, vel à communi hominum æstimatione. Imò servandum est adhuc justum pretium in ludis sortium, seu chirographorum vulgò *al lotto*, habita ratione debiti laboris & rei. Neque venditor potest rem cariùs vendere, eò quòd ea sit valdè utilis, vel commoda emptori. Intellige præcisa tamen semper ratione damni, vel lucri cessantis, vel affectus ad rem. Neque indigentia particularis alicujus emptoris est causa sufficiens ad augendum pretium rei, alioqui sequeretur eam posse cariùs vendi paupèri, quàm diviti *lib. n.* 24. *& seq.*

11. Tenenturne ad restitutionem venditores, qui mendaciis affirmant rem sibi tanti stetisse, vel tanti aliis vendidisse, ut emptor augeat pretium? Peccant ut plurimùm ve-

nialiter peccato mendacii , & regulariter non tenentur restitutionem: nam hæc sunt communia mendacia, & homines ferè communiter norunt hæc esse stratagemata venditium, quibus emptores fidem non præstant; secus si emptores hujusmodi mendaciis pertrahantur ad emendum majori pretio quàm alioquin emissent, ignorantes hæc esse stratagemata venditorum. *lb. n.* 31.

Episcopus.

Vide v. *Lex, Suffragium, Suspensio.*

Eucharistia.

Vide v. *Sacramentum.*

1. Eucharistia est sacramentum consistens sub speciebus panis & vini consecratis, significans Christum, & refectionem spiritualem: species consecratæ spectant ad hoc sacramentum. *tom.* 1. *de Sacramento Eucharistiæ, disp.* 4 *quæst.* 1 *punct.* 1. *n.* 3. *&* 4.

2. Sacramentum Eucharistiæ consistit in consecratione materiæ, seu materia consecrata, seu in speciebus consecratis: consequenter consistit in re permanente, & non in susceptione. *lb. n.* 6.

3. Fuit institutum à Christo prima die azymorum in ultima cœna, ut patet *Luc.* 22. *Marc.* 14. Potuit Eucharistia continere Christum ante Incarnationem, cùm id non implicet, *lb. punct.* 2. *n.* 2. *&* 4.

4. Eucharistia adultis, saltem baptizatis, necessaria est, & ex præcepto Ecclesiastico, & divino affirmativo; secus dicendum de infantibus , quibus Eucharistia non est necessaria, neque necessitate medii, neque necessitate præcepti. *lb. punct.* 3. *n.* 2. *& seq.*

5 Plures hostiæ consecratæ & consideratæ, quatenus uno actu sumuntur, sunt unum sacramentum: hinc recipiens plures hostias , aut unam grandiorem, non recipit majorem gratiam ex opere operato; neque communicans sub utraq; specie (sacerdote excepto) plus gratiæ recipit, quàm qui sub una tantùm specie communicat. *lb punct.* 4. *n.* 3 *& seq.*

6. Materia remota sacramenti corporis Christi est panis tri-

triticeus. Nomine *tritici* exclude panicum, milium, avenam, hordeum, quæ specie differunt à tritico; secus dicendum juxta aliquos de felica, seu secala; peccaret tamen graviter conficiens sacramentum in secala; nam uteretur materia dubia. *lb. q. 2. punct. 1 n. 1. & 2.*

7. Non quilibet panis triticeus est materia sufficiens hujus sacramenti; nisi his conditionibus concurrentibus; videlicet ut denominetur panis, ut sit confectus aqua naturali, ut sit coctus in furno, aut sub cinere, aut ferro calido, aut alia similitudine; deniq; ut sit præsens moraliter, & possit designari per particulam *hic & hoc* Unde panes dulciarii, confecti scilicet ex melle, vel lacte, vel aqua rosacea, vel alio simili liquore in magna quantitate, non sunt materia sufficiens hujus sacramenti; similiter nec pasta, lagana, pultes, aut similia, neque amylon, nisi de novo redactum in farinam, & compactum aqua coquatur igne, quia tunc denominabitur panis triticeus, cùm amylon ex tritico conficiatur. *lb. n. 3. & seq.*

8. Potest etiam confici tam in azymo, quàm in fermentato pane, unusquisque tamen debet se accommodare suæ Ecclesiæ, id est, Sacerdos Latinus debet consecrare in azymis, Græcus in fermentato, cùm hic sit usus Ecclesiæ Græcæ, Græcus in Ecclesia Latina conficere posset in azymis, & Latinus in Ecclesia Græca in fermentato; non posset tamen Latinus in Ecclesia Latina conficere in fermentato. *lb. n. 8. & seq.*

9 Materia remota sacramenti sanguinis, est vinum ex vite: sive vinum sit nigrum, sive album, sive sit vinum miraculosè factum, quale fuit in nuptiis Cana Galilææ, sive sit mustum; dummodo non sit fæculentum, aut impurum, alioquin committeretur peccatum ex suo genere mortale *lb. punct. 2. n. 1. & seq.*

10. Vinum satis decoctum non videtur apta materia; quia mutavit speciem, nec est propriè vinum; nec acetum, cùm non sit propriè vinum; nec agresta, quia nondum est vinum; similiter aqua è vitibus effluens non est materia apta; neque vinum ex malogranatis expressum, aut cerevisia, quia non est simpliciter vinum. Deniq; uva nò potest consecrari, quia non est res potabilis, seu vinum; secus dicendum est de vino congelato quod validè potest consecrari; quia si species vini jam consecratæ congelentur, remanet sub illis sanguis Christi; ergo potest etiam in vino congelato sacramentaliter constitui. *lb. n 3. & seq.*

11. Non

11. Non est necessarium necessitate sacramenti sub utraque specie consecrare; unde valida foret consecratio calicis facta ante panis consecrationem; esset tamen sacrilegium grave conficere tantùm sub una specie; est enim necessarium necessitate præcepti divini affirmativi conficere sub utraque specie. Unde colligitur Sacerdotem non solùm teneri consecrare sub utraque specie, sed etiam sub utraque specie communicare, quandoquidem sacrificium perficiatur non solùm consecratione, & oblatione; verùm etiam consumptione. *Ib. punct. 3. n. 2. 3. 4. 5. & seq.*

12 Sacerdos, qui metu mortis cogitur ad consecrandum, potestne sub una tantùm specie consecrare? Non potest, atque tenetur iterum consecrare, quando sub una specie apparet caro vel sanguis Christi *Ib n. 10 & 11.*

13. Potestne Summus Pontifex dispensare, ut sacramentum Eucharistiæ sub una tantùm specie conficiatur? Multi affirmant, multi negant; opinio negativa probabilior videtur. Hinc fit ut Sacerdos non possit tempore suæ mortis conficere sub una tantùm specie, ut seipsum, vel alium infirmum communicet. *Ib. n. 13. & 14.*

14. Vino admiscenda est aqua naturalis ex necessitate præcepti, non autem ex necessitate sacramenti, cùm valida sit consecratio facta sine admixtione aquæ: peccat tamen graviter, qui vino aquam non admiscet, aut qui miscet aquam artificiosam, loco naturalis. Et ne Sacerdos exponatur periculo conficiendi in materia indebita, modica quantitas aquæ adhibenda est in consecratione calicis; cavereque debet, ne ad summum quantitas aquæ tertiam vini partem excedat, propterea sufficit quælibet guttula sensibilis. Quod si Sacerdos ex oblivione aquam non infuderit, si advertat ante consecrationem, debet illam statim apponere, non verò peracta consecratione; quia non est admiscenda aqua sanguini Christi, sed vino. *Ib. punct 4. n. 1. 2. & seq.*

15. Aqua nondum in vinum conversa non convertitur in sanguinem Christi post consecrationem; hinc patet non adorari, sicut neque calix adoratur nisi ratione contenti. *Ib. n. 8. & 9.*

16. Quæres, an aqua, quæ in vinum convertitur consecrationis forma inchoata, convertatur in sanguinem Christi? Respond. non converti in sanguinem, si aqua inchoata consecrationis forma, nondum erat in vinum conversa. *Ib. n. 10.*

17. Quæ-

17. Quælibet parva quantitas sensibilis potest esse materia hujus sacramenti ; sicuti potest quælibet magna quantitas præsens constituta, validè, sed non licitè consecrari; debetque materia consecranda esse aliquo modo determinata, & definita in mente Sacerdotis consecrantis. Hinc sequitur nullam hostiæ partem remanere consecratam, quando Sacerdos intendit solùm quartam hostiæ partem, vel medietatem consecrare, non distinguens quam partem consecrare velit: præterea nullam hostiam remanere consecratam, si Sacerdos præsentes habeat decem hostias, & intendat quatuor tantùm consecrare, non determinans quas velit consecrare: præterea sequitur validam esse consecrationem, quoad omnes hostias, quando quis plures consecrandas detulit ad altare, etiamsi in actu consecrationis recordetur illius solùm hostiæ, quam præ manibus habet: nam dicitur habere intentionem determinatam ad omnes hostias virtualiter ; secus dicendum de illis hostiis; quas quis inscio Sacerdote consecrandas apposuit, non enim remanent consecratæ ; sicuti nec vini guttæ, quæ sunt extra calicem, quia Sacerdos non habet determinatam intentionem circa illas, quamvis illas habeat præsentes moraliter; secus dicendum de guttis existentibus in calice separatis à vino, quod etiam in calice continetur. *Ib. punct. 5. n. 1. & seq.*

18. Denique non est valida consecratiò, quando quis habens decem hostias, intendit tantùm quinque consecrare, quas Titius designaverit, aut quas Deus intenderit; cum Sacerdos non habeat intentionem determinatam, nec scire valeat hanc potiùs quàm aliam esse consecratam. *Ib. num. 9. & 10.*

19. Materia consecranda debet ita præsens esse Sacerdoti consecranti, ut secundùm communem loquendi modum possit verè & propriè designari & monstrari per particulam *hoc*, vel *hic*. Hinc colligitur sonum verborum non debere necessariò pertingere materiam consecrandam; & posse validè consecrari vinum in calice cooperto contentum, aut hostias in pyxide contentas ; & posse similiter Sacerdotem cæcum validè consecrare materiam præsentem, hostiamque existentem à tergo etiam validè consecrari posse, si Sacerdos eam manibus teneat ; nam propriè demonstrari potest per particulam *hoc*; neque esse necessarium ad validam consecrationem materiæ existentis coram Sacerdote, ut eam actu

actu tangat dum consecratur. *ib. punct. 6. n. 1. & seq.*

20. Hostia post parietem, aut intra tabernaculum existens consecrari non potest; neque si distet triginta passibus, aut tantùm viginti, neque si sit tantum præsens in intellectu; neque similiter si inchoata consecrationis forma, materia non erat præsens. *ib. n. 9. & seq.*

21. His adde non posse Sacerdotem consecrare materiam præsentem & absentem uno & eodem actu; videtur tamen consecratio valida respectu præsentis, quia de materia præsente verificatur forma. *ib. n. 8.*

22. Forma sacramenti corporis sunt hæc verba: *Hoc est corpus meum*: ita enim Christus ipse consecravit. *ib. q. 3. p. 1. a.*

23. Totus Canon non est necessarius necessitate sacramenti ad consecrationem; est tamen necessarius necessitate præcepti. *ib. n. 4. & 5.*

24. Validè conficitur sacramentum variata forma, si sensus formæ non varietur. Hinc valet consecratio, si dicatur *Hic cibus est corpus meum*: vel, *hæc res est corpus meum*: vel, *iste est corpus meum*, modò particula *hic*, non accipiatur adverbialiter, sed loco pronominis: validum est etiam sacramentum, si quis dicat, *Hoc est caro mea*; aut si omittat particulam *enim*. Invalida tamen esset consecratio, si diceret, *Hoc est corpus Christi*, quia Christus non est usus hac forma, nec verba proferuntur in persona Christi, sicut proferenda sunt: neque valeret hæc forma: *Hic panis est corpus meum*; aut, *hoc sit corpus meum*; aut si diceret, *hoc corpus Christi est corpus Christi*. Denique non validè conficitur sacramentum ab eo, qui prætermittit verbum, *est*, aut dicit, *ecce corpus meum*, omisso verbo, *est*. *Ib. n. 6. & seq.*

25. Forma sacramenti sanguinis sunt hæc verba: *hic est Calix sanguinis mei*, peccat tamen graviter, qui omittit alia quæ in Canone continentur, cùm aliqui Doctores velint illa esse de essentia consecrationis. *ib. punct. 2. n. 1. & 2.*

26. Quod attinet ad variationem in verbis formæ, dico invalidam esse, quoties sensus verborum substantialiter variatur; secus si accidentaliter tantùm. *ib. n. 5.*

27. Sacerdos profert verba consecrationis non solùm recitativè, verùm etiam formaliter, & in persona Christi, suntque vera non minùs quàm forma aliorum sacramentorum; nàm efficaciter operantur, quod significant, & ita est in re, sicut per illa verba significatur. *ib. punct. 3. n. 2. & 3.*

28. Per

28. Per verba consecrationis constituitur Christus verus Deus, & homo sub speciebus panis, & vini; existitque quoad substantiam & accidentia sub qualibet specie: imò verò sub qualibet parte specierum, cum succedat in locum panis, qui erat sub tota hostia, & sub qualibet parte hostiæ. Idem dicendum est de sanguine sub specie vini; poniturque sub speciebus panis ex vi verborum corpus Christi verum, informatum anima cum sanguine, & humoribus ac ceteris partibus; & sub speciebus vini ex vi verborum est tantummodo sanguis Christi, quamvis per concomitantiam adsit etiam sub speciebus panis, & ratione hujus concomitanter in hoc almo sacramento. *ib. punct. 5. n. 1. 5. 11. & seq.*

Christus constituitur sub speciebus per transsubstantiationem panis in corpus, & vini in sanguinem; desinit enim substantia panis & vini adveniente corpore & sanguine Christi. Nec audiendi sunt, qui asserunt substantiam panis eodem modo assumptam fuisse à Deo, quo humanitas assumpta est. *ib. punct. 6. §. 2. n 1. & 2.*

29 Petes an actio conversionis, seu transsubstantiationis dicatur adductiva, & productiva simul? Respond. affirmativè. *ib. n. 4.*

30. In eo instanti, in quo completur significatio verborum consecrationis, corpus Christi incipit esse sub speciebus, & sub illis tamdiu conservatur, quamdiu conservaretur panis, si sub illis speciebus existeret, nec desinit statim atque in os recipitur, aut in ventrem trajicitur; quia non ita statim desineret substantia panis, nec desinit esse sub speciebus per quamlibet alterationem specierum: imò verò quando fiunt apparitiones miraculosæ, Christi corpus remanet sub speciebus, si positis illis adhuc remaneret substantia panis; desinit tamen corpus Christi esse sub speciebus, quando ex iis vermes generantur; similiter & sanguis, quando vini species miscentur cum vino alterius speciei, novaque substantia sub illis generatur. *ib. §. 3. n. 1. & seq.*

31. Petes, quando aliquid generatur ex speciebus corruptis, an producatur de novo materia panis? Probabile est novam produci. *ib. n 11.*

32. Difficultas est, an adsit mutatio in Christo ad desitionem specierum? Alii negant, alii affirmant. *ib. n. 10.*

33. Eucharistia per se, & ex propria institutione, instituta fuit ad augmentum gratiæ conferendum, etiamsi recipiatur

tur cum actuali peccato veniali. Neque solùm præserva peccatis mortalibus, verùm etiam per eam remittuntur pec cata venialia ex opere operato, & datur auxilium ad reb operandum. Præterea effectus Eucharistiæ, est unio spiritua lis cum Christo & fidelibus, & per eam tollitur, saltem secun dariò, pœna temporalis; prosuntque species consecratæ a nutriendum corpus sumentis. *Ib. quæst. 4. punct. 1 n. 1. & seq.*

34. Eucharistia non producit effectum antequam deglu tiatur; & consequenter, qui diu continet hostiam in ore, ut species corrumpantur antequam deglutiantur, non recipit fructum Eucharistiæ, quia non potest dici Eucharistiam manducare.

Suscipiens plures hostias successivè, recipit totum effectum in susceptione primæ hostiæ, neque confertur major gratia ex opere operato, quamdiu manent species in stomacho; quia gratia ex opere operato confertur manducanti in primo instanti, in quo est verum dicere, manducatum esse. & Sacerdos, qui deglutita parte tantùm hostiæ moreretur, reciperet totum effectum sacramenti. Recipiens partem hostiæ cum peccato, non recipit gratiam, si statim per contritionem in gratia constitutus sumat reliquas hostiæ partes. *Ibid. punct. 2 n 1. & seq.*

35. Minister consecrationis est solus Sacerdos, etiam excommunicatus, vel degradatus; is enim validè consecrat, cùm retineat ordinem sacerdotalem: possuntque plures Sacerdotes eamdem hostiam simul consecrare; modò eodem tempore perficiant formam. *Ib. qu. 5. punct. 1. n. 1. & seq.*

36. Minister ordinarius ad administrandam Eucharistiam est solus Sacerdos: extraordinarius verò potest aliquando esse Diaconus, ut in articulo mortis, sicut etiam alias sanguinem administrabat, imò verò Subdiaconus vel laicus, quamvis multi probabiliter dubitent de Subdiacono & laico.

Religiosis ministrantibus Eucharistiam sine licentia, imposita est pœna excommunicationis ipso facto reservata Papæ, nisi bona fides ex ignorantia excommunicationis illos excusset; aut nisi administrent infirmis in articulo mortis, quia tunc præsumitur adesse ratihabitio Summi Pontificis, aut nisi habeant speciale privilegium, excepto die Paschatis, seu Resurrectionis, quo die non possunt Eucharistiam ministrare absque licentia parochi, nisi fortè ille cui administrant, jam præcepto Ecclesiastico satisfeciset in propria parochia. *Ib. n. 4 & seq.*

37. Po-

37. Potest Sacerdos ex devotione seipsum communicare, præciso Missæ sacrificio; si tamen non adest alius Sacerdos qui ei administret; potestque Sacerdos etiam partem suæ hostiæ dare infirmo, vel etiam sano, si adsit rationabilis causa. *lo. n.* 13 & 14.

38. Caveat Sacerdos, ne Eucharistiam administret, non servato ritu, & decentia tanto sacramento debita; nec parochus deferat ad infirmum, quando eam ferre nequit cum habitu decenti, id est cum stola & superpelliceo, præcedente lumine, nec tenetur deferre ad moribundum valdè festinanter currendo; secus dicendum de sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ; neque potest Sacerdos Eucharistiam aliis digitis conferre, si ob infirmitatem, vel chiragram nequeat eam pollice & indice administrare. Nulla alia dispositio præter gratiam requiritur in administrante Eucharistiam. *Ib. punct.* 2. *n* 6 & *seq.*

39. Amenti, qui ante amentiam benè & Christianè vixit, danda est Eucharistia, modo non sit periculum alicujus irreverentiæ. Item & obsesso; si adhuc utatur usu rationis, & semi-fatuis; præciso semper irreverentiæ periculo, & frequenti administratione. *Ib. qu* 6. *punct.* 1 *n* 4. & *seq.*

40 Suscipiens Eucharistiam debet esse baptizatus; & præterea requiritur in eo fides & gratia; dubitansque probabiliter se mortaliter peccasse, tenetur confiteri ante sumptionem Eucharistiæ, si adsit copia Confessarii, & nullum sit periculum scandali: si enim scandali periculum adsit, non tenetur Sacerdos Missam jam inchoatam relinquere, etiamsi advertat se excommunicatum, vel non jejunum. Neque similiter laicus, qui jam ad linteum accessit cum aliis, communionis gratia, tenetur statim recedere, & accedere ad Confessarium, si recordetur alicujus peccati. Neque expedit, ut Sacerdos ad altare audiat reconciliationem alicujus communicaturi: & parochus non habens copiam Confessarii, potest præmissa contritione celebrare die festo, ne parochiani careant Missa. *Ib n.* 28. & *seq.*

41. Adverte tamen eum, qui sibi conscius est culpæ lethalis, non posse Eucharistiam sumere, prætermissa confessione, quando prædictæ rationes cessant, sed solum vult communicare ex devotione; similiter eum non posse ad Eucharistiam accedere, sine præmissa confessione, qui non habet copiam proprii Confessarii, sed alterius, cui non consue-

vit propria peccata confiteri; secus dicendum, si non habet copiam Confessarii approbati. *ib. n. 26 & seq.*

42. Adverte præterea Sacerdotem celebraturum carentem Confessario, cui peccata reservata manifestet, tenere confiteri peccata non reservata. *ib n. 31.*

43. Adverte denique Sacerdotem, qui sine confessione celebravit, præciso Tridentini præcepto, non teneri statim jure divino confiteri, sive celebraverit in peccato mortali ex malitia, sive ex inadvertentia, & oblivione peccati; cum præceptum confessionis faciendæ ante communionem sit affirmativum, quod non obligat pro semper. *ib n. 41*

44 Quæres: an danda sit Eucharistia infirmo, dum ignoratur ipsius dispositio? Resp. ministrandam esse; nullus enim præsumitur malus, nisi probetur. *ib n. 42.*

45. Suscipiens Eucharistiam, per se loquendo, debet esse media nocte esse jejunus; jejunio non solùm Ecclesiastico, verum etiam naturali, id est, jejunio, quod importet abstinentiam à qualibet re. Hinc sequitur eum frangere jejunium, qui post mediam noctem aliquid deglutit, quod vespertino tempore ore sumpsit, aut qui medicinam ore sumpsit; secus dicendum de eo, qui aromata ori imponeret, eaque dentibus tereret ante sumptionem Eucharistiæ causa vitandi noxii aeris, modò nihil deglutiat; nam si deglutiat, aut trajiciat papyrum, frangit jejunium, etiamsi postea evomat. *ib. punct. 2. n. 5. & seq.*

46. Non peccat communionem recipiens post pollutionem sine culpa secutam. *ib. n. 4.*

47. Suscepturus Eucharistiam non est necesse ut digesserit cibum, aut dormierit post cœnam; potestque Sacerdos hâbens palato affixas reliquias hostiæ secundam ablutionem sumere, ut illas trajiciat; similiter etiam repertas in patena post ablutionem, aut postquam diu se detinuit in communicandis aliis post purificata vasa, si reliquiæ istæ fuerint consecratæ in eo sacrificio; nam censetur una actio moralis.

Idem dicendum quando Sacerdos reperit aliquas particulas hostiæ, quas dubitat esse consecratas. Imò verò licitum est aliquando sumere Eucharistiam tracto jejunio, si Sacerdos prævideat fore, ut Eucharistia ad manus infidelium perveniat, aut ita ferat alia gravior necessitas. Similiter qui aquam loco vini consecravit & sumpsit, debet de novo vinum consecrare, & sacrificium perficere; nam integritas sa-

cri-

crificii præponderat præcepto Ecclesiastico de sumenda Eucharistia cum jejunio: unde sequitur posse dari Eucharistiam infirmo non jejuno per modum viatici. Quod etiam intellige in casu mortis violentæ, si communio commodè nequeat anticipari, vel differri. *ib n.* 11. *& seq.*

48. Post Eucharistiæ sumptionem expedit aliquantulum abstinere à communi cibo & potu, ob majorem reverentiam sacramenti *ib. n.* 25.

49 Præceptum divinum summendæ communionis, per se loquendo, obligat sub mortali in articulo mortis naturalis, aut violentæ; teneturque judex reo concedere tempus communicandi, præciso periculo damni communis, aut alterius justæ causæ. Qui paulò ante mortem communicavit, non tenetur Eucharistiam sumere in periculo mortis; neque tenetur iterum communicare, qui post sumptum viaticum mortaliter peccavit. *ib. quæst.* 7. *punct.* 1. *n.* 1. *& seq.*

50. Fideles tenentur ex præcepto divino communicare, non solùm in articulo mortis, verùm etiam aliquoties in vita; cui præcepto satisfaciunt, qui semel in anno secundùm determinationem Ecclesiæ, Eucharistiam recipiunt. *ib. n.* 8. & 10.

51. Non potest aliquis, præsertim laicus, sæpius in die communicare; privilegium enim ter communicandi in die Natalis Domini, extenditur solùm ad celebrantes. *ib. n.* 11. & 13.

52. Quæres, qua hora diei possit aliquis communicare? Resp. jejunum posse communicare qualibet hora diei, secluso scandalo, quamvis Sacerdos non possit post meridiem celebrare. *ib, n.* 14.

53. Præceptum Ecclesiasticum sumendæ communionis à proprio Sacerdote semel saltem in anno in Paschate, obligat omnes fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerunt. *ib. punct.* 2. *n.* 1. & 5.

54 Adultus dubitans de tempore, quo tenetur communicare, stare debet judicio prudentis Confessarii, vel parentum. *ib. n.* 2.

55. Sed modò dubium est, quid nomine *Paschatis*, hic intelligatur? Resp. nomine Paschatis non intelligi solùm diem ipsum solemnitatis Resurrectionis, sed etiam tempus, quod incipit à die cœnæ Domini, vel etiam à Dominica Quadragesimæ, usque ad Octavam Paschæ, quando ita legitima consuetudine receptum est. Omittens communionem in

Paschate, interdicendus est ingressu Ecclesiæ, & privandus Ecclesiastica sepultura. Huic præcepto non satisfit, nisi Eucharistia sumatur in propria parochia, de manibus proprii pastoris, aut alterius Sacerdotis de illius licentia. Excipe tamen viatores, aut eos, qui ad certum tempus ab illa absunt, aut communicant in Ecclesia Cathedrali suæ diœcesis. *ib. n.* 6. 8. & 19

56. Laici inservientes religiosis, debent tempore Paschatis communionem sumere in propria parochia; nisi ea monasteria exempta sint à cura parochorum. *ib. n.* 10.

Qui non communicavit in Paschate, non tenetur quamprimùm communicare; nec peccat mortaliter, si quamprimum data opportunitate non communicet; sicuti non tenetur anticipare communionem, qui prævidet se eam tempore debito non posse recipere, cùm ante tale tempus præceptum communionis non obliget. *Ib. n.* 13.

ADDITIO.

Quæres: An vino in Eucharistia sit admiscenda aqua, & quomodo? Resp. Esse admiscendam, est de fide ex Concil. Trullen *can.* 32. Florent. Trident. & aliis, & habetur *in cap. in quodam c. cum Martha, de celebr. Miss.* Constat etiam Ecclesiæ usu, & perpetua traditione, quæ colligitur ex SS. Patribus relatis à Suarez *disp.* 45. *sect.* 2.

Hæc aqua misceri debet in modica quantitate: ut patet ex Florent. dicente, miscendum esse paululum aquæ, & aquam modicissimam. Et hoc necessarium tantum de Ecclesiæ præcepto: hæcque est sententia S. Thom. *art.* 6. & Theologor cum Magist. *d.* 11. Alens. *q.* 32. *num.* 5. *a.* 2 Inno. *lib.* 4. 32. Filliuc. *tra.* 4 *de Eucharist. quaten. sacram. est c.* 4. *de form. pan. & vin. fol* 78.

Quæres: Quid fiat de hujusmodi aqua tempore consecrationis, & an convertatur in sanguinem? Resp. aquam infundi in calicem, ut convertatur in sanguinem; & quidem si tempore consecrationis sit conversa in vinum, etiam verteretur in sanguinem. Quod ut plurimum verisimile est accidere, si in debita proportione misceatur & suo tempore. Si vero non sit conversa, manebit aqua pura, ut docet communior opinio Suarez *sect.* 4.

Quæres de defectibus post consecrationem, quomodo iis occur-

occurrendum. Resp. In particulari id posse contingere sex præcipuè modis, qui habentur fusè in Missali, & de iis, plura Suar. *disp.* 85. *sect* 1. Primus modus, si sit venenum admixtum tunc enim species illæ servandæ sunt, donec corrumpantur, & projiciendæ deinde in sacrarium, & alia materia consecranda, vel utriusque speciei, vel alterius. Secundus, si animal aliquod in sanguinem cadat; tunc enim si sine periculo vomitus sumi potest, optimè fiet; sin minùs, extrahendum, diligenter lavandum, comburendum, & ablutio cum cineribus in sacrarium mittenda, deinde sumendus sanguis. Quòd si animal fuisset venenosum, tunc idem faciendum, quod in primo. Tertius, si congeletur, sed tunc liquefiat per ignem adhibitum Quartus, si timeatur incursus hostium, & injuria sacramento; tunc enim consummandum ceteris omissis, si aliter fieri non possit. Quintus, si per miraculum dispareat, vel in ea appareat caro, vel sanguis, tunc enim vel iterum consecranda erit, ut Missale docet; vel tantùm id verum est, de consilio, ut docet S. Thomas. Sextus, si effundatur sanguis, ita ut omnino à sacerdote sumi non possit, & tunc alius est consecrandus, ut dicitur in Missali. Filliucius *tr. 5. de Euchar. quat. est sacrific. c. 4. de prac. celebr. aliorumque ministror.*

Quæres: An quovis die per annum licitum sit celebrare? Resp esse licitum, excepto die Parasceves; ita ut etiam non liceat privatim celebrare, sine peccato mortali. Et ratio est, quia Christus seipsum eo die obtulit in cruce; veritate autem præsente, debet cessare figura; Missa enim est typus sacrificii crucis. Hæc Busæus.

Quæres: Sitne certum tempus constitutum confessioni faciendæ in anno præscriptum? Ant Sot. Ledesm Angl. putant, nullum certum tempus esse præscriptum, eò quòd in Canon. tantùm communioni certum tempus præscriptum, scilicet Paschæ, sit Itaque si quis ante Quadragesimam, vel sub initium Quadragesimalis jejunii esset confessus, non tenetur, in Paschate communicaturus, secundò confiteri; modo sibi conscius mortalis peccati non esset, & etiam scandalum abesset Contraria sententia probatur *in tract. de pœnit.* & rectiùs D. Thom. *quodl. 1. art. 1.* Medin. *in Cod. de pœnit.* & alii putant præscriptum tempus Paschæ, quod etiam est communioni, 1. quia consuetudo ita jam obtinuit. Denique Conc. Trid. *sess. 14. can. 5.* maximè probat, & amplectitur, tamquam piam & meritò retinendam. 2. Quia communioni

semper præscriptum fuit tempus Paschæ; at numquam sine confessione licuit communicare. Ut Cyprian. *serm. de Lapsis*, & Leo *epist. 9. ad Theodor.* & Sixtus IV. *in extrav. quam* vetuit religiosis, ne umquam docerent populum Christianum, non teneri ad confessionem circa Pascha. Hæc Busæus.

Quæres: An qui neglexit confiteri circa Pascha, possit differre confessionem, sine novo peccato, in annum sequentem. Ant. & Sylv. putant, quod possit, sicut & communionem. Et ratio est, quia utrumque est præceptum affirmativum, & obligativum tempori, sicut & jejunium, v. g. vigiliæ Nativit. At rectius Sot. Navar. & Medin. putant, non posse differri, quia præceptum confessionis propriè est negativum, nempe de non differenda confessione ultra annum. Deinde, confessio non est propriè alligata tempori, tamquam onus, sicut jejunium v. g. vigiliæ; sed habet se per modum obligationis, quo quis v. g. obligaretur restituere debitū circa festum Paschæ, quo tamen, si non restituat, nihilominus tamen deinceps ad restituendum tenetur. Unde sequitur, cùm continenter, & pro semper homo obligetur ad confitendum, postea toties eum peccare mortaliter, quotiescumque deliberatè proponit, non confiteri; sicut peccat debitor, quoties proponit non restituere, cùm tenetur. Busæus.

Qui in Paschate communicavit, si in articulo mortis non communicet, ex negligentia quadam, sine contemptu, non peccat mortaliter Sylv *Euchar.* 3 *n.* 3. & Cajet. *Cõmunio. Fu. commun. n.* 4. *ex Cajet.* Syl *cõmun.* 3. *n* 1. vid. Tol. *l.* 6. *c.* 18 *in fin.*

Qui in Paschate transgressus præceptū non communicavit, non peccat iterùm mortaliter, si posteà non communicet; etsi quidam contrarium affirment. Semel enim tantùm id præceptum obligat, scil. in Pasch. ut & præceptum de Conf. semel solùm in quolibet anno. Sot. *d.* 10 *q.* 1. *a.* 4. Vict. *n.* 148. Val. *t.* 4. *d.* 6. *q.* 3. *p.* 4. Bart. Med. *l.* 1. *c.* 14. §. 42. Jo. Med. *q. de confess. semel in anno fac.* Fu. *comm. nu.* 6. Sylv. *eu.* 5. *nu.* 17. Tol. 6. *c.* 18. Contrarium) Nav. *c.* 11. *n* 45. Graff. *l. c. n.* 25. Suar *l. c. d.* 66. *sect* 4. Viguer. & Paludan. *ab eo citat.* Az. *l.* 7. *c.* 40. *q.* 5

Qui per octo dies ante, vel post Pascha communicat, præcepto satisfacit, & qui longè post, ex consilio Confessoris, Navar. *l. c.* Suar. *d.* 70. *sect.* 2.

Potest communicari quavis diei hora, & quovis die, etiam in Parasceve. Vid. Rat. *div. offic.* 6. *c.* 76. Alma. *l.* 1. *offic. c.* 12 Jo. Belet. *c.* 99. Ord. Rom. *lib. sacr.* 5. Greg. 2. *tom.* 20. *Li-*

turg.

gia. Ang. *Euchar.* 3. *n.* 36. Sylv. *ib. n.* 15. Viu. *de Euchar. nu.* 150. Azor. *l.* 10. *c.* 25 *q.* 8.

Eucharistiam indignè sumens in die Paschatis, satisfacit præcepto Az. *l.* 7. *c.* 41. *q.* 2. Reclamant alii. Emm. Sa *in Aphor.*

Excommunicatio.

Vide v. *Censura, Clericus, Distributiones, Duellum, Hæresis.*

1. Excommunicatio est censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus privatur aliquibus bonis communibus; videlicet consortio fidelium, participatione sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragiis. Minor excommunicatio non privat tot bonis quot major. *tom.* 1. *de Excommunicatione, disp.* 2. *q.* 1. *punct.* 1 *n.* 2. & 3.

2. Quando fertur aliqua excommunicatio absque restrictione *majoris*, vel *minoris*, sermo est de majori excommunicatione, quæ absolutè & simpliciter dicitur excommunicatio. *ib. punct.* 2. *n* 2.

3. Censuræ latæ à visitatoribus censentur latæ quodammodo per modum statuti, si latæ sunt intentione, ut perpetuo durent, seu *donec revocentur. ib. n.* 3.

Excommunicationis majoris effectus.

4. Excommunicatus majori excommunicatione privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, peccatque mortaliter applicans excommunicato communia suffragia, ut Horas Canonicas, vel orationes Missæ, &c. Imò orans pro excommunicato vitando incurrit minorem excommunicationem, excepto die Parasceves, quo die specialiter Ecclesia orare solet publicè pro hæreticis excommunicatis, ad imitationem Christi, qui pro inimicis oravit. Nec refert quòd excommunicatus sit contritus. *ib. q.* 2. *punct.* 1. *n.* 3. 4. & *seq.*

5. Quilibet excommunicatus, quamvis toleratus & non vitandus, privatur communibus Ecclesiæ suffragiis. *ib.* §. 1. *nu.* 1.

6. Ut clerici percussor sit vitandus, requiritur notorium facti, id est, ut percussio nequeat ulla tergiversatione celari. Ad notorium facti plures requiruntur testes, quàm decem respectu magnæ communitatis; & sex respectu par-

væ viciniæ. Neque teneor vitare eum, qui coram me percussit clericum, eo tempore quo non aderant sufficientes testes ad notorium facti. *lb. n. 3. & seq.*

7. Suspensus, vel interdictus, vel irregularis vitandus, dicitur ille, qui denuntiatus est suspensus, vel interdictus, vel irregularis: qui verò nondum est denuntiatus, dicitur tolleratus, & non vitandus *lb. n. 8.*

8. Valida est confessio ejus qui confitetur peccata Sacerdoti excommunicato, vel suspenso, vel irregulari nondum denuntiato, quem nesciebat esse excommunicatum, &c. *lb. n. 9.*

9. Excommunicatus, qui nondum obtinuit absolutionem excommunicationis, privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, quamvis sit contritus, & jam resipuerit à delicto, quia excommunicatio suum semper habet effectum donec auferatur. *lb. §. 2. n. 1.*

10. Sacrificium Missæ oblatum à Sacerdote in persona Christi, & ut ministro ab ipso deputato, prodest excommunicato, si ei applicetur à Sacerdote, tum quoad impetrationem, tum quoad satisfactionem: tamen non ei prodest quoad fructum & valorem provenientem ex parte Ecclesiæ. *lb. §. 3. n. 3. & seq.*

11. Sacerdos potest in Missa, tamquam persona privata & particularis orare pro quolibet excommunicato. Præterea licitum est recitare privatas orationes, vel alia pia opera facere pro excommunicatis, modò non fiant tamquam ab Ecclesiæ ministris. *lb. n. 6. & 8.*

12 Excommunicatus validè recipit sacramenta, quoad substantiam, nisi fortè quis excipere velit pœnitentiæ sacramentum; quod tamen validè similiter recipit, non solùm quoad substantiam, verùm etiam quoad effectum, quoties inculpabiliter ignorat se esse excommunicatum, & ita confitetur peccata sua. Unde poterit quis absolvi aliquando à peccatis, quamvis nondum fuerit absolutus à censura; secus dicendum de accedente ad sacramentum pœnitentiæ, sciente se esse excommunicatum: nam illius confessio invalida est, quia ponit obicem ad gratiam actualiter peccando. *lb. p. 2. §. 1. n. 1. 2. & 3.*

13. Excommunicatus etiam toleratus, regulariter loquendo, peccat mortaliter, suscipiendo aliquod sacramentum, nullam tamen incurrit pœnam, excepta susceptione sacramen-

menti ordinis, quæ inducit irregularitatem. *ibid. num.* 5.

14 Sacerdos administrans sacramenta excommunicato tolerato, seu non vitando non peccat ex vi censuræ, peccat tamen graviter si respiciamus jus naturale ac divinum, nisi fortè is cui administrat, sit peccator occultus, & publicè petat sibi administrari; aut dicat se absolutum: nam potest Sacerdos huic excommunicato occulto credere si sit fide dignus. Denique non peccat Sacerdos ministrando sacramento excommunicato, quando ipse excommunicatus non peccat petendo. *ibid.* §. 2. *n.* 1. *& seq.*

15. Ministrans sacramenta excommunicato vitando, propter mortale peccatum, incurrit primò minorem excommunicationem (hanc enim fideles incurrunt participando cum excommunicatis vitandis:) secundò incurrit ipso jure interdictum ab ingressu Ecclesiæ.

Clerici participantes in divinis officiis cum excommunicatis à Papa, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si participent scienter, sponte, & si sit nominatim declaratus; & si participent recipiendo illum in divinis officiis *ibid. num.* 7.

16. Sacramenta administrata ab excommunicato tolerato valida sunt, consequenter validum est matrimonium, cui astitit parochus excommunicatus tòleratus, *ibid.* §. 3. *num.* 1. & 2.

17. Petens sacramenta ab excommunicato tolerato, non peccat mortaliter, non solùm quando ignorat illum esse excommunicatum (tunc enim certum est excusari à peccato ratione ignorantiæ;) sed etiam quando scit illum esse excommunicatum; sive excommunicatus sit proprius parochus, sive alius Sacerdos, sive adsit necessitas petendi, sive non: sive ille Sacerdos excommunicatus sit paratus administrare sacramenta, sive non; quia petens utitur jure suo, nec dicitur cooperari peccato excommunicati. *ibid. num.* 4. *& seq.*

18. Confessio facta excommunicato vitando iteranda est, & præterea exprimendum est peccatum, quod pœnitens commisit communicando in sacris cum excommunicato vitando, nisi fortè excusetur à peccato ratione ignorantiæ. Ratio est, quia excommunicatus vitandus caret jurisdictione; cetera quæ non respiciunt jurisdictionem, valida sunt, facta ab excommunicato vitando: excommunicatus tamen

incurrit irregularitatem administrando sacramenta, vel celebrando, seu exercendo actum proprium ordinis, petensque aut recipiens sacramenta ab excommunicato vitando extra necessitatem, graviter peccat: recipiens autem sacramentum ab excommunicato tolerato non delinquit, cum non teneatur illum vitare, sicut tenetur excommunicatum denuntiatum, seu vitandum. *ibid.* §. 4. *num.* 1. *& seq.*

19. Audiens Missam tempore excommunicationis graviter peccat; facit enim contra obligationem censuræ inter gravi; secus dicendum de inserviente Missæ quando nullus alius adest. Excommunicatus non audiendo Missam in festo, non peccat mortaliter ratione omissionis sacri præcisè, etiamsi per eum stet ne absolvatur, quia præceptum Ecclesiæ de Missa audienda, cadit solùm super eos qui non sunt impediti *ibid. punct.* 3. § 1. *num.* 1. *& seq.*

20. Excommunicatus qui Missam audit, præter mortale peccatum, nullam pœnam incurrit: verum tamen est Sacerdotem excommunicatum, qui sua auctoritate est causa, ut Missa vel alia divina officia coram se celebrentur, incurrere irregularitatem; & admonitum à celebrante, ut exeat, incurrere novam excommunicationem Papæ reservatam, si nolit exire. *ibid. num.* 7. *&* 8.

21. Audientes Missam cum excommunicato vitando, peccant mortaliter. Item celebrans coram excommunicato vitando, non solùm peccat mortaliter, &c. sed etiam incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si celebret scienter coram illo. *ibid. num.* 9. *&* 10.

22. Qui interest Missæ, aut celebrat, dum ibidem adest excommunicatus toleratus, non peccat prosequendo Missam. Si verò adest excommunicatus vitandus, admonendus est ut exeat, vel expellendus vi. Quòd si non velit exire, & non possit expelli sine periculo, omittenda sunt divina officia, & Missa ipsa, modò nondum inchoata si consecratio: si tamen post Missam inchoatam Sacerdos advertat adesse cadaver publici excommunicati, non tenetur Missam inchoatam relinquere; prohibetur tamen aliquod opus circa illud cadaver exercere. *ibid n* 11. *& seq.*

23. Quando excommunicatus est in una capella audiens unam Missam, & ego Missam facio in alia capella non teneor desistere à Missa facienda: cum non dicar communicare cum excommunicato existente in alia capella, ibique

Missam

Missam alterius Sacerdotis audiente. *ibid. numer.* 16.

24. Excommunicatus sive sit religiosus professus, sive clericus habens beneficium, vel ordines sacros, potest & tenetur privatim, (non enim potest socium adhibere,) persolvere horas Canonicas, sicut tenebatur ante excommunicationem: quia par non est, ut delinquens commodum reportet ex suo delicto: non poterit tamen dicere, *Dominus vobiscum* Excusatur Capellanus, aut famulus inserviens ratione officii sui suo domino excommunicato. *ibid.* § 2. *n* 3. *& seq.*

25. Orationes publicæ quæ offeruntur ab excommunicato tolerato, prosunt quoad valorem quem habent ex parte Ecclesiæ. *ibid. n.* 7.

26. Præterea excommunicatus potest more laicorum benedicere mensæ, munire se signo crucis, adorare Eucharistiam, aut illam comitari, &c. Item potest & interesse concioni, nam cum tendat ad illius salutem, & emendationem, et non prohibetur. *ibid n.* 9, *&* 10.

27. Præceptor legens lectionem coram discipulis, quorum unus est excommunicatus, secluſa alia necessitate, tenetur relinquere opus inceptum, si unus ex discipulis sit excommunicatus vitandus. *ibid. num.* 12.

28. Excommunicatus qui nondum fuit absolutus in vita, aut post mortem, privatur Ecclesiastica sepultura, donec absolvatur: & sepeliens excommunicatum vitandum in loco sacro, graviter peccat, etiamsi excommunicatus dederit signa contritionis. Imò si ossa alicujus excommunicati vitandi sepulta fuerint in loco sacro cum aliis fidelibus, projicienda sunt è loco sacro, qui postea remanet pollutus. Adde illos peccare, qui Psalmos concinunt, dum cadaver excommunicati vitandi defertur ad sepulturam, hæc enim est quædam communicatio cum excommunicato. Qui scienter sepelit excommunicatum vitandum in loco sacro, incurrit majorem excommunicationem, à qua nequit absolvi, donec satisfactionem dederit ad arbitrium Episcopi, *ibid.* § 3. *num.* 1. *& seq.*

29. Collatio & præsentatio beneficii facta excommunicato, quamvis tolerato, invalida est: neque excommunicatus etiam invincibiliter ignorans se esse excommunicatum, valide recipit, quia error non tollit excommunicationem. Item collatio pensionis facta excommunicato titulo clericali, est invalida. Validè tamen conferri potest beneficium illi,

illi, qui tempore collationis falsò creditur excommunicatus. Similiter validè acceptatur beneficium ab eo, qui tempore collationis & electionis non erat excommunicatus, licet sit excommunicatus tempore acceptationis beneficii. Difficultas est, an beneficium retineri possit ab eo, cui fuit collatio tempore excommunicationis, sed eam accepavit post obtentam absolutionem? Respondendum retinere non posse, quia in hoc casu nullus est titulus electionis, praesentationis, &c. Quare excommunicatus qui obtinuit beneficium, vel pensionem eo tempore, quo detinebatur vinculo excommunicationis, petere debet absolutionem excommunicationis, eaque obtenta curare debet, ut beneficium sibi de novo conferatur ab eo, ad quem pertinet illius beneficii collatio: quòd si excommunicatus sit occultus, non tenetur se manifestare, nisi fortè cessat scandalum, aut periculum infamiæ, & nullo alio justo & honesto titulo possit se excusare ab acceptando beneficio *ibid p* 4. §. 1. *n.* 1. *& seq.*

30. Beneficiarius, qui lapsus est in excommunicationem post beneficii consecutionem, non est privatus fructibus, redditibus, vel distributionibus beneficii; consequenter neque tenetur eos à se sponte abdicare, modo exequatur onera & officia beneficii, sive excommunicatus sit curator animarum, sive sit Canonicus, sive habeat beneficium simplex, & consequenter potest capellanus, aut curatus excommunicatus toleratus recipere fructus beneficii in excommunicatione, præstando munera sua: secus dicendum de excommunicato vitando, cùm Ecclesia nolit per ipsum orare, *ibid.* §. 2. *n.* 2. *& seq.*

31. Injustè excommunicatus, qui ob injustam excommunicationem cogitur abesse à choro, nec potest præstare suum officium, videtur posse percipere fructus & distributiones, cùm privatio distributionum sit pœna, pœna autem non videtur subeunda ab eo qui non deliquit. *ibid. n.* 5.

32. Excommunicatus qui non assistit divinis officiis, non potest recipere distributiones, quæ dantur assistentibus choro, etiamsi per ipsum non stet, ne absolvatur, & ne interfit choro; alioqui sequeretur excommunicatum commodum reportare ex sua excommunicatione. *ibid. n.* 7.

33. Gesta per excommunicatum vitandum, seu non toleratum, sunt invalida quoties fiunt ex officio tamquam jurisdictionis propriæ, (excepta tamen electione Summi Pontificis

tificis à Cardinalibus excommunicatis facta;) secus dicendum de gestis excommunicati tolerati, & non vitandi, quæ valida sunt, etiamsi pertineant ad jurisdictionem propriam; peccat tamen graviter sponte se in actionibus jurisdictionis ingerendo, nisi aliunde adsit excusatio. *ibid. punct* 5. *n.* 1. *&* 3.

34. Ex dictis infer sententiam latam à judice excommunicato, validam esse. Item electionem, collationem, & resignationem beneficii factam ab excommunicato, validam quoque esse. Præterea valida esse instrumenta, testamentum, codicillum; & scripturas factas ab excommunicato, etiam tabellione. Similiter posse Episcopum excommunicatum toleratum, validè concedere facultatem administrandi sacramentum pœnitentiæ. *ibid. n.* 4. *& seq.*

35. Qui committit delictum eo tempore, quo Superior est excommunicatus denuntiatus non ligatur excommunicatione lata à tali Superiore, quia caret jurisdictione, secus dicendum si lata sit à jure: & etiam postquam judex seu Superior fuit absolutus. *ibid. n.* 10.

36. Suspensa jurisdictione Episcopi per excommunicationem, aut ea sublata per ejus mortem, remanet etiam suspensa, vel sublata auctoritas Vicarii Generalis; non autem Vicarii foranei seu particularis delegati ab Episcopo, cùm abeo detur appellatio ad Episcopum, nec sit unum & idem tribunal *ibid n.* 12.

37. Cuilibet excommunicato etiam tolerato, vetitum est, per se loquendo, sub veniali communicare cum aliis fidelibus, nisi in casibus infrà dicendis: & è contra vetitum est fidelibus communicare cum excommunicato vitando, non verò cum tolerato, etiam sub veniali in actionibus civilibus, & secluso contemptu & scandalo; & non cum intentione semper aut perseveranter alloquendi: peccaret tamen mortaliter aliquis fidelis, si communicaret in crimine criminoso, id est, si cooperaretur scienter crimini vel contumaciæ, propter quam lata est excommunicatio. *ibid p.* 6. §. 1. *n.* 1. *& seq.*

38. Prohibitum est communicare cum excommunicatis vitandis in casibus hoc carmine expressis:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

39. Per *os*, intellige confabulationem, aut allocutionem, sive per litteras, sive per nutus, nuntios, &c. *Ora-*

Orare, intellige orationem factam cum excommunicato vitandis.

Vale, intellige prohiberi omnem honorificam salutationem, nisi tendat ad emendationem excommunicati, & non ad ipsius honorem. Potest enim ei dici: *Dominus te convertat*, &c.

Communio, vetat societatem cum excommunicatis, sc. in habitatione, exercitio, vel contractu, quamvis contractus si ineatur, sit validus ex parte non excommunicati,

Mensa, vetat communicationem cibi & potus in eadem mensa formaliter, ut accidit quando communis & socialis vita agitur. *ibid* §. 2. *n.* 1. *& seq.*

Sequentibus vero casibus licitum est communicare cum communicato vitando,

Vile, lex, humile, res ignorata, necesse.

40. Per particulam *utile*, intellige utilitatem tam spiritualem, quam temporalem ipsius participantis cum excommunicato, aut ipsius excommunicati participantis cum alio, dummodo utilitas sit vera & non ficta, ex. gr. spes resipiscentiæ & emendationis, persuasio, aut consilium, ut satisfaciat parti læsæ vel reipublicæ, aut petitio crediti sui ab excommunicato, seu medicinæ Medico excommunicato vitando. Item potest etiam excommunicatus vitandus petere suum creditum privatim à debitore, cui, licet excommunicato, tenetur solvere debitor. Imò videtur posse recipi legatum relictum ab excommunicato vitando, ut oretur oratione privata pro anima ipsius. *ibid. n.* 7. 8. *& seq.*

41. Per particulam *lex* intellige legem & jus matrimonii; nam excommunicatis vitandis licet petere, & reddere debitum conjugale, & uxori participare cum marito excommunicato in colloquiis, mensa, &c, denique uterque conjux potest simul communicare, modo non communicet in crimine criminoso, & in divinis, aut uxor non petierit divortium à marito quoad habitationem. *ibid. n.* 17. *& seq.*

42. Per particulam *humile*, intellige officium servorum & subditorum, quibus licitum est obedire suis superioribus excommunicatis vitandis, & communicare cum eis usuali & ordinaria communicatione. Hinc religiosi possunt communicare, & obedire suis superioribus excommunicatis vitandis,

tandis, milites suo duci, filii adoptivi, vel carnales, etiam illegitimi, suo patri: imo etiam alii affines, qui veniunt nomine filiorum, quales sunt gener, nurus, privignus, vel privigna gaudent privilegio participandi cum Superiore. Per patrem intellige non solùm patrem verum, & immediatum, sed etiam avum, abavum, &c. aviam, matrem, novercam, socrum, &c. Quare poterit gener communicare cum socero excommunicato vitando, & è contra. Item famuli & servi etiam agricolæ seu rusticani cum suis dominis, pupillus cum suo tutore, & clerici cum suo Episcopo, dum sunt in illius famulatu: secus dicendum de filio spirituali cum patre suo spirituali excommunicato, & de servo communicante per se & directè cum alio servo excommunicato vitando. Difficultas est, an prædictæ personæ communicare possint in divinis cum dominis, patribus, vel superioribus excommunicatis? Respond. posse, præstando ea, quæ concernunt subjectionem & ministerium seu famulatum. *ibid. num. 25. & seq.*

43. Sicut autem ipsi famuli & subditi communicare possunt cum suis dominis & patribus excommunicatis, ita & ipsi domini, Prælati, & patres possunt communicare cum suis famulis & subditis excommunicatis vitandis; quia in correlativis dispositum in uno, locum etiam habet in altero, secus dicendum de vasallis respectu suorum Principum temporalium; excipe tamen solutionem tributorum quæ illi debetur. *ibid n 37 & seq.*

44. Per particulam *res ignorata*, intellige ignorantiam inculpabilem & inadvertentiam excusare à peccatis, & à censuris. *ibid. n. 41.*

45. Dubitans aliquem esse excommunicatum, & simul etiam esse denuntiatum, non potest nec debet illum evitare, nam evitando exponeret se periculo faciendi illi injuriam, & privandi illum jure suo: tenebitur tamen vitare eũ, qui ei dixit se esse excommunicatum vitandum, aut novit talem esse per famam publicam, aut parochus dicit eum esse vitandum: aut denique si fuit alias denuntiatus excommunicatus, sed modò dubitatur an fuerit absolutus; nec adest probabilis certitudo. *ibid. n. 42. & seq.*

46. Confessarius non tenetur vitare excommunicatum quem novit solùm in confessione esse excommunicatum vitandum. Similiter nõ tenetur aliquis eum evitare, quem fa-

mo

ma publica constat percussisse clericum, sed non constat e percusserit notoriè notorietate facti. *ibid. n. 45. & 47.*

47. In dubio juris nemo tenetur se tamquam excommunicatum gerere, si adhibuit sufficientem diligentiam, ad veritatem assequendam, eaque adhibita adhuc in dubio perstitit: quoad dubium verò facti variant sententiæ. Unde qui dubitat an clericum percusserit, non videtur esse vitandus; possidet enim jus participandi cum fidelibus, nec debet isto juri privari: secus dicendum est, si per famam, vel vestes de dignos constet clericum percussisse notoriè. *ibid. num. 49. & seq.*

48. Ille non censetur excommunicatus, contra quem lata est excommunicatio sub conditione, sed dubitatur an conditio sit adimpleta. *ibid. n. 53.*

49. Per particulam *necesse* intellige necessitatem, tam spiritualem quam temporalem, excusantem à peccato participando cum excommunicato vitando, & excusantem ipsum excommunicatum cum aliis participantem: quare potest licitè eleemosyna tradi excommunicato vitando qui ea indiget ad vitam, juxta sui status conditionem commodè reducendam: potest quoque ei tradi equus ad iter peragendum; aut ab eo peti consilium vel medicina, si sit Advocatus vel Medicus, & sit necessitas gravis. Item potest & cum eo communicari ad pacem aliorum conciliandam, vel ad scandalum evitandum. *ibid n. 57. & seq.*

50. Qui per metum gravem communicare cogitur cum excommunicato; excusatur à peccato, cùm censeatur esse in gravi necessitate. Similiter non tenetur quis dissolvere contractũ societatis initum cum excommunicato ante excommunicationem, sed potest societatem continuare, & prosequi ad præcavendum & evitandum damnum. *ibid. num. 62. & 63.*

51. Invalida sunt gesta per judicem excommunicatum vitandum: nam acta sine facultate & jurisdictione invalida sunt, peccatque judex mortaliter ferendo sententiam in excommunicatione; excusari tamen potest à mortali excommunicatus toleratus ferendo sententiam juxta nonnullos. *ibid. punct. 7 n. 2. & 3.*

52. Excommunicatus quamvis toleratus non potest esse actor in judicio in causis civilibus aut Ecclesiasticis, sive per se, sive per alium. Hinc sequitur excommunicatum non

posse

posse accusare; nisi hoc faciat ex necessitate, nec posse alium convenire, vel reconvenire in judicio; potest tamen se defendere, & appellare à sententia contra se lata; & quamvis non possit agere in judicio, potest tamen dum rationabiliter dubitat de fuga debitoris eum coram judice convenire, ne detrimentum patiatur, quia in hoc casu videtur se tantùm defendere. *ibid num.* 5 *& seq.*

53 Valida sunt gesta in judicio per actorem excommunicatum vitandum, quando à judice, aut adversario fuit rejectus, & ei opposita excommunicatio; quia jus non irritat ipsius gesta, quamvis prohibeat agere. Imò non videtur mortaliter peccare, ratione parvitatis materiæ. *ibid. n.* 10 *&* 11.

54. Excommunicatus toleratus licitè potest ferre testimonium, cùm actus testandi ex natura sua vergat in favorem illius pro quo præstatur. Imò validum quoque est testimonium excommunicati vitandi, non solum in judicio, sed etiam in testamentis, contractibus & instrumentis: ei tamen non licet officium Abvocati, vel Procuratoris exercere, quamquam illius acta sunt valida, nec tenetur ad restitutionem pretii accepti, cùm à nullo jure irritentur; hinc matrimonium celebratum à Procuratore excommunicato nomine alterius, validum est. Idem dic de tutoribus, & aliis assumentibus administrationem temporalem. *ibid. num.* 12. *& seq.*

55. Excommunicatio irritat, & annullat litteras & rescripta Apostolica & processus virtute illorum habitos, excepto casu seu articulo excommunicationis & appellationis *ibid. punct. ult. n.* 1.

56. Excommunicatus perseverans in excommunicatione per annum, suspectus evadit de hæresi; consequenter contra ipsum tamquam de hæresi suspectum procedi potest ex Tridentino *sess* 25 *cap.* 5 præsumitur enim malè sentire, tam de potestate Ecclesiæ, cùm non curet de censuris ab ipsa latis, quam de sacramentis, cum illa non suscipiat singulis annis, juxta præceptum Ecclesiæ. *ibid. num.* 4.

Excommunicatio minor.

57. Excommunicatio minor incurritur participando in rebus prohibitis cum excommunicato vitando, non solùm vivente, sed etiam mortuo, ut si quis lavet cadaver affecti

majori excommunicatione. *ibid. quæst. 3. numer. 2.*

58. Excommunicatio minor privat non solùm directè passiva sacramentorum participatione, sed etiam electione, præsentatione, & collatione beneficii & Ecclesiasticæ dignitatis, ita ut excommunicatus minori excommunicatione non possit licitè eligi, vel præsentari ad beneficia, quamvis electio & præsentatio valida sit. Unde colligitur ligatum minori excommunicatione posse cum aliis fidelibus communicare absque peccato, vel excommunicatione. Item posse divinis officiis interesse, frui suffragiis, &c. & posse absolvere alios à censuris, & à peccatis, & actus jurisdictionis exercere *ibid n 3. 6. & seq.*

59. Ab excommunicatione minori lata à jure potest tantummodo proprius Sacerdos, (seu is qui habet jurisdictionem ordinariam supra excommunicatum) absolvere, non autem simplex Sacerdos aut Parochus alterius parochiæ *ibid. num. 11 & 12.*

60 Solus ergo proprius Parochus potest absolvere à minori excommunicatione, etiamsi non sit Sacerdos Idem dic de Confessario, habente delegatam jurisdictionem. Imò dicunt aliqui posse quemlibet Sacerdotem simplicem à minori excommunicatione absolvere pœnitentem non habentem peccatum mortale, sed contrarium probabilius est. *ibidem. nu. 14. & 15.*

61. Absolutio minoris excommunicationis dari potest per verba sufficienter exprimentia absolutionem, nec necessariæ sunt cæremoniæ in absolutione aliarum censurarum adhiberi solitæ. Quòd si pœnitens dubitet se in minorem excommunicationem incidisse, potest absolvi sub conditione ac forma quæ communiter adhiberi solet: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis quantum possum, & tu indiges, &c. ibid. n. 16.*

Excommunicatio ob violentam manuum injectionem in clericos.

62. Nomine violentæ injectionis manuum intelligitur actio externa injuriosa, violenta, consistens in facto seu opere, & contingens personam Ecclesiasticam. *ibid. quæst. 4. punct 1. § 1. num 1.*

63. Non est necesse ut persona clerici immediatè attingatur,

gatus, sed sufficit mediatè, ut si actio violenta & injuriosa fiat circa rem adhærentem clerico, seu deferentem vel continentem clericum, ut si fræno violenter detineatur equus cui clericus insidet, aut frangatur frænum, aut lacerentur vestes clerico adhærentes, aut equus percutiatur dum clericus eo utitur: aut aliquis ita insequatur clericum, ut cogatur se præcipitem dare in fluvium ad sese eripiendum è manibus insequentis. Idem dicendum si occidatur clericus per cibum, vel potum veneno infectum, aut si quis conspuat in eum, aut virga percutiat, aut includat in carcere, vel in alio loco à quo non possit exire sine dedecore & pudore: hæc enim actio censetur graviter violenta clerico: secus dicendum si percussio sit levis & non sufficiens ad mortalem culpam, aut si surripiatur clam crumena clerico, aut dormiens vestibus spolietur, aut injuriis afficiatur sine percussione. *ibid. num. 3 & seq.*

64. Ille non est excommunicatus, qui per metum absque ulla vi, vel tactu cogit clericum exire è fundo; aut obsidet castrum aut domum, non ut faciat injuriam clerico ibi existenti, sed ut justè obtineat illud castrum, secus dicendum de explodente sclopum in clericum, aut de judice sæculari detinente, vel detineri curante clericum in domo vel custodia, aut ponente custodes ad domum qui clericum exeuntem capiant, ita ut clericus non possit liberè exire. *ibid, n. 11. & seq.*

65. Impuberes & pueri sæpè possunt ab excommunicatione excusari, eò quòd illorũ percussio regulariter non reputetur graviter injuriosa inter hujusmodi personas. *ib. n. 13.*

66. Consilium & mandatum, quo quis consulit, aut tacitè vel expressè mandat clerici, vel Monachi percussionem, subiicitur eidem excommunicationi, modò secuta sit percussio, & consilium, vel mandatum influxerit in percussionem *ibid §. 2 n. 1. & seq.*

67. Clerici percussionem mandans, incurrit excommunicationem, etiamsi conatus fuerit mandatum postea revocare, sed re ipsa non revocaverit: aut si revocaverit, & revocatio non fuit manifesta mandatario, & adhuc secutus est mandati effectus. Nec refert quòd mandans in gratia exiliat dum mandatarius mandatum exequitur; sufficit enim peccatum mortale prohibitum sub censura commissum antea fuisse, *ibid, n. 4 & 5.*

68. Percussionem clerici mandans, vel consulens, aliquando ligatur excommunicatione, etiamsi ea non ligetur executor, & è contra; ut accidit quando executor ignorat invincibiliter illum quem percutit esse clericum, aut invincibiliter ignorat latam esse excommunicationem. *ibid.n.6.*

69. Omissio, qua quis non obstat percussioni clerici, non subjicitur excommunicationi, dum is qui non obstat, ex sola charitate obstare tenebatur, etiamsi re ipsa possit obstare & peccet non obstando; secus dicendum de iis qui tenentur obstare ex officio, ut sunt Principes, & alii Superiores, judices, patres, tutores, heri, pædagogi, parochi, & alii similes respectu filiorum & subditorum: his enim commissa est cura suorum subditorum. *ibid.n.7. & seq.*

70. Ratihabitio, qua quis approbat per aliquod signum externum, percussionem clerici suo nomine & contemplatione sui factam, est materia hujus excommunicationis, etiamsi approbatus non dederit mandatum: quare si de illa solùm gaudeat nesciens factam esse suo nomine, non contrahit excommunicationem, nisi fortè velit illam factam esse suo nomine. *ibid.n.10 & 11.*

71. Quod dictum est de omnibus & singulis masculis, qui clericum, vel monachum percutiunt, &c. intellige etiam de feminis percutientibus, aut alia ratione concurrentibus ad clerici, vel monachi percussionem. Idem dicendum est de collegio vel universitate, quæ clerici percussionem mandaret. *ibid. punct. 2. n. 3. & 4.*

72. Percutiens clericum volentem & consentientem, incurrit excommunicationem, quoties percussio est injuriosa, quia facit injuriam toti ordini & statui clericali, ipsique percussio vergit in damnum aliorum: & talis clericus consentiens in sui percussionem est excommunicandus: imò si seipsum percutiat ex ira, majorem incurrit excommunicationem, cum percussio hujusmodi sit injuriosa toti statui clericali. *ibid. num. 5. & seq.*

73. Nomine clerici gaudentis privilegio Canonis intelligitur initiatus prima tonsura, aut aliquo ordine, etiamsi conjugatus sit, modò gerat habitum clericalem & tonsuram, & non sit bigamus: propterea percutiens clericum conjugatum cum virgine, & habitum gerentem, excommunicatur. Item percutiens clericum degradatum verbaliter tantùm, aut irregularem, aut excommunicatum toleratum, aut vitandum,

tandum, aut affectum alia censura. Denique ille similiter est excommunicatus, qui percutit clericum, qui post susceptionem sacrorum ordinum contraxit matrimonium, adhuc enim gaudet privilegio Canonis *ibid. punct. 3. n* 1. *& seq.*

74. Nomine monachi gaudentis privilegio Canonis, intelliguntur non solum religiosi professi, licet conversi, verùm etiam novitii. Intelliguntur etiam moniales professæ, vel conversæ, ac novitiæ, modò non vivant domi propriæ more laicorum. Hoc nomine venit etiam religiosus bigamus, & milites Commendatarii vota emittentes, aut ii quibus communicata sunt privilegia clericalia, quales videntur Equites S. Jacobi. His adde Equites Calatravæ, Alcantaræ, Equites ordinis Christi in Lusitania, S Lazari in Sabaudia, & S. Stephani Florentiæ, &c quæ videntur personæ Ecclesiasticæ. Hoc privilegio gaudent etiam Tertiarii S. Francisci, vel Dominici assumpto habitu viventes in communi sub obedientia Superioris illius religionis : Eremitæ qui vivunt in communi sub aliquo Prælato ex tacita vel expressa Summi Pontificis auctoritate, aut qui habitum religiosum deferunt, peculiarem vivendi modum sub obedientia Episcopi tenentes, *ibid. n. 7. & seq.*

75. Clericum percutiens in continenti, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, excusatur ab excommunicatione; item percutiens ex ignorantia probabili, aut per jocum, nisi posteà percussionem ex odio vel ita prosequatur; aut causa correctionis & disciplinæ, modò facultatem percutiendi habeat, & modò in percutiendo modum non excedat. Similiter percutiens clericum turpiter inventum cum matre, filia, uxore, vel sorore, excusatur ab excommunicatione, modò percutiat in continenti, & non ex intervallo, Idem dicendum etiamsi non invenerit in actu carnalis copulæ, sed in alio turpi actu. Item percutiens clericum non deferentem habitum, & ter à legitimo Superiore admonitum, ut habitum deferat, aut implicantem se in negotiis sæcularibus, & ab iis post trinam admonitionem non desistentem, non ligatur excommunicatione. *ibid. punct. 4. num.* 1. *& seq.*

76. Similiter percutiens clericum effectum militem, aut immiscentem se enormitatibus, aut clericum conjugatum exercentem officium cauponis, vel macellarii, excusatur ab excommunicatione, quoties ille post trinam admonitionem

à præfato officio non destitit. Denique percutiens bigamum minoribus tantùm ordinibus initiatum, aut clericum non desistentem post trinam admonitionem à delatione armorum, vel ab arte mimica publicè exercenda, non incurrit excommunicationem. Adde Ostiarium seu officialem Principis non incurrere similiter excommunicationem, quoties turbam arcendo, simul arcet clericum. Idem dic de capiente clericum de mandato sui Prælati, quando adest legitima causa eum incarcerandi. *ibid. num.* 11. *& seq.*

77. Clericus quando percuti meretur de rigore juris communis, percutiendus est ab ipsismet Superioribus, dum sunt inferiores Episcopo. *ibid. n.* 5.

Absolutio ab excommunicatione ob clerici percussionem cui competat.

78. Ab ea absolvunt Summus Pontifex, Legatus à latere, & Legati missi in provincia ad quam mittuntur: Episcopi per se, vel alium, quando percussio est levis. Vicarius Generalis potest per se ipsum absolvere, & dare aliis facultatem absolvendi, quia ipse est judex ordinarius, & facit unum tribunal cum Episcopo. Item possunt etiam absolvere supremi monasteriorum ex privilegio ipsis concesso per se, vel per alios, quando percussio est levis; illa autem percussio regulariter loquendo, dicitur levis, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ nullam maculam, vel sigillationem carnium relinquit, vel quæ fit absque abscissione membri, sine effractione dentis, sine evulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis, &c. fieri tamen potest ut ex circumstantiis personæ, & qualitatis hujusmodi percussio sit gravis. *ibid. punct.* 5. *n.* 1. *& seq.*

79. Potest tamen Episcopus absolvere ab excommunicatione contracta ob clerici percussionem, etiamsi percussio mediocris sit vel enormis, sequentibus casibus. Si adsit legitimum impedimentum in absolvendo, v. g. si sit impotens, si mors ei immineat, si sit mulier, cujuscumque sit ætatis & conditionis; si sit sub potestate alterius, ut servus & filiusfamilias; si sit clericus collegialiter, seu communiter vivens, aut religiosus; si sit ianitor aut officialis Principis, qui causa sui officii levi aut mediocri percussione clericum percussit; si sint filii impuberes, &c. *ibid. n.* 9. 10. *& seq.*

89 Qui

80. Qui absoluti sunt ab Episcopo propter impedimentum temporale, tenentur, sublato impedimento præsentare se Summo Pontifici, idque pœnitenti injungendum est: excipe tamen clericos collegialiter viventes, filios imberes, religiosos & officiales Principum. *ibid num* 17.

81. Impedimentum legitimum habens non accedendi ad Papam, non potest ab Episcopo absolvi, quoties potest adire legatum, vel alium facultatem Papalem habentem circa excommunicationem *ibid. num.* 18.

82. Episcopus potest absolvere sibi subditos ab excommunicatione contracta ob quamlibet percussionem, modò delictum sit occultum: & non solùm per se, verùm etiam per alium absolvere potest ab hujusmodi excommunicatione *ibid. n.* 19 & 20

83. Vicarius generalis non potest in impedimentis matrimonii dispensandi potestatem aliis delegare; imò neque potest per se ipsum, nisi speciale privilegium habeat. *ib. n.* 21.

84. Clericus qui se ipsum percussit, dum absolutionem obtinere intendit, debet eam satisfactionem exhibere, quam Superior exhibendam judicaverit, cum juramento non amplius relabendi. *ibid n.* 23.

85. Quando percussus, vel occisus fuit religiosus, satisfactio præstanda est Superiori illius religionis, in qua vitam degit, vel degebat religiosus, *ibid. n.* 24.

Excommunicatio ob hæresim.

Vide v. *Hæresis.*

Excommunicatio contra cogentes feminam ad religionem, aut eam retrahentes à religione.

86. Cogere, idem est ac per vim vel metum gravem injustè inducere. Quare metu levi cogens feminam ad religionem, non incurrit excommunicationem, neque qui metum justè incutit, aut precibus importunis sive minis utitur, aut suadet feminæ ingredi religionem ineusso metu privationis alicujus boni, ad quod femina alias non habebat jus. *ibid. q.* 6 *punct.* 2. *n* 2 *& seq.*

87. Non solùm cogens ad ingrediendum monasterium, verùm etiam cogens ad suscipiendum habitum, vel ad emit-

tendam professionem, laqueo excommunicationis suspenditur: secus dicendum de cogente feminam ad emittendum votum ingrediendi religionem; hic enim non subjacet excommunicationi. *ibid.n.6.& 7.*

88 Cogens feminam ad ingrediendum religionem, non incurrit excommunicationem statim præstita actione coactiva: sed requiritur actualis ingressus, vel susceptio habitus, aut professio. *ibid.n.8.*

89. Dans auxilium, consilium & favorem in ingressu monasterii, vel susceptionis habitus, vel professionis alicujus feminæ ad hoc coactæ, excommunicationem incurrit. Item & consensum: vel auctoritatem præbens in præfatis actionibus; non tamen aspiciens obiter feminam involuntariè ingredientem. *ibid.num 9. & seq.*

90. Consilium, auxilium, vel favorem præbens dum femina involuntariè monasterium ingreditur, non ligatur excommunicatione, nondum secuto effectu. *ibid.num 12.*

91. Reges, vel Imperator non ligantur excommunicatione cogendo feminam ad ingressum in monasteria, aut aliam actionem hic vetitam faciendo, juxta probabilem nonnullorum sententiam, quia Summus Pontifex dum intendit hos ligare, solet exprimere. *ibid.n.14.*

92. Cogens virum ad religionem, non incurrit excommunicationem, quia Tridentinum loquitur solùm de cogentibus feminas. *ibid.n.15.*

93. Retrahens feminam solis precibus à religione, non incurrit excommunicationem; secus dicendum si dolo retrahat, aut alia astutia. *ibid.punct.3.n.5.& 6.*

94. Omnes & singuli injuste impedientes feminam, ne religionem assumat, seu professionem emittat, excommunicationem hujus decreti contrahunt. *ibid.n.8.*

ADDITIO.

Reges à solo Papa excommunicantur, & censuris ligantur.

Excommunicationes vulgo ignotæ, adeoque usu non receptæ, non ligant.

Excommunicatus non potest eligere; valet tamen præsentatio facta à laico excommunicato, dummodo non sit denuntiatus, aut notorius clerici percussor. Navar. *cons.1. de jure patron.*

Excommunicatus donec satisfecerit, indiget, ubi satisfecerit, absolutione.

Excom-

Excommunicatio ex causa falsa valet ; etsi quidam id negent. Declarationem vid. apud Covar. *c. alma. 1. p. 11. num. 15* Sylv. *5. absolutio n* 13 Nav. *c. 27. n.* 38.

Incendens studio, maloque animo locum sacrum, postquam fuerit per Episcopum excommunicatus, & denuntiatus, à solo Papa absolvitur, vid *c. cau. de sent. excommunic.*

Itemque effractor simul & spoliator loci pii, auctoritate Episcopi ædificati, postquam fuerit nominatim denuntiatus, excommunicatur, vid. *c. conquestus, eod. tit.* non effringit autem, qui clave aperit.

Excommunicationes nulli reservatæ.

Extorquentes gabellam, per se aut per alium ab Ecclesiasticis, aut ab eorum rebus non portatis ad negotiandum. *c. quamquam de censib. lib. 6.* Non est autem negotiari, bona sua vendere.

Domini temporales prohibentes subditis vendere sua clericis, aut præstare officia, *c fin. de immun Eccles.*

Facientes servari statuta, aut consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam, id est, Ecclesiæ universæ concessam. *c. niverit. de sent. excomm.*

Nec sunt statuta contra libertatem quæ moderantur expensas funerum, in iis, quæ non applicantur Ecclesiæ, nec concernunt divinum cultum, vel animarum suffragium, sed mundanas pompas. Syl. *immunitas. 1. n.* 10. cum Jo. de Imol. & Panorm.

Raptores mulierum, vel consilium, favorem, vel auxilium dantes. Conc. Trid *sess. 14. c. 6. de reform.*

Intrantes septa monialium, sine Episcopi, aut superioris licentia, in scriptis. Trid Conc *sess. 23. c. 5. de Regul.*

Sed hæc jam est Papæ reservata per Greg. XIII *const. 36.*

Clerici in dignitate, aut personatu, aut sacerdotes audientes Jus civile, aut Medicinam per duos menses, nisi audiant, ut jus Canonicum melius intelligant. *c. super specula.* neclerici, vel monachi, vid. Joan. Andr. & Host. *ibid.*

Doctores qui religiosum dimisso habitu docent leges, aut medicinam *c. ne clerici vel monachi lib. 6.*

Religiosi habitum temerè relinquentes. *ib.* Secus si ex causa rationabili, aut sine peccato mortali, aut alio non assumpto, aut assumpto ad breve tempus.

Contrahentes scienter de præsenti cum consanguinea,

vel affine in gradu prohibito, vel cum religioso, vel religiosus professus, aut clericus in sacris, & qui tale matrimonium celebrat scienter. *clem. 1. de cons. & affin.* Excusat ignorantia, etiam crassa, (requiritur enim dolus,) itemque timor gravis, & absolutus, ut ait Sylvest. *verf. excommun. numer.* 88. Navarr. *c. 27. numer.* 141. *gl. ejusd. clem. ver. matrimonialiter.*

Cogens aliquam minus liberè matrimonium contrahentem. Trid. *sess. 24 c. 9.* Intellige de dominis, aut magistratibus exteriorem jurisdictionem habentibus.

Impediens sine causa feminam velum accipere, vel profiteri; vel cogens monasterium ingredi, aut profiteri: vel illi consilio, aut aliter adjuvans. Concil. Trident *sess. 25. c. 18. de Regul.*

Concedens in terra sua locum ad duellum, item patrini, certantes, consulentes, & spectantes. Trident. *sess. 15. c. 19. de reform.*

Ex condicto duellum facientes statuto tempore, & loco, etiam sine patrinis, & chartellis, & loci securitate; & domini permittentes, aut non prohibentes, & quovis modo adjuvantes, & ex composito spectantes: vel socius, etiam si illi ad locum accedentes non potuerint pugnare. Gregor. XIII. vid Nav. *c 27 n.* 150.

De duello facit etiam Clem. VIII eamdem prohibitionem, quem vid. Clem VIII. *Illius vices, &c. lata ann.* 1592. *ibid. Cal. Sept. Pont. anno* 1.

Exemptus.

Exemptus de licentia superioris potest Episcopo se subdere, ut ab eo absolutionem, vel dispensationem, qua indiget, obtineat. Syl. *5. exemptio.* vid. Ang. *exemptus n. 6.*

Exilium.

Exilio perpetuo damnatus, dicitur deportatus; qui autem ad tempus relegatus. In exilium non potest pater filium mittere.

F.

Falsarius.

FAllare monetam, crimen est læsæ majestatis; falsa autem dicitur, facta sine legitima auctoritate, materia, aut pondere, aut signo; tondere autem extuberantem monetam, falsare non est, etsi peccatum sit; est verò falsarius, qui justum pondus minuit.

De falsariis Lopez *p. 2 c 43.* De eorum peccatis Navar. *c 17 anu. 167* Falsa) Navar. *l. c n. 167.* vid. Syl. *falsarius. 7, 8.* Peccatum) cum onere restituendi. Navar. *l. c. nu. 278.* Sylv. *falsarius. n 10. 11.* Fu. 10.

Qui sciens falsis numis, ponderibus, scripturis utitur, mortiferè peccat cum onere restituendi. Nav. Lop. *l. c.*

Non licet amissæ scripturæ de hereditate aut nobilitate, aliam similem facere, etiamsi nulli fiat injuria; sicut neque licet convento super mortuo, quòd jam solverit, falsum solutionis instrumentum producere. Cou. *lib. 1. var. resol. c. 2. n 3.*

Familia.

Familia dicitur usque ad quartum gradum, itaque omnes etiam gradus quarti, dicuntur familiares: itemque omnes famuli, etiam extra domum habitantes. Syl. Famil, 1. 2. *vers. familiares.*

Familia Episcopi gaudet privilegio fori, non autem familia Ecclesiæ, Abb. *in c. nullus n. 6. de for. comp.* Vid. *c. fi. de offic. Archid.* Ang *Fam.*

Festum.

Vide v. *Decalogus.*

Festum potest princeps, & civitas indicere; sed sine obligatione missam audiendi vid. Nav. *c. 13.* Tol. *l 4. c. 24.*

Festum ab Episcopo indictum non obligat, si populus ex causa rationabili non acceptat vid. Armill. *ver. Festum. n. 5. cum Pan* Quod si receptum est, debent servare etiam religiosi exempti. Non potest autem ipse indicere sine clerici, aut Capituli consensu vid. *c. conquestus de feriis.*

Ad

Ad festa majorum voto, aut juramento recepta tenetur quidem populus; sed non sub obligatione voti, aut juramenti, est enim hæc personalis. Non potest Episcopus prohibere, alioquin in festo licita, causa necessitatis, aut pietatis quod si sub excommunicatione prohibeat, nulla est excommunicatio, secundum Navar. *c.* 13. *n.* 15. Lopez *l.* 1. *col.* 5.

Excusat à festi observatione metus justus, necessitas, pietas, utilitas publica, vitatio damni corporis, vel animæ, dispensatio Episcopi, vel parochi, ubi is solet dispensare. Vid. Nav. & Sylv.

Circa festi principium, & finem servanda, est Ecclesiæ consuetudo, ubi autem à vespere incipit, excusantur barbitonsores, in vigilia laborantes, concessione Eugenii IV. secundum Nav.

Feudum, emphyteusis.

Vide v. *Alienatio.*

1. Emphyteusis est contractus, quo quis tradit rem suam immobilem alteri quoad dominium utile, sub certa pensione reali solvenda in recognitionem dominii directi. Emphyteusis alia est perpetua, alia temporalis, alia Ecclesiastica, alia communis sive profana, alia nova, utpote quæ primo instituitur; alia est vetus & antiqua; alia denique est hereditaria, quæ concedi solet pro omnibus heredibus, quamvis extraneis; alia verò familiaris, quæ conceditur solùm pro iis qui sunt de familia. *tom.* 2. *de Contractibus, disp.* 3. *q.* 8. *punct.* 1. *num.* 1.

2. Feudum (à fide seu fidelitate sic dictum) est contractus, quo quis tradit feudatario, sive vasallo rem suam immobilem quoad dominium utile, cum onere obsequii & servitii personalis; & in hoc scilicet ratione pensionis differt feudum ab emphyteusi: nam quatenus pensio est personalis, id est, consistens in obsequio personali, dicitur feudum; quatenus verò pensio est realis, id est, consistens in pecunia, vel frumento, vel alia re simili, dicitur emphyteusis. *ib. n.* 2. *&* 3.

3. Jus commune has præscribit conditiones ad contractum emphyteuticum; nimirum ut contractus emphyteuticus celebretur per scripturam, nisi aliter receptum sit alicubi per contrariam consuetudinem: ut contractus fiat de rebus

bus immobilibus & frugiferis, & solo adhærentibus, ut v.g. agris, domibus, pratis, &c. ut bona quæ subjiciuntur emphyteusi, non sint bona Ecclesiæ: ut dominium directum perleveret apud priorem dominum, dominium verò utile transferatur in emphyteutam, ut quotannis ab emphyteuta solvatur certa pensio, seu Canon consistens in pecunia, vel in fructibus; alioqui cadit ab emphyteusi, seu à tota re, nisi excusetur, eo quod purgaverit moram celeritate solutionis, aut nisi legitimè impeditus fuerit: nam legitimè impedito non currit tempus. Si verò nescivit rem esse emphyteuticam, restituendus est in integrum, etiamsi major sit; quia par non est ut culpam subeat, qui culpam non admisit. Excusabitur similiter emphyteuta à solutione pensionis, si res emphyteutica pereat sine culpa emphyteutæ. Imò expensæ resarciendæ sunt emphyteutæ, modò sint expensæ magni valoris, & emphyteuta non cadat propter suam culpam; modò melioramenta non sint superflua, & modo non fuerint facta à casu, seu à causis naturalibus absque expensis emphyteutæ *ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

4. Alia conditio ad contractum emphyteuticum requisita est, ut emphyteuta privari possit re accepta in emphyteusim, quoties res efficitur notabiliter deterior ex culpa lata, vel levi emphyteutæ. Denique requiritur, ut quamvis emphyteuta possit rem emphyteuticam (modò non sit res Ecclesiæ) oppignorare, vel permutare, vel hypothecare, vel donare, vel legare, vel tradere in solutionem quoad jus quod ipse habet; non tamen possit rem emphyteuticam, & ejus melioramenta per venditionem alteri tradere secundùm jus utile quod ipse habet, aut locare ad decennium, seu tradere alteri in emphyteusim, seu libellum absque consensu domini directi, saltem implicito & præsumpto, vel non admonito domino directo, num ipse velit eodem pretio emere. *ibid. n.* 23. & 24.

5 Quando res emphyteutica transit ad alium emphyteutam per venditionem, vel donationem, vel permutationem, vel locationem decennalem, solvendum est à secundo emphyteuta laudemium, seu quinquagesima pars domino directo propter investituram, seu laborem quem dominus directus subit investiendo, seu mittendo novum emphyteutam in possessionem *ib. n* 25.

6. Ad contractum feudi quatuor conditiones requiruntur;

tur ; scilicet ut dominium directum perseveret apud priorem dominum ; dominium verò utile transferatur in vasallum;ut feudum constituatur super re immobili,agro, pago,urbe , &c. ut vasallus non alienet feudum sine consensu domini directi , ad quem pertinet investire, & mittere in possessionem;alioquin vasallus cadit à feudo,quamvis alienando protestetur se alienare salvo & reservato consensu domini directi;nam protestatio est contraria facto. *ib. punct.3. §.4.num.1.*

7. Quæres,an bona Ecclesiastica possint tradi in emphyteusim,& in feudum seu libellum , aut alia ratione alienari? Respondetur , bona Ecclesiæ mobilia & pretiosa quæ servando servari non possunt , posse absque alia solemnitate vendi ab Episcopo , aut ab alio qui bonorum Ecclesiæ habeat administrationem:at bona Ecclesiæ immobilia , vel etiam mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, non possunt validè alienari , nisi adsit justa causa à jure præscripta;qualis est necessitas urgens , pietas, ut ad redimendos captivos,utilitas evidens,& incommoditas , ut quando res est majoris sumptus,vel incommodi , quàm fructus & reditus. *tom.1.de alienatione bonorum Ecclesiast.disp.2.quæst.unic. punct 2.n.3.& punct.3 n.1.*

8. Valebitne alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Prælato qui credebat subesse legitimam causam , sed re ipsa non erat legitima? Valebit, quamvis posteà comperiat non fuisse legitimam *ib.n.5.*

9. Ad validam autem alienationem bonorum mensæ Episcopalis,aut Ecclesiæ Cathedralis , vel collegiatæ immobilium requiritur unus tractatus,id est discussio,quæ fit allatis rationibus pro & contra.utrum expediat hujusmodi bona alienare , & post tractatum requiritur consensus expressus majoris partis Capituli , eorum scilicet qui sunt præsentes.Præterea requiritur subscriptio in casibus, in quibus jus subscriptionem præscribit;& consensus Superioris, Episcopi videlicet respectu clericorum & monasteriorum non exemptorum; respectu verò exemptorum sufficit consensus majoris partis Capituli, & illius qui pleno jure est superior. Denique ut hujusmodi alienatio sit licita jure antiquo, requiritur facultas seu consensus Sedis Apostolicæ, qui censetur & præsumitur intercessisse ex lapsu triginta vel quadraginta annorum. Et sine præscripta solemnitate contract' alie-

alienationis bonorum Ecclesiæ celebratus, est invalidus, & res accepta sine prædicta solemnitate restituenda est, etiam cum fructibus loco pio, ad quem ante alienationem pertinebat, ut constat ex *Extravag. Ambitiosæ Pauli II.* teneturq; emptor si mala fide emit ad damnorum restitutionem, cùm censeatur injusta causa illorũ. *ib. pu. 4. n. 1. 3. & seq. item n 14. & 15*

Alienantes verò bona Ecclesiæ, vel locorum piorum sine prædicta solemnitate, si fuerint Episcopi, vel Abbates, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ; & si per sex menses permanserint in interdicto, iis elapsis remanent suspensi à regimine & administratione Ecclesiæ, vel monasterii cui præsunt in temporalibus & spiritualibus. Quòd si fuerint inferiores Episcopis, vel Abbatibus, privantur ipso facto absque alia declaratione beneficio, vel officio, cujus bona præsumpserint alienare. *ib. punct. 1 n. 1. & punct. 5. n. 1.*

Prætereà incurrunt excommunicationem non solùm ipsi alienantes, verùm etiam recipientes; modò secuta sit actualis traditio, seu alienatio, ut patet ex præfata *Extravag. Ambitiosæ Pauli II. ib. punct. 5. n. 3.*

Ex his colligitur non posse sine prædicta solemnitate incidi arbores solo adhærentes, sive fructiferæ sint, sive etiam infructiferæ, cùm hæc pretiosa bona reputentur; secus de vino, oleo, frumento, &c. cùm hæc non censeantur pretiosa, quæ servando servari possint. Hæc doctrina militat quoque pro permutatione bonorum Ecclesiæ facta absque prædicta solemnitate, etiamsi facta sit inter Ecclesias. Item militat adhuc pro bonis Confraternitatis, vel Collegii, vel Congregationis, vel Hospitalis, aut Oratorii erecti & fundati auctoritate Episcopi; & pro bonis Commendarum, aut Juris patronatus Ecclesiastici. Nomine autem *bonorum* intellige etiam bona incorporalia, id est, jura, actiones, & servitutes, &c. *ib. punct. 2. n. 4 7. 9. 10 13. & 19.*

10. Sicut autem bona Ecclesiæ immobilia & pretiosa alienari non possunt absque prædicta solemnitate, ita neque tradi possunt in pignus, vel hypothecam; nam actus quo res traditur in pignus, vel hypothecam, venit etiam nomine *alienationis. ib. n. 23.*

11. Sed petes, an beneficiarius, aut Prælatus possit repudiare legatum, vel hereditatem Ecclesiæ relictam, non servata hac solemnitate? Potest, quia per hanc repudiationem seu renuntiationem hereditatis nondum acceptatæ, non di-

dicitur præcisè alienare bona Ecclesiæ; peccat tamen contra justitiam repudiando; cùm ex officiò teneatur consulere bono Ecclesiæ. *ib. n.* 33.

Fidejussio.

Vide v. *Assecuratio.*

1. Fidejussio, quæ significat fidem suam alteri jubere dare, est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sua illius adimpletionem, sequens illius defectum obligans; hinc fit ut fidejussor non teneatur ad plura, vel ad majora, quàm teneatur principalis debitor pro quo jubet, & cujus personam gerit, & tenetur in illius defectum, etiam ante judicis sententiam. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3 quæst. 9. punct. 1 n. 1 & 2.*

2. Fidejussor qui se tantùm obligaverat ad aliquod tempus, ex. gr ad annum, remanet liber ab obligatione fidejussionis, postquam creditor prorogavit terminum debitori pro quo fidejusserat. Idem dicendum si ille ad quem exhibendum & custodiendum se obligaverat, condemnatus fuit de aliquo crimine, aut fugit. *ib. n* 8. & 9.

3. Fidejussor qui pro reo morte digno fidejussit, plectendus non est capite, reo fugiente; quia non præsumitur eum voluisse se ad hanc pœnam obligare; imò nec potuit, cùm non sit dominus vitæ suæ. *ib. n.* 10.

4. Fidejussor potest agere contra debitorem, ut seipsum liberet à fidejussione, in his casibus, quando debitor vergit ad inopiam, aut quando multo tempore fuit in mora solvendi post elapsum tempus constitutum ad solvendum; & quando fidejussor condemnatus fuit ad persolvendam fidejussionem. Item debitor tenetur resarcire damna quæ patitur fidejussor ob culpam debitoris non solventis debito termino *ib. n.* 11.

5. Duplex est fidejussio, judicialis & privata. Judicialis fit in judicio, ut quando quis fidejubet ad constituendum reum sub pœna pecuniaria; quòd si non præstet, tenetur pœnam solvere: privata verò fidejussio est, quando quis se obligat in defectum principalis ad solvendum. *ib. n.* 17.

6. Ille potest fidejubere, qui habet bona ad satisfaciendum in defectum principalis, modò habeat liberam illorum bo-

norum

norum administrationem, qualem non habent pupilli, religiosi, & pauperes. Mulier nisi in aliquibus casibus fidejubere non potest. *ib. punct. 2. n. 1. & 2.*

ADDITIO.

Potest pro fidejussione aliquid pretii accipi, etiamsi nullum timeatur periculum, est enim ex se pretio æstimabilis. De fidejussore P. N. *l. 3. c. q. d. n. 146.* Garz. *c. 38.* Lopez. *l. 2 de cont. c. 16. 17.*

De usura, quæ contingere potest in fidejussione, Mol. *d. 319.* Sot *l. 6. q. art. 2. col 10.* P N *l. v. cap. 2. num. 114.* eadem est ratio de assecuratore, *ib.* Syl. Fidejussor. *n. 14.* Con. *lib. 5. var. resol c. 2. n. 6.*

Mutuare cum pacto, ut fidejussor sit pro mutuante, usura est. Mol *l. c.*

De contractu assecurationis Garz. *l. c. de contractu, c. 39.* Lopez *l. c.*

Fideicommissum.

Fideicommisso subjecta possunt alienari causa dotis, etiam post fideicommissum promissæ, & alimentorum.

Fides.

1. Fides est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res à Deo revelatas propter ipsius auctoritatem. Fides est in intellectu tamquam in subjecto; illius objectum materiale sunt res à Deo revelatæ, formale verò est auctoritas divina. Ecclesia autem dicitur regula infallibiliter proponens res fidei credendas. Hinc collige magnam esse nostræ fidei certitudinem, cùm fides infallibiliter Dei testimonio nitatur, qui non potest falsum revelare. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3 quæst 2. punct. 1 n. 1. & seq.*

2 In beatis non est fides, neque spes. Item neque in dæmonibus. vel damnatis, neque similiter in hæreticis; nam spes non potest esse sine fide, qua ipsi carent. *ib. n. 7. & seq.*

3. Non solùm fides habitualis necessaria est ad salutem, verùm etiam fides actualis, non solùm necessitate medii, sed etiam præcepti; teneturque homo postquam ad rationis u-

sum pervenit, actum fidei elicere. Item tenetur elicere per accidens, quando debet se ad Deum convertere; quamquam non tenetur omissionem hujus actus in confessione aperire. Item tenetur actus fidei elicere, dum extat periculum incidendi in aliquod peccatum, si actus fidei non eliciatur, & in articulo mortis. *ib. punct. 2. n. 4. & seq.*

4. Petes, quosnam articulos teneamur explicitè credere? Respond. singulos homines postquam ad rationis usum pervenerunt, teneri ex præcepto explicitè credere ea quæ continentur in Symbolo Apostolorum, & præcepta Decalogi. Item tenentur scire saltem quoad substantiam præcepta Ecclesiæ: orationem Deo faciendam esse pro necessitate corporis & animæ, extare obligationem subveniendi proximo, & similia. Eos autem quibus alios docendi, eosque ab errore avertendi cura incumbit, teneri explicitè nosse & credere non solùm articulos fidei, verùm etiam alios juxta suum gradum, seu statum & officium. Teneturque Confessarius aliquando pœnitentem circa fidei articulos interrogare, & si minus peritum circa hujusmodi articulos reperit, debet illum rejicere, vel docere necessaria, antequam beneficium absolutionis impendat. *ib. n. 13. & seq.*

5. Homo tenetur aliquando ex præcepto affirmativo fidem exteriùs confiteri, videlicet quando alioquin magnus Dei honos subtraheretur, vel magna proximi utilitas impediretur, aut illi grave scandalum præberetur circa fidem; sed non quando iniquè, aut privata auctoritate interrogatur an sit Catholicus, aut Christianus; non poterit tamen respondere se non esse Christianum; at tenebitur confiteri se esse Christianum, quoties fides alioquin putaretur falsa, vel quando publica auctoritate interrogatur. *ib. punct. 3. num. 3. & seq.*

6 Non peccat qui dicit se non esse Christianum, dum Christiani nomen non accipitur pro religione; sed pro ipsa natione, aut vitio nationis. *ib. n. 5.*

7. Similiter non peccat contra præceptum fidei, qui habitum à Tyranno præceptum non gestat metu mortis; peccant tamen pastores fugiendo tempore persecutionis, alio idoneo non substituto. *ib. n. 8. & 9.*

8. Non est obligatio confitendi fidem, dum ex ipsius confessione sola perturbatio nascitur; secus dicendum dum per fidei confessionem infidelis inducitur ad fidem. Item tenemur

mur confiteri, dum fidei confessione vitatur contemptus imaginum sacrarum, vel fidei. *ib. n.* 11. *& seq.*

9 Qui promoventur ad officium aliquod litterarium, seu artem litterariam, tenentur fidei professionem emittere; sicut & qui promoventur ad beneficia curata, vel ad Canonicatus, aut dignitates in Ecclesia Cathedrali, nisi per ignorantiam, aut aliam justam causam excusentur. Nec refert quod hi sint exempti; nam adhuc tenentur per se, vel per procuratorem facere. *ib. n.* 14. *&* 15.

10 Semper tenemur ex præcepto negativo abstinere à dictis vel factis, quibus fides negatur; quia præceptum negativum, quale est de non neganda fide, obligat semper & ad semper: idcirco peccat contra præceptum negativum fidei, qui se negat Christianum, dum hoc nomen pro religione accipitur; item qui dicit se Turcam, vel hæreticum, vel utitur signis protestativis falsæ religionis ex sua natura, etiamsi hoc faciat absque animo negandæ fidei; secus si utatur signis indifferentibus ex sua natura, ut si deferat vestes quibus Hebræi utuntur, aut in bello utatur insignibus infidelium, aut animum protestandæ falsæ religionis. *ib. n* 16 *& seq.*

11 Non peccat contra præceptum fidei negativum, qui concionibus hæreticorum, vel ceremoniis interest animo confutandi, aut observandi solùm ipsorum cæremonias: non licet tamen illis interesse de mandato Principis hoc præcipientis in contemptum fidei, vel ad profitendam hæreticorum sectam. *ib. n.* 21. *&* 22.

Item non peccat contra præceptum fidei negativum, qui feria sexta, vel sabbato metu gravis mali vescitur carnibus; aut qui joco in comœdiis fingit se infidelem; aut qui se negat Sacerdotem, vel clericum. *ib. n.* 23. *& seq.*

12. Quæres: quid facere possit vir Catholicus in locis infidelium, dum ibi commoratur occulta fide, ne occidatur, & ut possit Principibus Christianis referre quæ ibi aguntur? Respondendum non licere illis signis uti, quæ sunt falsæ fidei, seu falsæ sectæ ex se protestativa, etiamsi hæc signa non adhibeantur animo negandi fidem, sed liberè uti signis ex se indifferentibus tantùm, id est, permittendum esse hujusmodi exploratori Catholico usum vestium, juxta regionis morem, esum carnium, & alia signa indifferentia, non autem orationem, vel adorationem Mahometi, aut alterius idoli, non solùm internam, verùm neque externam; quam

quam externam in casu rarissimo permitti posse, nonnulli Doctores autumant. *ib. n.* 26 27. & 28.

13 Non tenetur professionem fidei facere, qui semel eam fecit occasione Doctoratus, aut alia occasione intra bimestre quo beneficium obtinuit. Canonicus quoque, qui fidei professionem in Capitulo præsente Episcopo, aut Vicario fecit, non tenetur illam iterum coram Episcopo, aut Vicario facere. *ib punct.* 4 §. 1. *n.* 6. & *seq.*

14. Coadjutor Parochi sine titulo beneficii, Capellanus, & Canonici collegiatarum, non tenentur intra bimestre professionem facere, licet posteà teneantur in prima Synodo diœcesana, cui post adeptum beneficium interfunt. *ibid. n* 9.

15. Qui fidei professionem intra bimestre non fecit, privatur fructibus; non tamen privatur distributionibus, modò beneficium reddat fructus & distributiones: imò neque privatur fructibus ante sententiam. Adde privari posse, etiamsi triennio fructus bona fide possederit. *ib.* §. 3. *n.* 1 & *seq.*

16. Qui fidei professionem intra bimestre non fecit, privandus solum videtur fructibus respondentibus tempori post bimestre: neque subjicitur his pœnis qui beneficii possessionem nondum adeptus est *ib. n.* 5. & 6.

17 Licitum est clericis & religiosis de rebus fidei disputare, modò docti sint, sed non laicis, etiam doctis: his enim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis. Limita tamen hanc prohibitionem, modò non extet consuetudo in contrarium; intellige eamdem prohibitionem de disputatione formali, non verò de illa, quæ causa exercitii suscipitur, ut contingit in circulis & scholis. *ib. punct.* 5. *n.* 1. & *seq.*

18. Non licet communicare cum infidelibus, quoties ex eorum communicatione periculum imminet perversionis. Specialiter autem vetitum est fidelibus participare cum Judæis cohabitando, comedendo azyma, advocando ipsos ad medendum, & recipiendo medicinas ab ipsis, ingrediendo idem balneum, ineundo convivium cum ipsis, nutriendo eorum filios, accedendo ad eorum nuptias, aut choreas cum ipsis ducendo; denique admittendo illos ad publica officia, vel ad Missæ sacrificium, vel contrahendo cum ipsis matrimonium. *ib. punct.* 6. *n.* 1. & 2.

19. Tres

19. Tres sunt species infidelitatis, videlicet paganismus, Judaismus, & hæresis; & hæ differunt inter se specie; propterea exprimendum est genus seu species infidelitatis in confessione. *ib punct. 7 n. 1. & seq.*

20. Infideles baptizati, nempe hæretici cogi possunt pœna mortis, vel excommunicationis ad fidem suscipiendam & retinendam, qui sunt subditi Ecclesiæ Secus dicendum de infideli non baptizato; non enim potest cogi per metum ad fidem suscipiendam; quamquam infideles subditi cogi possunt ad deserendam idololatriam, & ad audiendum Evangelium; secus dicendum est de infidelibus non subditis, licet etiam isti compelli possunt ad vitam mitiorem, si more belluarum vivant. *ib. punct. 8 n. 1. & seq.*

21. Ritus infidelium licitè permittuntur justa subsistente causa; sicut etiam & eorum libri, qui nostræ fidei non adversantur. *ib, n. 4. & 5.*

22. Religionis libertas nulla ratione permitti, aut de ea permittenda convenire potest, nisi aliud postulet commune Catholicæ religionis bonum; & Princeps non tenetur stare promissioni & pacto de permittenda libertate religionis, dum eam sine graviori damno religionis impedire potest; aut dum conatum ad eam impediendam utilem fore sperat; quia promissio de re illicita & turpi non obligat; quamquam non desunt Doctores contrarium sentientes. *ib. §. 1.*

23. Fœdus, promissio, seu contractus validè celebratus cum hæreticis, per se loquendo servandus est; quia sicut non licet mentiri illi qui cum hæretico loquitur; ita neque licet recedere à promissione hæretico facta; consequenter servanda est hæreticis fides in salvo conductu. Item in bello quoque in causa civili contra hæreticos per se loquendo servanda est fides, quia hujusmodi promissio est de re licita. *ib. n. 2.*

ADDITIO.

Necesse esse explicitè credere fidei mysteria, quæ publicè in Ecclesia celebrantur, sentiunt multi cum D. Thom. alii excusari multos ignorantia ab explicita cognitione Trinitatis, & Incarnationis, præsertim cùm deest qui doceat.

Prohibitum laico, sub excommunicationis ferendæ pœna, disputare de fide, *c. 1, lib. 6. de Hæret.* quam prohibitionem

si sciens contra faciat, peccat mortaliter. Syl. *disp. n.* 2.

Fidem tenetur quis etiam cum periculo vitæ, coram infidelityranno confiteri, cùm id postulat Dei honor, aut proximi salus, aut alioqui scandalum sequitur. Vid. Tol. *l.* 3. *n.* 2. Syl. *Fides n.* 8.

Fidei professionem publicè facere debent assumpti ad dignitatem in Cathedrali, vel canonicatum, vel ad curam animarum & etiam religiosorum, & magistri. Conc. Trid. *sess.* 5. *c.* 12. *de refor.* & Pius V.

Quod ni faciant intra duos menses, à die captæ possessionis, non faciunt fructus suos, nec illis suffragatur possessio. Trid. Conc. *sess.* 24. *de reform.* Elapsis quoque duobus mensibus, adhuc tenentur eam facere. Nav. *cons.* 4. *de jum. Irm.*

Filiusfamilias.

Vide v. *Furtum, Restitutio.*

ADDITIO.

Filiusfamilias dicitur, qui est in potestate patris, aut avi, vel proavi, &c.

Legitimus filius dicitur, qui lege probatus, vel adoptatus.

Legitimus naturalis, qui ex legitimo matrimonio.

Naturalis, qui ex copula, nec approbata, nec reprobata jure Civili.

Spurius qui ex reprobata, ut ex consanguinea, aut adultera, aut vulgo conceptus, qui patrem non potest monstrare, vel ex religioso, aut clerico in sacris. Qui autem est ex soluta & conjugato, non dicitur spurius.

Expositus, si facta diligentia nihil reperitur, præsumitur legitimus; in dubio autem dicunt quidam, posse Episcopum dispensare, scil. quantum ad Ecclesiastica. Vid Maiol. *de irregul. l.* 1. *c.* 11. Vival. *de irregul. n.* 120. Episcopum) Covarr. *in elem. si furiosus.* 1 *p. n.* 9. Vival. *l c.*

Filium aliquem esse probat sola fama, nisi contrarium constet. Fum *vers filius. n.* 17.

Filiorum nomine non veniunt nepotes in materia odiosa; veniunt autem naturales (non autem spurii) cùm tractatur de utilitate, aut eadem ratio est, quæ de legitimis. Vid. Mol. *n.* 220 *col.* 9.

Filius

Filius potest accusare patrem de hæresi, vel proditione. Vid. Mol. *d* 176. *col.* 12 Tol. *l. c. cap.* 1. *n.* 10 vide Ales 3. *p. q.* 33. *in* 4 *art.* Navar. *cap.* 14 *n.* 12.

Filius in ætate imperfecta datur parenti fideli, in perfecta autem sequitur ipse utrum parentum maluerit.

Fiscus.

1. Ea bona pertinent ad fiscum, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo bona ipsius publicantur, modò non sint bona affixa personæ: fiscus enim secuta publicatione succedit in jura (& usustructus, quando id non vetatur) delinquentis. Unde sequitur publicatis bonis alicujus, censeri publicata omnia bona mobilia & immobilia, item actiones, jura, & res censui subjectas; imò ea quæ reo debentur ex contractu celebrato sub conditione, pertinent ad fiscum, secuta conditione, sive ipse fiscus adimpleverit conditionem, sive reus; secus dicendum de bonis futuris, aut quæ post condemnationem reo obveniunt ex ultima voluntate; ut ex legato testamento, vel fideicommisso. Item hereditas quæ relicta fuit criminoso ante patratum crimen, non devolvitur ad fiscum, si criminosus non adierat hereditatem ante publicationem bonorum, imò criminosus potest in tali casu eam in fraudem fisci repudiare, si non sit debitor fisci, aut si eam tacitè non acceptaverit; sed non potest illam cedere in favorem alterius *to.* 2 *de Contract. disp.* 3. *q.* 8. *p. ult. §* 1 *n.* 1. *& seq.*

2. Publicatis bonis patris criminosi, videtur aliquid reservandum pro alimentis & legitima filiorum, quia par non est ut filii tantum damni patiantur ob parentis delictum: excipe tamen delictum hæresis & læsæ majestatis, in quo propter criminis atrocitatem, filiis delinquentis parentis nihil reservatur, ita exigente bono communi, ut homines ab hujusmodi criminibus arceantur. *ib. n* 15.

3 Quæres, quænam bona censeantur publicata, quando publicantur bona uxoris criminosæ? Mortuo viro censentur publicata omnia bona dotalia, paraphernalia, & alia quæ ad ipsam uxorem pertinent. Dicitur *mortuo viro*: nam vivente viro, dos non confiscatur, exceptis his casibus: videlicet crimine læsæ majestatis, violentiæ, parricidii, & homicidii. *ib. n* 17.

4 Bona majoratuum, seu bona primogenitorum, quæ

alicui relicta sunt, non publicantur ob ipsius delictum, non solùm quoad dominium, sed neque quoad usumfructum, & illorum bonorum alienatio expresse prohibita est. Excipitur tamen crimen hæresis & læsæ majestatis divinæ vel humanæ; nam ob hujusmodi crimen bona primogeneorum vendicantur à fisco. *ib.n.* 20.

5. Quælibet alienatio facta à delinquente, cui ob delictum non est interdicta bonorum administratio, & cujus bona non publicantur ipso jure, valida est, modò non sit facta in fraudem fisci, aut post sententiam. Quòd si alienatio facta sit in fraudem fisci; potest fiscus eam revocare post sententiam, non solùm quoad rem ipsam, verùm etiam quoad fructus pendentes, qui censentur pars fundi, seu rei quæ confiscatur *ib.* §. 2. *n.* 1. *& seq.*

6. Delinquens qui commisit aliquod delictum, propter quod bona ipso facto publicantur, & bonorum administratio interdicitur, graviter peccat, non solùm si alienet bona post sententiam declaratoriam, cùm d icatur alienare bona aliena, verùm etiam quoties alienat ante sententiam cum periculo gravis damni alterius; ut accidit quando alienat contractu oneroso absque necessitate, non admonito accipiente de periculo. *ib.* § 3. *n.* 4.

7. Ille cujus bona sunt ipso facto addicta fisco, non tenetur ante judicis sententiam restituere bona fisco; non enim leges humanæ obligant cum tanto incommodo ad pœnam propria actione subeundam. *ib.n* 5.

8. Publicatis bonis criminosi, fiscus debet satisfacere debitis contractis ante delictum à criminoso: quod si non omnia bona publicentur, sed tantummodo in partem, fiscus tenetur satisfacere creditoribus ad ratam illius partis quæ publicatur *ib* § 4. *n.* 1.

9. Is, cujus omnia bona confiscantur, non tenetur restituere creditoribus, si fiscus non satisfaciat, etiamsi criminosus aliunde acquirat bona, & ad pinguiorem redeat fortunam; modò bona quæ confiscantur, sint sufficientia ad persolvenda debita, & modò delinquens ex privilegio Principis rursus non obtineat eadem bona, aut partem. Ratio est, quia criminosus per confiscationem liberatur ab obligatione erga debitores, & tota obligatio transmittitur ad fiscum. Dicitur, *aut partem*, quia si aliquota pars bonorum restituatur, tenetur pro rata partis redditæ creditoribus satisfacere. *ib.* *n* 3.

Femi-

Femina.

Femina non potest publicè prædicare, nisi ex Papæ licentia, *cap. nono, de pœnit. & remiss. 33. distinct. mulier.* in capitulo & claustro potest. Cajet. *vers. mulier* Sylv. *l. c.*

Nec uti habitu virili, etiam ob continentiam. vid. Concil. Congreg. *c.* 13. Interdum tamen, ob honestam delectationem potest uti Nav *c. 23. n. 23.* ex D. Thom.

Nec esse testis in testamento solemni extra terras Ecclesiæ, (ubi verò solemnitas non requiritur, ut tempore pestis, potest) nec in causa criminali nisi hæresis, aut læsæ majestatis, aut simoniarum, aut cùm aliter veritas sciri non potest, aut cùm proceditur via inquisitionis, vid Syl. *testis nu.* 1. ad pias causas admittitur, Cov. *c. relatum* 1. *nu.* 5. *de testam.* & in criminalibus jure civili, in contractibus, & aliis actibus. Cov. *l. c.*

Nec pro debito incarcerari, nec cogi accusare, aut testificari, nisi in certis casibus, ut in causa criminali, vid. Syl. *femina, n.* 3. Covar. *l. c.* 1. *var. resol. n.* 3.

Fornicatio simplex.

1. Fornicatio simplex est concubitus soluti (id est liberi à conjugio à voto, ab ordine sacro, à religione, à cognatione) cum soluta, estque peccatum mortale, & consequenter nunquam licita, *tom.* 1. *de iis, quæ pertinent ad usum matrim. quæst.* 4. *punct* 14 *num* 2. & 3.

2. Licitum est Principibus permittere meretrices in aliquo loco civitatis, ut vitentur majora mala: excusanturque à mortali locantes domos meretricibus ad habitandum, non tamen ad meretricandum; vitandum tamen est proximi scandalum & damnum. Similiter excusantur famuli comitantes herum euntem ad meretricem, aut comitantes concubinam, aut deferentes literas, si ab hujusmodi comitatu desistere nequeant absque gravi damno. Idem dicendum de auriga indifferenter meretricem deferente, quamvis sciat ipsam malè suo corpore usuram. *ibid. num.* 4. & *seq.*

3. Concubinatus est frequens & consueta fornicatio cum eadem persona. Concubinæ quæ leguntur in sacris litteris, fuerunt veræ uxores, ideò concubinæ dictæ, quod sine publica solemnitate & ritu consueto ducebantur, permissum-

que fuit Hebræis duas uxores simul ducere, unam solemni alteram absque solemni ritu. *ibid. num. 8. & seq.*

4. Qui domi retinet concubinam, seu ancillam, cum qua peccare solet, non est absolvendus nisi eam dimittat: exit enim in occasione proxima peccandi. Excipe tamen eum qui raro cum ea peccat, & sperat forè ut non amplius relabatur, & etiam filiumfamilias, qui de domo patris non expellit concubinam, vel aliam, modo habeat firmum propositum non peccandi amplius in futurum. Adde præterea non cogi Confessarium ad denegandam absolutionem adolescenti qui sæpius in mollitiem incidit ex carnis fragilitate, si quantum in se est, non remanet in occasione proxima peccandi *ibid. n. 11. & seq.*

7. Artifex qui fraudibus utitur in arte sua, quam rationabili de causa non potest deserere: & fornicator qui modò cum una, modò cum alia congreditur, potest absolvi, si eliciat dolorem de peccatis præteritis, & promittat cum Dei auxilio emendationem in futurum. *ibid. n. 15. & 16.*

6. Concubinarii sæculares possunt ab ordinariis locorum puniri & excommunicari post trinam admonitionem, ita Trident *sess. 24. cap. 8.* & mulieres concubinariæ eiici extra oppidum, vel diœcesim; presbyteri verò notorii concubinarii suspendendi sunt ab Episcopis. *ibid. n. 18 & 19.*

ADDITIO.

Solutus dicitur, qui est liber à conjugio, voto, ordine sacro, religione, id est, qui in nullo est statu: Fitque fornicatio, vel cum vaga, & incerta, vel cum certa, & domi retenta, & dicitur concubinatus. Et nota fornicationem utramque esse mortale peccatum, quia pugnat cum humana, divina & naturali lege, imò hæreticus habendus esset, si quis fornicationem simplicem diceret non esse peccatum. Et habetur *in clem. ad nostram, tit. de hæret.* Et D. Paulus, Omnis fornicator. Et quidem concubinatus gravissimum est peccatum mortale, quia concubinarii versantur in statu perpetuo peccati mortalis. Nota 3. aliquando contingere in vago concubitu, ut non peccetur, idque duobus casibus, 1. in femina quæ violenter opprimitur, illa enim non peccat, ne venialiter quidem, si non consentiat. 2. in ebrio, qui non prævidit periculum fornicationis. Hinc Loth periclitatur. Hæc Bussæus.

Forni-

Fornicans post divortii sententiam non tenetur admittere alterum conjugem à se dimissum, donec per Ecclesiam compellatur. Filliuc. *tract.* 10. *de sacr. matrim. c.* 10. *de divort.*

Quæres: An possit dari ignorantia invincibilis de fornicatione Resp. posse dari, saltem apud certas gentes destitutas Doctoribus, & scientia rerum moralium Non enim apud Christianos, probabile est, posse dari talem ignorantiam, ut sentit Azor. *tom.* 1. *lib.* 1, *cap.* 13. *q.* 1. *& tom.* 3. *lib.* 3. *c.* 4. *q.* 1. & tenent Aug. Sylv. Navar. ab eo citati. Filliuc. *tract.* 30. *in* 6. *prac. Dec. c.* 3. *pag.* 389.

Furtum.

Vide v. *Restitutio, Sacrilegium.*

1. Furtum est occulta ablatio rei alienæ, domino rationabiliter invito; rapina verò est propriè ablatio rei alienæ per violentiam. Tam furtum quàm rapina sunt peccata mortalia ex suo genere: fieri tamen potest furtum veniale ratione indeliberationis, parvitatis materiæ, & quando dominus non est invitus quoad substantiam rei acceptæ, sed solum quoad modum, ut accidit quando dominus, v. g, pater ægrè ferrem quæ aufertur à filio, non peti vel accipi ad ludum. Illa autem quantitas est sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ omnibus consideratis infert domino grave damnum, vel notabili privat utilitate, habita ratione personarum, in ordine ad quas metienda est gravitas & levitas furti; nam respectu personarum illustrium nummus aureus ut minimum est materia notabilis & sufficiens ad peccatum mortale; respectu communium divitum, quatuor regales circiter sunt materia notabilis sufficiens ad peccatum mortale; respectu sustentantium se suo artificio & opera duo regales circiter sunt materia sufficiens ad peccatum mortale furti; respectu denique mendicantium unus regalis vel dimidius est materia sufficiens ad peccatum mortale: nam unus regalis potest illis inservire pro victu unius aut duorum dierum. *tom* 2. *de restitutione in particulari, disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 1 *n.* 1. *& seq* Circa prædicta

1. Adverte non eamdem quantitatem sufficere, sed majorem requiri, quando à pluribus aliquid aufertur quàm quando

quando ab eodem, vel quando paulatim ab eodem subtrahitur, quàm quando simul, vel quando longo tempore, quàm quando eodem vel breviori tempore; & parvitatem materiæ variari pro varietate conditionis, & eamdem rem uno tempore non sufficere ad mortale, alio verò tempore aut alio loco sufficere, quia una & eadem res magis æstimatur uno modo quàm alio. *ibid. nu 9 & 10.*

3. Qui furatur minima animo furandi successivè majora, peccat mortaliter, ejusdem enim malitiæ est velle surripere, cujus est surripere, imò qui sæpiùs minima furatur etiam absque animo surripiendi majora, peccat adhuc mortaliter, quando pervenit ad tantam quantitatem quæ continuata moraliter cum præcedente est notabilis. *ib. punct. 2. n. 1. & seq.*

4. Estne peccatum mortale quando plures scienter auferunt ab eodem rem levem respectu singulorum, quæ simul sumpta est notabilis; si collectivè sumatur respectu omnium? Est peccatum mortale obligans ad restitutionem *ibid. nu. 6.*

5. Non licet in gravi necessitate aliquid surripere, quia in hujusmodi necessitate res est aliena, cùm sola necessitas extrema faciat rem communem; unde laborans gravi necessitate, peccat mortaliter aliquid surripiendo in notabili quantitate, & tenetur ad restitutionem. *ibid. punct. 3. num. 5. & 6.*

Restitutio ob defraudata vectigalia: ob furtum filiifamilias, uxoris, &c.

6. Fraudantes vectigalia justa, id est, legitima auctoritate & causa cum debita proportione, pro mercibus imposita, peccant contra justitiam, etiam exteri, & tenentur ad restitutionem; secus dicendum de fraudantibus vectigalia pro usualibus imposita. Imò quando vectigal justè imponitur, subditus tenetur sponte aperire & manifestare quæ advehit. Et si dubitatur negativè de justitia illius, adhuc præsumendum est in favorem Superioris, seu Principis. *ibid. q. 9. punct. 1. n. 3. & seq.*

7. Cessante causa ob quam fuerunt imposita vectigalia, cessat obligatio ea solvendi, si nihil amplius aliunde urgeat. *ibid. num 8.*

8. Creditor Principis qui ab eo solutionem obtinere non potest potest fraudare vectigalia in compensationem. Hæc doctrina.

doctrina valet etiam in censibus, decimis, & aliis juribus elocatis alteri. *ibid. num.* 12.

9. Non solum clerici majoribus ordinibus insigniti, verùm etiam initiati minoribus, aut prima tonsura, (saltem si incedant cum habitu & tonsura clericali, & inserviant divinis, aut habeant beneficium Ecclesiasticum) immunes sunt ab obligatione vectigalium, tributorum, & aliorum onerum, modò tamen non negotientur, & non assumpserint habitum clericalem in fraudem vectigalium: neque cogi possunt clerici ad hospitandos milites, vel ad solvendum vectigal illius rei quam propria industria effecerunt meliorem. *ibid. punct.* 2. *n.* 1 2. 5. *& 6.*

10. Adverte bona patrimonialia, ad quorum titulum clericus promotus est ad ordines, gaudere quoque immunitate; consequenter ex ipsis exigi non posse tributa, seclusis particularibus privilegiis à Sede Apostolica indultis. *ibidem num.* 12.

11. Filius qui notabilem summam accepit ex bonis, quorum pater habet dominium, vel usumfructum, tenetur restitutionem facere ex re ablata, si extat: si verò non extat, tenetur ex aliis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus si habet; si non habet, tenebitur in partitione hereditatis cum fratribus computare quod surripuit, in suam partem, nisi fortè constet alios fratres tantumdem expendisse, vel partem condonasse, aut verosimiliter credatur patrem condonaturum: tunc enim pater non videtur invitus circa substantiam acceptionis, sed solùm circa modum, cùm displiceat illi modus accipiendi occultè. *Ibid. quæst.* 10 *punct.* 1 *n.* 4.

12. Similiter uxor accipiens notabilem quantitatem ex bonis mariti, vel ex bonis quorum maritus habet administrationem & usumfructum, peccat mortaliter peccato furti, & tenetur ad restitutionem, si hoc faciat absque expresso, vel præsumpto mariti consensu, aut conditione. Potest tamen uxor invito marito capere, aut donare bona paraphernalia, illaque pro suo libito detrahere; cùm sint ipsius propria quoad dominium. Potest etiam ludere & pecuniam accipere ad ludendum, dandum pauperibus intra limites, & decentiam sui status; neque peccat accipiendo aliquid, quod maritus rogatus facilè concederet. *ibid. punct.* 2. *num.* 2. *& seq.*

13. Item potest uxor accipere etiam invito marito pro necessa-

necessariis sibi & familiæ, ut pro veste, victu, medicamentis, & ut subveniat patri, matri, vel filiis suis ex priori matrimonio susceptis, si sint in egestate, & aliunde non habeat unde illis subvenire queat. *ibid. n.* 9 & 10.

14 Religiosus peccat mortaliter peccato furti, si post votum paupertatis factum in approbata religione usurpet sibi in notabili quantitate, seu ea quæ sufficit ad peccatum mortale furti contra septimum præceptum, res non necessarias, nisi fortè Superior sit irrationabiliter invitus, & necessaria non suppediret: nam tunc religiosus habet jus sibi succurrendi ita dictante jure naturæ. *ibid. punct.* 3 *n.* 2 & 3.

15. Servus quoque peccat mortaliter peccato furti, auferendo aliquid in notabili quantitate à suo domino, & si ex contractu servire debeat usque ad certum tempus, peccat adhuc mortaliter contra justitiam fugiendo absque causa rationabili; causa autem rationabilis est, quando dominus est nimis austerus, vel non docet ea quæ docere debet, & non observat pacta; quia frangenti fidem, fides frangenda est ei. *ibid. punct. ult. n.* 1. & 2.

ADDITIO.

Si accepisti, quod dubitas, an tuum esset, debere te restituere, quidam ajunt, quidam negant, quod in dubio, melior conditio possidentis, quæ opinio locum non habet, quando res jam erat in alterius possessione. Navar. *l. c. n.* 117.

Qui damnum nullum dedit, rem alienam accipiens, quia ea dominus non utebatur, non tenetur restituere, si nullus est domino usui futura.

Ex monte alieno ligna tollens, aut necessitate urgente, aut parum damni dando, non tenetur restituere. Tol. *l.* 5. *cap.* 20. *n.* 2. ex Sot. Lege Molin. *d.* 58.

Qui per vim rapuit, tenetur etiam pro injuria satisfacere, Nav. *l. c. n* 95. D. Thom.

Si oblatam rem à fure domino, is noluit accipere, ei perit, si sine furis culpa petit. Syl. *furtum* 10

Acceptum à fure contractu oneroso, sufficit ei restituere, aut cui ille voluerit, etsi quidam velint, debere domino proprio restitui. Sufficit ei (Sylv. *Restit.* 3. *q.* 5 Halensis. 4. *p. q.* 86. *n.* 3, Victor. citat. à Salon. *l. c. art.* 5. *contr.* 1. putante, sententiam hanc probabiliorem Tolet. *l. c. c.* 18. *in fin.* Etsi quidam, Covar.

var. *reg. peccatum.* 3. *p. n.* 3. Joan. Medin. *C. de restit. q.* 10. citati à Solon. distinguant. *l. c.*.

Quæres: Num liceat furem occidere in defensione propriarum rerum. Resp. 1. Ecclesiasticis non licere, quia est contra can. 2 etiam non licere laico, quando potest aliter furtum recuperari, aut fur vivus comprehendi: licet autem, quando aliter tueri bona non potest, maximè si sint alicujus momenti. Nota, laico licere illum terrere. & repellere à furto, extracto gladio, si autem tum se defendat, licet occidere, tamquam vitæ defensorem,

Quæres: An qui emerit rem furtivam, postquam resciverit, rem esse furto ablatam, possit restituere venditori, ut recuperet pretium suum, Sot. & Med. dicunt, quòd debeat restituere domino, sed probabilius Sylv. Nav. Gab. Aug. dicunt, posse restitui venditori, Rat. quia quisque sibi potiùs, quàm alteri debet consulere. Si objicias, eum cooperari furi, in re aliena, maximè si sciat, eum non redditurum. Resp. Illius culpa id non accidere, sed furis, & satis est, si pretio recepto, furem de restituendo admoneat. Resp. eum qui rem alienam bona fide consumpsit, vel bona fide alteri vendidit, nihil debere restituere, nisi fortè, in quo factus est ditior. Resp. 3. Eum, qui mala fide habet rem alienam, ut qui accipit illam scienter à fure, debere restituere, etsi eam consumpserit, nec ditior inde factus. Rat. Quia ille verè est particeps furti. ergò. Busæus.

Restitutio propter homicidium.

Vide v. *Homicidium.*

G.

Gabella.

GAbellam potest imponere, qui superiorem non habet in temporalibus, & cui ipse id concesserit, vel consuetudo præscripta. Syl. *gabella.* 3. *à n.* 1. Val. *t* 3. *d.* 5. *q.* 6 *p.* 5. *col. pen.* Lopez *p.* 2. *c.* 36. Tol. *l.* 3. *c.* 73.

Potest Episcopus in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis, cum Capituli consensu, ex causa tributum, seu pensionem imponere.

Potest,

Potest, urgente necessitate, dominus temporalis, re communitas imponere talliam seu tributum, non enim prohibitum, sed gabella ordinaria populum gravans. Vid Sylv. *l.c.n.4.* Fum. *eo.n.11.*

Novæ gabellæ non obligant secundùm quosdam, nisi constet legitimè impositas. Cajetan. 5 *vectigalia iniqua.* Alii in dubio volunt gabellas censeri justas: præsumendum enim pro Principe. Fu *l.c.nu.11*, Arrag. *q.62.art.3 pag.161.* Gab. *d.15.q.5.* Joan.med. *q.15.*

Deprehensa res ante locum, quem exirè non licet, non est confiscanda, poterant enim, qui ferebant, pœnitere, & revocare.

Gratia.

Gratia exemptionis ob numerum certum filiorum, durat etiam mortuo aliquo illorum.

Gratia non expirat morte concedentis, nec ante certificationem de revocatione. Suarez. *t.3.d.36. sect.2. prop. fin.* Nav. *cons.2. de offic. deleg.* Vid. *c. si cui nulla de prab. l.6* Navarr. *c. si cui t. de pœnit. d.6.n.34. & 162.* Certificationem) Fum *ver. Gratia n.6.* Sanchez. *tom.1. de matrim. l.3 d.30 n.11.* Azor *l.c.3 q.6.* Vid Sayr *l.7 c.14. n.7 de cens.*

Gratia eligendi confessorem, aut absolvendi à casibus, vel dispensandi, non expirat mortuo concedente. Nav. *l.c. n.34.* neque suscipiendorum ordinum à quolibet Episcopo. Card. *in clem. fi. de elect q.6*, & Navar. *ibid & n.163.*

Gratia Principis intelligitur sine præjudicio tertii, alio saltem, quàm excepto, *cap super. eo. de off. deleg.* Navar. *cons.1. de judic. num.3.*

H.

Heres.

Vide v. *Testamentum*, *Substitutio.*

1 HEres postquam hereditatem adivit, tenetur ad persolvenda testatoris debita realia, & legata ab ipso relicta. Heredi deliberanti an velit hereditatem adire conceduntur tres menses à die qua novit se institutum heredem; intra

intra quod tempus si hereditatem non adierit, ad nihil tenetur, etiamsi inventarium non confecerit: quòd si inventarium confecerit, in foro conscientiæ non tenetur ultra vires hæreditatis; *tom.2.de Contractibus, disp.3.q.17. punct.7. n.1.& seq.*

2. Quando dubitatur quid testator mandaverit & voluerit, faciendum est quod verosimiliter creditur testatorem voluisse: cùm in obscuris præsumatur id quod verisimilius est. *ibid.n.6.*

3. Legatum pium in dubio explicandum est secundùm minus, seu strictè, ùt si legatus sit calix, heres non tenetur solvere calicem aureum, sed satisfacit tradendo argenteum; nisi aliud ex circumstantiis colligatur de mente testatoris. *ibid.num.7.*

4 Legatum relictum pauperibus, tradendum est pauperibus illius loci, in quo testator habebat domicilium, modò testator non reliquerit heredi facultatem eligendi pauperes; & consequenter relictum monasterio intelligitur relictum monasterio patriæ testatoris. Item legatum relictum Canonicis, non censetur relictum Ecclesiæ, sed toti Collegio, seu Capitulo; aliud est enim Ecclesia, aliud Capitulum Canonicorum. *ibid.punct.8.§ 4.n 2.& 4.*

5. Quando testator legavit Titio Triticum, quod habet domi, vel in horreo, & postea testator consumpsit illud triticum; heres nihil tenetur solvere: nam legatum cessat, extincta re legata, conscio testatore, qui nihil substituit, vel subrogavit in locum prioris rei legatæ. *ibid.§ 8.n.1.*

6. Legato principali censentur etiam, per se loquendo, legata accessoria, quia principale trahit ad se accessorium; & consequenter legato viridario, censentur etiam legatæ arbores in eo contentæ: & legatis omnibus bonis, intelliguntur quoque legata jura & actiones. Sed eritne solvendum legatum relictum cum accessoriis, quando res illa non habet accessoria, ut si legato relictus sit equus cum suis ornamentis; sed equus non habeat ornamenta? Erit solvendum, si hujusmodi ornamenta non ponantur taxativè & limitativè, sed accessoriè & augmentativè. *ibid. § 3.n.2.& 3.*

9. Heres mortuo patre vel destructo loco, cui res aliqua legato fuerat relicta, tenetur adhuc alteri solvere legatum, si legatum erat pium; ut si rem aliquam reliquit tam quam pium opus, sed talem pauperem elegit, eò quòd esset sibi

sibi notus, vel alia de causa: secus si tantummodò relic... in bonum ipsius pauperis; nam extincto legatario, cessat l... gatum. *ibid.* § 8 *num* 3.

8 Petes, an legatum relictum alicui feminæ maritandæ possit tradi feminæ quæ tempore testamenti, vel post conditum testamentum, dum adhuc viveret testator, collocata fuit in matrimonium? Non potest, si legatum factum sit personis incertis & indeterminatis. Sed legatum relictum feminis in matrimonium collocandis, potestne tradi viduis advolantibus ad secundas nuptias? Non potest, quia nomine feminæ in matrimonium collocandæ, intelligitur in hac materia ea quæ nulli nupsit. *ibid.* §. 4. *n.* 7 & 8.

9, Vidua cui relictum est legatum sub hac conditione, *donec castè, & honestè vixerit*, non amittit legatum transeundo ad secundas nuptias: quia secundæ nuptiæ castæ sunt & honestæ. secus dicendum si frequenter fornicetur. Item legatum relictum feminæ, *quamdiu vidualem vitam servaverit*, debetur, ea religionem ingrediente; cùm verè & propriè dicatur vitam vidualem servare, & testatoris mentem adimplere. *ibid. num. n.* 10. & 13.

10, Quando legatum relictum est uxori, *donec castè vixerit*, & ipsa primo anno castè vixit, secundo verò anno nupsit, sed deinde tertio anno se ad meliorem frugem recipit, probabilius est legatum non esse ei solvendum; quia testator præsumitur voluisse obligare uxorem ad servandum thorum prioris viri inviolatum. *ibid. n.* 12.

11, Quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis à defuncto relictis, hæredes necessarii, quibus hæreditas debetur ab intestato, possunt aliquid sibi retinere, nimirum suam legitimam, cùm ea privari nequeant. *ibid.* §. 7 *num.* 1.

12. Petes, quis possit derogare testamentis & legatis? Respondetur Principem supremum posse derogare testamento & legato facto ad causam profanam, & convertendo illud ad aliam causam profanam, vel piam, justa intervenient... causa vel publica necessitate: & hinc colligo posse quoque Summum Pontificem testamentum vel legatum ad usum pium convertere in alium usum pium. Imo si legatum nequeat commodè adimpleri, potest auctoritate Episcopi in alium commutari, cùm adsit justa causa commutationis; & hæredes tuti sunt in conscientia, quoties legatum ex justa causa

causa fuit auctoritatè Episcopi in aliquod æquale, aut melius commutatum *ibid.* §. 9. *num.* 2. *& seq.*

ADDITIO.

Deficientibus descendentibus, & ascendentibus potest quis hæredem instituere, quem velit: & deficientibus filiis legitimis, potest instituere naturalem, relicta tamen legitima ascendentibus Sylv. *hereditas.* 1. *n.* 2.

Legitima successione deficiente succedit conjux. (& interdum dominus loci, ex præscripta consuetudine,) deficiente verò etiam conjuge, fiscus. Vide Sylv *l.c. num.* 5. *in fin. & n.* 12.

Filius naturalis succedit matri, ut legitimus, non autem spurius, propriè, etsi quidam id concedant, quando matri non sunt legitimi filii, certè à matre sibi relicta potest tenere, donec per judicem privetur. Imò potest ipsum mater instituere secundùm quosdam, & si vulgo habetur legitimus, vocare in testamento legitimum, scil. secundum vulgi opinion. At spurius, i. e. vulgo conceptus, seu patre incerto natus, matri succedit, nisi hæc sit illustris. Sunt & qui dicunt, filium solutæ ex conjugato, vel presbytero succedere matri, ut naturalem. *Filius* (Mol. *d.* 266 *conc.* 7. *At spurius,*) si natus sit ex coitu damnato, & humana lege puniendo, non succedit matri. Mol. *l.c. concl* 4.

Spurii fratres, si sint uterini, succedunt sibi invicem ab intestato, alioquin spuriis, id est, damnato per jus civile coitu natis, non succedunt parentes, nec fratres, nec contra *Fers.* Mol. *d.* 167 ubi de successione spuriorum *conc.* 11. *alioquin*) *ibid. concl* 11.

Monasterium succedit religioso, professo, ab intestato, relicta tamen legitima filiis, & horum defectu ascendentibus, & dote filiabus. Vide Fum. *hereditas*, 8. Syl. *nu.* 10. Ang. 17 *eod.*

Intestato Clerico non habenti cognatos, succedere debet Ecclesia, cui serviebat; sed fortè jam succedebat Camera Apostolica. Vid Fum. *l.c.* 4 Syl. *clericus* 4. *n.* 13.

Pactum renuntiantis hereditati alioqui debitæ, non valet, nisi firmetur juramento, (sed si est enormis læsio, poterit petere absolutionem à juramento) aut si pro eo datum æquivalens, aut si in fratris gratiam renuntiavit, sed tunc accipienda legitima. Quod si de patris consensu sit factum, potest pater consensum revocare.

Si quis exheredetur, potest petere hæreditatem, donec causa probetur. Causa enim exheredationis, quæ in testamento necessariò exprimenda est, probari debet, si filius instet. Vid. Covar. *c. Raynutius de testam. n. 5* De causis exheredationis vid. Molin *d. 176.*

Si cui descendenti relinquitur hereditas, aut fit legatum, aut donatio cum pacto, ut post mortem det alteri totum vel partem, intelligitur, si non habeat liberos: hi enim succedunt, etiam feminæ. Vid. Mol. *d. 190. init.*

Non potest institui hæres, damnatus ad mortem, aut perpetuò ad exilium, vel triremes Fum. *l. c. 36.*

Novem dies conceduntur heredibus post humatum cadaver, ne à creditoribus molestia affici possint, post hos dies conficitur inventarium, constituuntur tutores Mol. *l. c.*

Hæresis.

Vide v *Censura. Denuntiatio, Excommunicatio, Irregularitas.*

1. Hæresis est voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem. *tom. 1. de Excommunicatione, d. sp. 2 q. 5. punct. 1. n. 1.* Hinc infer

2. Catechumenum negantem aliquem fidei articulum, aut eum qui positivè dubitat in rebus fidei, esse hæreticum. Item eum qui non credit aliquem articulum sibi specialiter revelatum; quia negat veritatem fidei cum pertinacia: aut negat propositionem quæ deducitur evidenter ex una propositione de fide & altera naturali: secus dicendum de eo qui ex ignorantia crassa errat circa fidem, sed est paratus corrigi cognita veritate: esset tamen hæreticus, si is qui erret ex ignorantia crassa, adhuc erraret, si sciret errorem illum esse contra fidem. *ibid. num. 2 & seq.*

3. Apostata à fide subjacet pœnis hæreticorum, est enim verus hæreticus deserendo veram fidem. *ibid. num. 8.*

4. Summus Pontifex non potest in controversiis fidei & morum errare, aut in hæresim labi, quia est successor D. Petri, cui collata fuit infallibilitas rerum fidei, & nullus Romanorum Pontificum fuit hæreticus. *ibid. n. 9.*

5. Præter alias multas pœnas quibus afficiuntur hæretici, ut amissione bonorum, &c. hæreticus qui suam mentem

exterius

exteriùs sufficienter manifestat verbis aut signis, incurrit excommunicationem latam ab Ecclesia, & Papæ reservatam, quamvis suam mentem occultè manifestet. Dictum est *exteriùs*, &c. quia hæreticus purè mentalis potest à quolibet Confessario approbato absolvi, cùm is non incurrat excommunicationem. Dicendum igitur eum non incurrere excommunicationem, qui mente revolvens suam hæresim, non aperit caput imaginibus, vel augustiss. Eucharistiæ sacramento, aut non genuflectit eò quòd non credat adesse corpus Christi, aut imagines non esse adorandas. Idem dicendum si proferat verba imperfecta, ut si dicat, *ita est*, vel *peream nisi ita sit*; aut edat signa indifferentia, & non manifestativa hæreseos. *ibid. punct. 2 n. 1 & seq.*

6. Excommunicatio ergo contra hæreticos lata, incurritur ob hæresim manifestatam per aliquod signum externum, cui communicetur malitia hæresis ab actu interno, ut excludantur qui causa consilii capiendi, aut disputandi hæresim exterius pronuntiant. *ibid. n 7.*

7. Hæretici qui suam hæresim sufficienter exteriùs protulerunt, vitandi non sunt, nisi sint nominatim denuntiati excommunicati: non potest tamen hujusmodi adhiberi ad suscipiendum filium de sacro fonte, quia ad patrinum pertinet filium susceptum instruere in rebus fidei, quod non præstabit hæreticus. *ibid. n 9 & 10.*

8. Pœna excommunicationis Papæ reservatæ, quæ lata est contra hæreticos, extenditur ad credentes, receptatores, fautores & defensores hæreticorum formaliter secuto effectu. *Formaliter*, ut excludantur ii, qui beneficium faciunt hæretico ratione amicitiæ: vel consanguinitatis, vel metus, & non ex motivo hæresis. Dicitur *secuto effectu*, quia sola intentio favendi hæresi, favore non secuto non sufficit ad hanc excommunicationem incurrendam. *ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

9. Qui legit, an retinet libros hæreticorum, vel etiam libros alterius cujusvis auctoris, damnatos, atque prohibitos ob suspicionem hæresis, aut falsi dogmatis, incurrit excommunicationem, quæ nulli reservata est, sed jure communi potest à quolibet Confessario per absolutionem auferri: si tamen contineant hæresim, incurritur etiam excommunicatio Papæ reservata, legendo aut retinendo ejusmodi libros. Idem dic de legente librum hæresiarchæ, aut libros

& scripta continentia divinationes & sortilegia: non autem de legente libros vetitos ob excitationem ad turpem libidinem veneream: aut additiones hæreticorũ, aut scholia contenta in libris Catholicorum. *ibid. punct. 4. n. 2. & seq.*

10. Qui scienter & non ex ignorantia crassa, & absque Pontificis licentia publicè vel occultè legit per seipsum, aut retinet etiam unum folium ad involvenda aromata, aut imprimit, aut alio quovis modo defendit libros hæreticorum, tractantes de religione, aut hæresim continentes, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, quamvis legat, vel retineat ad eos confutandos; vel imprimat curiositatis gratia, & absque pravo animo. *ibid n. 7. & seq.*

11. Per *imprimit*, intellige eum de cujus mandato imprimitur, auctorem libri, vel alium tradentem librum ad imprimendum; illos omnes qui concurrunt ad componendos simul characteres, & qui chartam humectant, vel typis excudunt, *ibid. n. 17.*

Adverte ad incurrendam dictam excommunicationem, non esse necessarium, ut quis legat eam partem in qua est hæresis expressa, sed sufficit, si legat aliquam partem libri in quo hæresis contineatur: nam adhuc dicitur legere librum hæretici. *ibid. num. 20.*

ADDITIO.

Non est hæreticus, qui ex infirmitate animi de fide dubitat, non pertinaciter, quin etiam secundùm Can. *lib. 12. de loc. c. 9. ad 1.* dum dubitat, non est censendus hæreticus. In dubio enim non est pertinacia, quæ ad hæresin requiritur tamen in contrarium est communis sententia, quæ tenenda est; nec qui per ignorantiam errat contra fidem; si tamen Ecclesiæ Romanæ subjiciens, paratus id credere, quod illam credere intellexit. Vid *c. damnamus. de summ. Trin.* De hac re videatur Azor. *l. 8 c. 9* Navarr. *c. 11. nu. 22.* Tol. *l. 4. c. 3. nu. 8.* Sylv. *hæresis. 1. n. 6* Cajet. *verb. excommunicatio. c. 1.*

Hæretici absolutio valida est, etsi fictè convertatur.

Hæreticus non privatur bonis, aut potestate, nisi per sententiam judicis. Nec post eam tenetur dare bona fisco; nisi id exprimatur in sententia. Vid Molin. *d. 95.* Covarr. *epit. p. 2. c. 6. § 8. Nisi.* Ita Bannes. *2, 2. quæst. 12. art 10. col. 8.* Ioan. And. Archid. D. Thom. *2, 2. quæst. 62. art. 3.* Cajet. contra Pan.

Fel.

Fel. Castro *Nec post*) Covarr. *l. c. Nec beneficii possessionem.* Azor. *lib. 8 c. 13. q 8.*

Adjutans hæresin est inhabilis ad officia, & beneficia; secus si abjuret non hæresin, sed solùm de levi, aut vehementi. Maiol. *l. c. n. 3* Sylv. *irregularitas 7.* si resipuerit, poterit susceptos ordines exercere, cum dispensatione, non tamen altiores petere. Maiol. *l. c.* Sylv. *l. c.* nihil dicens de dispensatione

Ex sortilegio, aut divinatione non probatur quis hæreticus, sed præsumitur.

Qui per diploma potest absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, potest etiam ab hæresi exteriori. Sot. *teste. l. c. col* 10 Sed contrarium declararunt Pius V. & Gregor. XIII. Azor. *lib. 8. c. 10. q. 12.* ubi multa de hac re.

Quæres: Quid de libris hæreticorum sentiendum. Respond. Circa libros hæreticorum posse quadrupliciter peccari. 1. legendo. 2. tenendo; sub quo modo continentur alii, ut emendo, vendendo, donando, nihil enim vendi, vel donari potest, nisi teneatur. 3. imprimendo, 4. defendendo. Respond. 2. Nullam in jure communi reperiri excommunicationem contra lectores, vel usurpatores librorum hæreticorum. Ad incurrendam Bullæ excommunicationem Pontifici reservatam, requiri tres conditiones, 1. ex parte legentis, scilicet ut legat scienter, hoc est sciens librum esse hæreticum. 2. ex parte auctoris libri, ut ille sit hæreticus. 3. ex parte materiæ, ut vel contineat hæresin, vel tractet de religione. Ex his tribus conditionibus, si aliqua desit, non incurrit excommunicationem.

Resp. Ad incurrendam excommunicationem Indicis Trident. quæ nulli est reservata, tres requiri conditiones, 1. ex parte legentis ut scienter legat, 2. ex parte auctoris, ut sit hæreticus, vel etiam Catholicus, qui falsi dogmatis suspicionem habet, 3. ex parte materiæ, ut scilicet ex professo de religione tractet, & hæreses, vel falsa dogmata contineat, etsi has conditiones, semper requiri, non sit necesse.

Nam libri hæresiarcharum, & eorum, qui sunt duces hæreticorum, etiamsi de religione non agant, sub pœna excommunicationis ab Indice prohibentur, & simul etiam omnes libri, qui de religione agentes falsa dogmata continent, etiamsi auctores habent Catholicos.

Quæres: An legentes libros hæreticorum de religione agentes semper incurrant excommunicationem. Respond.

semper incurrere, si desit facultas legendi, exceptis duobus casibus. Primus est, cùm ignorat probabiliter sive auctorem, sive librum esse prohibitum, sive hæreses in eo contineri. Alter est ratione parvitatis materiæ, quando quis scienter, prudens, vel levitate, vel curiositate legeret exiguum quid in ejusmodi libris. Quantum vero liceat legere extra peccatum mortale, vel excommunicationem de ea re non potest dari certa regula. Certum etiam est, dari quantitatem posse adeò magnam, quæ excusari non possit à peccato mortali vel excommunicatione, ut si quis integras legat paginas, quamvis probabile sit, etiam non peccare mortaliter, quando excederet 12 vel 14. lineas. Excedenti autem hunc numerum, consulendum esset, ut peteret absolutionem vel à Papa, si esset excommunicatio Bullæ, vel alio superiore, si esset excommunicatio Indicis.

Quæres: Liceatne citra excommunicationem legere libros hæreticorum, qui auctoris opera produnt, in quibus nihil, vel parum de suo apponunt, ut sunt lexica, concordantia, indices, scholia, marginalia, seu aliorum dicta colligunt, idque autem repurgentur juxta 5. Indicis regulam. Resp. Tales libros nec esse, nec propriè vocari posse libros hæreticorum. Busæus.

Quæres: Quis possit absolvere ab hac excommunicatione, & quis possit dare facultatem legendi libros hæreticos. Respond. Absolutionem excommunicationis Indicis non esse reservatam, ac proinde omnes ab ea resolvere posse prælatos, qui possunt excommunicare, & habent exteriorem jurisdictionem. Facultatem autem legendi libros hæreticos, de religione ex professo tractantes, & continentes hæreses, solus Pontifex Romanus concedere potest; eam enim expresse sibi in Bulla reservat. Facultatem autem legendi libros ceteros, qui ex professo non tractant de religione, concedere potest Episcopus, & inquisitor Generalis hæreticæ pravitatis. Busæus.

Quæres: Quid de tenentibus libros hæreticos? Tenere librum hæreticum dicitur, sive apud se in domo, vel arca illum habeat, sive apud alium, cui dedit legendum, vel custodiendum. Respond. Tenentes libros hæreticorum de religione tractantes, vel hæresim continentes, incidere in Bullam Cœnæ Domini; tenentes autem libros hæresiarcharum, de religione non tractantes, vel Catholicorum

hæreses,

hæreses, vel falsa disputata continentes, incurrere excommunicationem Indicis. Respond. 2. de tenentibus libros hæreticos, eadem ferè deberi annotari, & distingui, quæ dicta sunt de legentibus, tum ex parte materiæ. Et sicuti in lectione parvitas materiæ excusat, ita tenentes excusat parvitas temporis; quia scilicet exiguo tempore hujusmodi libros tenuerunt, vel ad aliquot tantum horas, vel per pauciſſimas dies. Legenda prima regula Indicis, qua septem vel octo narrantur circa hanc materiam observanda. Busæus.

Quæres: Quid de imprimentibus libros hæreticos sentiendum. Nomine imprimentium intelliguntur, qui prælo non tantùm litteras exprimunt, sed qui proximè cooperantur impressioni; ut est typographus ipse, compositores typorum, impressores, correctores. Hi enim omnes simul totam impressionem perficiunt. Respond ergo, jam olim in Concilio Lateran. sub Leone X *sess.* 1. excommunicatos fuisse omnes imprimentes, vel imprimi facientes quoscumque libros sine prævio examine, & approbatione. Quam excommunicationem Cajet. *in sum. verb. excommunicatio.* quoniam tempore illius vixit, vocat novum, & dubitat, num usu fuerit recepta. Et rectè dubitat, quia illius tempore non curabatur usque ad Concil. Trident. & Indicem librorum prohibitorum editum, passim enim sine ullo delectu, & approbatione pro cujusque voluntate libri imprimebantur. Respond 2. Nihilominus nunc illam excommunicationem Concil. Later. ex parte reformatam esse à Concil. Trident. *sess.* 4. & approbatam *reg.* 10. *Indic* & proinde obligatoriam, ubicumque Concil. Trident. & Index receptus est.

Quæres: Qui dicantur defensores librorum hæreticorum. Defensores vocantur, qui scienter defendunt libros hæreticorum, quomodolibet: id est, quocumque genere defensionis sive publicè, sive occultè, ex quavis causa, quovis ingenio, vel colore: ut si quis defenderet librum hæretici, propter elegantiam linguæ Latinæ. Id autem intelligendum est de libris hæreticorum, qui hæreses continent, & de religione tractant. Busæus.

Histrio.

Vide v. *Ludus.*

Homicidium.

Vide v. *Bellum, Furtum, Irregularitas, Restitutio.*

1. Licitum est publica auctoritate occidere malefactores; ita enim postulat bonum commune, ut homines metu mortis retrahantur à criminibus Imò proscripti contra quos lata est sententia mortis, possunt à privato interfici; quia hoc censetur fieri publica auctoritate justitiæ. *tom. 2. de restitutione in particulari. disp. 2 q ult sect. 1. punct. 2. n. 1 & 2.*

2. Non est licitum clerico aliquem occidere, non solùm privata auctoritate, sed neque publica; quia non decet clericos immiscere se in causis sanguinis Potest tamen Papa dispensare, ut absque peccato & irregularitate ferrent sententiam sanguinis *ib punct. 4. n. 1. & 2.*

3. Clerici vel Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem, ratione dignitatis, vel ratione bonorum patrimonialium, possunt absque alio privilegio constituere judices sæculares in causa sanguinis & indicere bellum hæreticis, hostibus fidei, si non habeant Superiorem *ibid. ns. 4. & 5*

4. Non potest aliquis seipsum directè occidere, etiam ut effugiat aliquod peccatum; neque privata auctoritate, alium etiam volentem & consentientem, cùm nullus sit dominus vitæ suæ & membrorum, & nullus possit hanc facultatem concedere. *ib. punct. 5. n. 1. & 2.*

5. Potest tamen quis cooperari ad mortem propriam, indirectè per accidens, & mediatè exponendo vitam periculo ob rationabilem causam, aut omittendo actiones ad vitam necessarias; imò immediatè & directè, sed ex præcepto Dei, sub cujus dominio vita nostra continetur, ut fecit Samson: denique potest aliquis publica auctoritate ad suam mortem cooperari iis actibus, qui non habent crudelem modum pœnæ, ut est sumptio veneni. Propterea nemo tenetur redimere vitam pretio immenso, aut illam conservare exquisitissimis cibis & medicamentis, aut relicta patria se transferre ad locum, in quo aër est salubrior; quia hoc non est seipsum occidere *ib n. 3. & seq.*

6. Similiter detentus in carcere potest non fugere, etiamsi morte plectendus sit; imò potest malefactor offerre se judici ple-

plectendum: nam ob rationabilem causam periculo vitam exponit. Milites quoque possunt se dare præcipites in mare, etiam cum aperto vitæ periculo, ne navis veniat cum ipsis in manus infidelium. Excusari etiam possunt qui sua agilitate corporis ambulant super funem, aut sumunt venenum adhibito statim remedio; quamvis enim hæc sint periculosa, nihilominus purgatur periculum per applicationem sufficientis remedii, aut probatæ experientiæ. *ib. n.* 7 & 8.

7. Nemo tenetur membrum vel membri partem amputare cum magnis doloribus, neque cum magno cruciatu vitam propriam defendere; nisi urgeat bonum publicum aut judex præcipiens id fieri. *ib punct.* 6. *n.* 2.

8 Qui catena ferrea detinetur in carcere occidendus, vel flammis comburendus, potest sibi membrum amputare, ut se liberet à vinculis, & vitam totam conservet. *ib. n.* 5.

9. Non licet sibi membrum vel membri partem mutilare ad sanitatem spiritualem, ut ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum: quia membri amputatio non est medium necessarium ad salutem animæ. *ib. n.* 6.

10 Non est licitum occidere directè innocentem; benè tamen indirectè aliquando licitum est ad mortem innocentis cooperari; nam licet Reipublicæ ad se liberandum tradere innocentem tyranno qui eum petit ad necem, & non vult desistere ab obsidione, nisi ei tradatur aliquis innocens: deinde licet in bello justo subvertere mœnia vel turrim, in qua multi innocentes opprimentur, quando hoc est necessarium ad victoriam. *ib. punct.* 7. *n.* 1.

11. Petes, an liceat dare pharmacum matri gravidæ cum periculo ut fœtus moriatur? Resp. numquam licitum esse ante vel post animationem fœtus dare matri gravidæ pharmacum mortiferum fœtui, seu ex sua vi ordinatum ad abortum, vel mortem fœtus. Quod si mater periculosè laboret, & non supersit aliud remedium præter pharmacum ex sua natura curativum illius morbi; potest hujusmodi pharmacum adhiberi cum intentione expellendi morbum; licet mors fœtus nondum animati secutura sit, quia mater utitur jure suo: nulla tamen femina potest adhibere remedium impediens conceptionem fœtus ad evitandam infamiam, aut mortem, etiamsi femina sit nobilis aut Monialis; quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, & femina debet sibi impudicitiæque suæ periculum infamiæ, vel mortis imputa-

putare. Est autem constituta pœna mortis contra procurantes abortum fœtus animati, & lata excommunicatio à Gregorio XIII *ib, n. 3. & seq.*

12. Quæres, an possimus vel teneamur occidere alium ad nostram defensionem? Resp. licitè possumus occidere injustum aggressorem, (etiam amentem, aut ebrium) ad defensionem vitæ & membrorum nostrorum; servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, alioquin non esset defensio, sed ultio. Dictum est *nos posse*, sed non tenemur regulariter loquendo, occidere invasorem injustum ob defensionem vitæ nostræ, nisi aliunde urgeat bonum commune Reipublicæ, aut salus animæ, ut si invasus putet se esse in peccato mortali, & timet damnationem *ib. punct* 8. *n.* 2. *& seq.*

13. Non est licitum prævenire aggressorem propriæ vitæ, antequam inceperit moraliter aggressionis actum; quod si jam moraliter incepit actum, nec est alia spes evadendi, licitè potest occidi, quia vim inferre censetur: hinc sequitur licitum esse uxori occidere maritum, qui paravit pugionem sub cervicali, aut venenum ad eam occidendam; modò non adsit alia spes evadendi ex ejus manibus: at non licet prævenire occidendo illum, qui falsis testibus vitam alterius oppugnat in judicio, aut falsum testimonium apud judicem deponit, propter quod occidetur, vel infamabitur; quia sic aperiretur via infinitis homicidiis, & homines facilè sibi persuaderent se per calumniam accusari. *ib punct*, 9. *n.* 1. *& seq.*

14. Omnibus tam laicis quàm clericis licitum est occidere invasorem suarum facultatum & pudicitiæ, quoties aliter salvari vel recuperari non possunt, modò facultates sint magni valoris: unde non peccat contra justitiam, qui occidit furem dum fugit: ex. gr. si equum mihi surripuit, & fugit, possum illum insequi, telo confodere & ferire, quando fur prælmonitus de morte recusat rem acceptam dimittere. Similiter non est peccatum contra justitiam neque contra charitatem, occidere furem surripientem res meas, quas non possum in judicio recuperare, nisi cum magnis molestiis; secus dicendum si fur se in tutum recepit, & rem incepit quietè possidere; nam tunc recurrendum est ad auctoritatem publicam. *ib. punct.* 10, *n.* 1, *& seq.*

15. Licitum est à fortiori viro honorato occidere invasorem inferentem ignominiam, vel contumelias atroces, quando aliter ignominia evitari non potest, cum majus bonum

num sit fama, quàm sint facultates temporales; secus dicendum de clericis, religiosis vel infimæ conditionis hominibus; peccant enim contra justitiam si occidant, quando absque vitæ periculo fugere possunt. *ib. n.* 9. *&* 11.

16. In iis casibus in quibus possumus defendere vitam nostram & bona nostra, possumus etiam defendere vitam & bona proximi, etiam cum morte invasoris, quando mors invasoris necessaria est ad defensionem proximi; & consequenter possum tueri pudicitiam alicujus cum morte invasoris, sicut possum meam tueri & conservare. Imò non solùm possumus, sed etiam tenemur sub mortali proximum defendere, quando possumus illius vitam vel bona defendere absque nostro notabili incommodo; hinc sequitur aliquem teneri, licet sit clericus, denuntiare conjurationem factam in personam alterius, si alia ratione non potest illius mortem impedire. *ib. punct.* 11. *n.* 1. *& seq.*

17. Nemo tenetur tueri vitam & bona personæ privatæ cum morte invasoris, aut cum jactura vitæ propriæ aut bonorum; nisi ratio boni publici aliter suadeat. *ib. n.* 8.

18. Homicida aut vulnerator qui alium injustè aggressus est, non solùm tenetur restituere damnum emergens & integras expensas, factas in curatione morbi, sed etiam lucrum cessans causa vulneris; illud scilicet quod vulneratus consecutus fuisset, si vulneratus non fuisset. Uno verbo, homicida aut vulnerator tenetur ad omnia damna, (seu potiùs quantum valebat spes lucri detracta redemptione laboris,) quæ passus est occisus aut vulneratus, propter mortem aut vulnus. Hinc disce quid dicendum de judice, qui per injustam sententiam alium condemnavit ad mortem; aut de teste, qui per falsum testimonium causa fuit injustæ condemnationis. *ib sect.* 2. *punct.* 1. *n.* 6. *&* 7.

19. Estne facienda restitutio pro vita hominis, vel membro injustè ablato? Nulla formaliter & ex justitia debetur restitutio pro vita & membris hominis, cùm nullam recipiant æstimationem; videtur tamen ex quadam charitate aliquid restituendum esse arbitrio prudentis viri aut Confessarii. *ib. n.* 10.

20. Qui occidit eum, qui paulò post morte naturali aut justè erat occidendus, non tenetur ad restitutionem; quia anticipando tam brevi tempore non censetur ullum damnum pecuniarium intulisse: contrarium dicendum, si is paulò

lo post injustè occidendus erat à latrone, vel ab alio. *ib.n.*

21. Homicida qui pœnam talionis solvit, tenetur ad (seu potiùs illius heres) resarcire omnia damna per homicidium secuta heredibus necessariis occisi, si ii exigant; mo tamen occisus antequam decederet ex hac vita, non fecit expressè remissionem, seu condonationem restitutionis *n.*14.

22 Occidens alium casu, seu committens homicidium casuale, non est propriè homicida, nec tenetur ad restitutionem: hinc fit ut qui inflixit alteri vulnus leve & non letha sed vulneratus ex negligentia Medicorum periit; aut peri quia noluit remedia opportuna adhibere, non teneatur restitutionem damnorum provenientium ex morte; q occisio respectu vulnerantis est casualis, nec reputatur a esset intenta. Similiter ille non est reus homicidii, qui operam rei illicitæ, aut etiam licitæ debitam intelligentia adhibuit, ne aliquod damnum inde sequeretur; & nihilominus inde subsecuta est mors, vel aliud incommodum; hæc enim mors est casualis, cùm non sit volita in se, nec in caus secus si actio illa fuisset periculosa homicidii, nec fuisset adhibita debita diligentia ad illud præcavendum. *ib. punct.n.* 3. *& seq.*

23. Occidens alium in ebrietate, non peccat mortaliter, neque tenetur ad restitutionem, si ebrietas non est voluntaria & culpabilis: secus dic de occidente Caium quem putabat esse Titium, quia hæc actio est injusta contra Caium, seu contra hunc hominem, licet falsò putetur Titius. *ib.n.*7 &

ADDITIO.

Modus inculpatæ tutelæ non est, si invasus noluit fugere, cùm posset, si majori vi ultus sit, quàm ad defensionem requireretur.

Publicè diffidatum, & damnatum, ut à quolibet possit occidi, occidere non licet, extra fines jurisdictionis ejus potestatis, à qua damnatus est. Sylv. *Homicid.*1. *q* 3.

Adulteram traditam viro à judice, ut occidat, si velit, potest occidere, est enim tunc minister justitiæ voluntarius. Ita Bannes *art.*3.2.2. *q* 64. Covar. *ep.*2. *p.c.d.*7. *n.*17. si faciat non ex odio, sed zelo justitiæ Val. 1.3. *d.*5. *q.*8. *p.*3.

Homicidium casuale excludo licito non gignit irregularita-

ritatem, Nav. *conſ. 3 de homic. ex c. Ioannes de homic.*

Prohibentur præcepto, Non occides, damna corporalia, actus injurioſi, præparationes ad hæc, contumeliæ, & convicia, quæ verbo, ſignove fiunt. Prohibentur etiam interiores animi motus, deliberati; ut mortem cupere alicui, vel aliud grave malum; & criminis conſortes, his verſibus contentis

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

hoc eſt, qui jubet, qui dat conſilium, qui factum ratificat, vel probat, ut fiat, qui laudat, vel laudat, ut fiat, qui defendit homicidium, vel defenſionem promittit, qui juvat ad factum, qui non præmonet occidendum, vel percutiendum, cùm poteſt, & debet, qui veritatem innocentis ne damnetur, non oſtendit, cùm poteſt, & debet.

Quæres: An Epiſcopi, qui etiam ſunt ſæculares principes, poſſint aliquem damnare ad mortem, quatenus ſunt ſæculares. Reſp. non poſſe, licet poſſit committere & præcipere ſuis miniſtris, ut faciant, ut habetur *in 6. cap. Epiſcopus titul. melric. vel monach. ſe ſæcularib. reb. immiſc.* Et ratio, quia poteſtas ſæcularis in Epiſcopo debet cedere ſpirituali. Poteſt tamen ex diſpenſatione Pontificis.

An liceat judici reum liberare à morte, quando parcit ei pars læſa. Reſpond quòd numquam poſſit, repugnante parte læſa, niſi rariſſimè, ut ſi eſſet perſona valdè utilis Reipublicæ. Reſp. 2. ſi pars læſa parcit, ſupremus judex poteſt liberare reum, quia non ſolùm eſt cuſtos, ſed etiam diſpenſator legum, inferior autem judex non poteſt.

Quæres: An verus reus debeat ſe manifeſtare, quando videt innocentem captari ad necem? Reſp negativè. Ratio, quia non fuit auctor, ut alter comprehenderetur; neque ex charitate ad hoc tenetur, ſi ſine periculo propriæ vitæ non poſſit ſe prodere.

Honorare.

Vide v. *Decalogus.*

Horæ Canonicæ.

Vide v. *Diſtributiones, Officium divinum.*

I.

Idololatria.

Vide v. *Decalogus, Superstitio.*

1. IDololatria (sic dicta ab idolo) est peccatum, quo honor seu cultus Dei tribuitur creaturæ, estque peccatum gravissimum ex suo genere; ita ut ab hoc peccato non excuset metus mortis, imò neque ignorantia; quia recta ratio evidenter dictat non esse colendam creaturam loco Dei. *tom. 1 circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. q. 5. punct. 2. nu. 1. & seq.*

2. Ficto animo colens idolum metu mortis, peccat, & committit idololatriam externam, quæ intrinsecè mala est. *ib. n. 5.*

Iejunium.

Vide v. *Peccatum.*

1. Jejunium Ecclesiasticum est voluntaria abstinentia à cibo juxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. Dicitur jejunium abstinentia à cibo, qui principaliter institutus est contra famem, sive cibus sit densus, ut panis, caro, &c. sive liquidus, ut lac, jusculum, amidum amygdalatum, &c. & non sumitur per modum medicinæ, vel ad conservandam vocem, vel pellendum oris fœtorem. *tom. 2. de præceptis Ecclesiæ, disp. ult. quæst. 1. punct. 1. n. 6. & 7.*

2. Qui sæpius bibit in die jejunii ad expellendam famem, non peccat mortaliter contra præceptum jejunii; fieri tamen potest, ut delictum committat contra temperantiæ virtutem, detque causam ebrietati, quæ, per se loquendo, intrinsecè mala est. Tunc autem cognoscitur quis esse ebrius, quando ratio intercepta est, & prudentia ita consopita, ut vino temulentus non advertat quid agat, & bonum à malo non discernat. *ib. n. 4 & 8.*

3. Tempore jejunii abstinendum est à carnibus. Per carnes autem intellige illas, quæ à piscibus contradistinguuntur, juxta communem Christianorum usum aut Medicorum judi-

judicium. An verò tempore jejunii abstinendum sit à lacticiniis, standum est legitimæ locorum consuetudini. *ib. punct. 2. n. 1 & 2*

4. Obtinens privilegium comedendi carnes in die jejunii, per se loquendo, tenetur abstinere à multiplici refectione, modò aliunde non excusetur. Neque adveniente necessitate comedendi cibos vetitos in die jejunii petenda est licentia, modò necessitas evidens sit & certa: quòd si dubitetur de sufficientia necessitatis, petenda est licentia ab Episcopo, vel parocho, si Episcopus commodè adiri nequeat. *ib. n. 3 & 5.*

5. Qui vovit jejunium, aut cui jejunium à Confessario injunctum est, vel à Papa in Jubilæo, potest extra Quadragesimam vesci lacticiniis, aut aliis cibis, qui juxta locorum consuetudinem permittuntur in quatuor temporibus anni, & pervigiliis Sanctorum *ib. n. 6.*

6. Qui ventrem valde replet, satisfacitne præcepto jejunii? Satisfacit modò abstineat à cibis vetitis, & à multiplici refectione. *ib. n. 7.*

7. Unica refectio præcipitur in die jejunii, consequenter unica refectio sumenda est, & abstinendum est à multiplici refectione. Dicitur, *refectione*, quia licita est refectiuncula in vesperis, modò non adsit excessus in cibi quantitate, habito respectu ad personam & regionum constitutionem; & hæc refectiuncula non potest sine veniali, præcisa tamen causa legitima, transferri in tempus matutinum. Quod attinet ad cibi qualitatem sumendam in hac refectiuncula, præter uvas, nuces, poma, vel alia ex saccharo, aut melle confecta, licitè etiam sumi potest jusculum (modò non sit ex coctis cibis qui tempore jejunii interdicuntur,) & comedi pisculus, aut exigua pars piscis majoris; imò multæ res in eadem refectiuncula degustari possunt, modò cibi quantitas non excedatur, & refectiuncula non efficiatur cœna, nec aliud præceptum obstet. Et non solùm à mortali, verùm etiam à veniali excusari potest, qui ob urbanitatem, vel preces amici, vel ne potus noceat, exiguum quid sumit in die jejunii: ex. gr. duas castaneas, duos ficus, vel quid simile, ut fieri potest, dum amicus amicum visitat in die jejunii, *ib. punct. 3. n. 1. & seq.*

8. Qui sæpius comedit in die jejunii, peccat solùm mortaliter in secunda refectione, modò non vescatur cibis vetitis.

tis. Item qui sæpius comedit in die jejunii, non advert esse diem jejunii, tenetur posita advertentia jejunii act jejunare *ib. n. 7. & 8.*

9. Invitans alium ad cœnandum secum in die jejunii, p cat, etiamsi invitatus non teneatur jejunare. *ib. n. 9.*

10. Pœnitens in exprimendis peccatis violatione jeju perpetratis, tenetur aperire an jejunii præceptum viol verit anticipatione horæ, an multiplici refectione, & an ciborum vetitorum, cùm hæc sint diversa. *ib. n. 11.*

11. Circumstantia & conditio temporis in refectione menda in die jejunii, non tanti æstimatur ab Ecclesia q aliquando commutari possit, cùm ea antiquitus vesperi meretur, & nunc sumi soleat circa meridiem; quamvis ju de causa, ut causa itineris suscipiendi, licitum est refec nem anticipatè sumere, cùm circumstantia temporis non deatur de substantia jejunii. *ib. punct. 4 n. 1. & seq.*

12. Qui privilegium prandendi ante horam consuetu obtinuit, aut horam prandendi antevertit, tenetur serva jejunium quoad reliqua. *ib. n. 5.*

13. Obligatio jejunii potest per consuetudinem legi mam induci & auferri. Quilibet Christianus compos rati nis, completo vigesimo primo anno tenetur servare jejun ab Ecclesia præscripta & præcepta; neque potest quis per lium jejunare, quia obligatio jejunii est personalis; quam quam potest aliquis pro alio ita jejunare, ut satisfactio jej nii prosit illi pro quo jejunavit. *ib punct. 5. n. 2. & punct. 6. n. 1. & 2.*

14. Qui aliquo die jejunare non potest, non tenetur ali quid loco jejunii facere, vel alio die jejunare, nisi forte vi tute alicujus privilegii transtulerit jejunium in alium diem quo privilegio gaudere fratres Minores asserit Rodrigu *in summ. 1. part. cap. 23. n. 1. sub finem.* In jejunio debito ex to standum est intentioni voventis, qui legem sibi & obligationem imponit *ib. punct. 6 n. 3. & 4.*

15. Religiosi non tenentur ad jejunia ab Episcopis indicta, vel per consuetudinem particularem introducta; secus ad recepta per consuetudinem generalem, quia consuetudo generalis omnes generaliter obligat; ergo etiam religiosos *ib. n. 5.*

16 Viatores & advenæ, per se loquendo, non tenentur je juniis locorum per quæ transeunt, nisi decreverint eo tot majore anni parte commorari. *ib. n. 6.* Can

Causæ excusantes à jejunio.

17 Impotentia tam physica quàm moralis excusat à jejunio Excusantur similiter infirmi & convalescentes, fœminæ gravidæ, (hæ tamen non excusantur à carnibus; nisi fortè sit vehemens appetitus) senes septuagenarii, imo & sexagenarii, quando valde debiles sunt; pauperes quoque non habentes alimentum sufficiens ad unicam refectionem excusantur: item & pueri, adolescentesque qui vigesimum primum annum nondum compleverunt, modo non sint religiosi professi; tenentur tamen à cibis vetitis abstinere. Item gravis labor excusat à jejunio, consequenter fabri ferrarii, vel lignarii, agricolæ, cæmentarii, extorres, pistores, sutores excusantur à jejunio, dum serviliter laborant, etiamsi necessitatem non habeam serviliter laborandi Excusantur præterea à longum iter pedestre, v.g. quindecim aut viginti miliarium suscipientes; secus dicendum de barbitonsoribus, sartoribus pictoribus & scholaribus, qui ob laborem præcisè non excusantur. *ib. punct. ult. n. 1. & seq.*

18. Denique non tenetur ad jejunium, qui officio suo fungi non potest cum jejunio; & opera pietatis quæ cum jejunio præstari non possunt, excusant à jejunio. *ib. n.* 13.

19. Præterea à jejunio excusatur similiter uxor, quæ ob timorem pravæ valetudinis, aut deformitatis, vel metu viri non permittitur jejunare: Secus si non permittatur jejunare in contemptum Ecclesiæ, aut religionis; quia Ecclesia sicut non præsumitur velle impedire opera necessaria, ita neque opera debita. *ib. n.* 14.

20 Non excusatur à jejunio, qui magis vexatur tentationibus carnis jejunando, quàm non jejunando; quia hujusmodi tentationes per accidens sequuntur: nec est malum vexari à tentationibus, sed vinci; vinci autem possunt aliis mediis quàm omissione jejunii *ib. n.* 15.

21. Petes, an qui die jejunii complet vigesimum primum annum, teneatur eo die jejunare? Non tenetur, nondum completa hora, quæ complet vigesimum primum annum. Qui verò rationabiliter dubitat an expleverit vigesimum primum annum, non tenetur ad jejunium Ecclesiasticum; secus dicendum de eo qui dubiam habet non jejunandi causam, is enim tenetur jejunare, nisi dispensationem obtineat;

vel nisi dubium deponat consilio parochi, vel Confessarii vel alterius viri boni. *ib. n.* 16. & 17.

22. Denique qui jejunium bona fide non servat, putans se justam non jejunandi causam habere, non peccat ut dictum est *ib. n.* 20.

Vide v. *Peccatum.*

ADDITIO.

Natali Christi incidente in feriam sextam, non potest in eo vesci carnibus voto, aut professione impeditus, nisi dispensetur. Potest autem dispensare, qui potest in voto, aut regula, etsi quidam id negant. *c. explicari de obser jejun.* Vid. Medin. l. c. 14 §. 10. Nava. *c.* 21. *n.* 11. Azor. *l. c. c.* 2. *q.* 13. Cord. *q.* 169. Sylv. *jejunium q.* 10.

Etiam Dominico die jejunare licet, ob devotionem; cavendum tamen scandalum. Nav. *l. c. n.* 17. *in fin.* Bell. *l.* Azor. *l. c. cap. in fin.* Med. *q.* 10. *de jejun.*

Jejunium non violat potus aquæ, aut vini, etiam si quid detur, ne potus noceat, nec quæ sumuntur per modum medicinæ, vulgo electuaria, nec cibi prægustatio, ut fit à coquo aut pincerna, nec jentaculum vespertinum pro more sumptum, vel ex causa sumptum manè, dilato in vesperum prandio, nec ova, aut lacticinia extra Quadragesimam, ubi ea consuetudo; nec si quid statim finito prandio parum edax rogatus, ut fit ab amico comedente, illud enim pars prandii censetur, nec si horam prandii ex causa prævenias, ut iter facturus, aut propter hospitem. Vid. *l. c, n.* 13. *Nec jentaculum.*) Nav. *l. c.* vid. Carbon, *de præcept Eccles.* Bela. *cas.* 3. Azor. *l. c.* 8. *dilato*) Azor. *l. c. c.* 8. *Nec ova,*) vid. Nav. *l. c. n.* 15.

Tres aut quatuor panis unciæ conceduntur pro jentaculo. Azor. *l. c.*

Puer ante usum rationis potest vesci carnibus die jejunii, quia non est legi subjectus. Cord. *cas.* 6. Azor. *l. c. n.* 28. *q.* 3.

Quadragesima, Quatuor tempora, vigilia Nativitatis, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, omnium Sanctorum, Apost. Petri & Pauli, S. Joannis Apost. SS. Philippi & Jacobi, S. Laurentii, sunt jejunia populo Christiano, sunt alia in quibusdam locis peculiaria.

Sine jejunio à carnibus, & lacticiniis in Dominicis Qua-

dra-

dragesimæ, non à lacticiniis diebus Veneris, & Sabbathis per annum, abstinendum est.

Excusantur à legé jejunii morbo affecti, debiles, senes, gravidæ, & lactantes, quibus unica comestio non sufficit & vetiti cibi nocent.

Excusantur pauperes sufficiens prandium non habentes, & qui magnis laboribus operam dant, si labores, ratione officii vel in utilitatem Reip. vel ad damnum proprium, aut proximi temporale, seu spirituale vitandum suscipiantur. Sutores, & alii artifices corpus parum exercentes, non excusantur.

Excusantur piis operibus ex officio, vel obedientia operam dantes, ut Concionatores, lectores, confessarii, & alii, si utrumque præstare nequeant.

Cùm ex voto suscipitur peregrinatio, quæ commodè in aliud tempus differri nequit, excusat à jejunio, quæ etiam ex magna devotione, si adsit confessarii consilium, & quæ ad damnum temporale fugiendum. Excusatur etiam vir uxori debitum reddere non potens, & uxor cœnans ad vitandas rixas cum viro, dum is in fidei contemptum non cogat illam ad violationem jejunii, tunc enim moriendum potius.

Habens causam dubiam excusantem petat declarationem à confessario, vel à docto viro, vel à medico, vel ab Episcopo. Medici tamen ne prodigi sint in hac re.

Pœnitentem bona fide putantem se habere justam causam non jejunandi, quæ justa non sit, de mortali non damnet confessarius, nec à bona fide retrahat, sed hortetur, ut periculum jejunandi faciat.

Ignorantia.

Ignorantia probabilis juris, vel facti excusat à pœna legis humanæ, interdum etiam eum non excusat à peccato, ut cum quis peccat, sed ignorat ob id positam à lege pœnam exigentem scientiam, tunc enim abest contemptus legis. De ignorantia, multa Azor. *l.c* 12.13.14. & 15. vid. Tolet. *l* 1. *c.* 7 *n.*6. Nav *c.*23. *n.*44 si sit justa, non affectata, non crassa. *A peccato*) Nav, 1. *c. n.*46.

Imago.

Imaginem Christi sculpere humi in lapide, sub gravissima

pœna prohibetur. *l. unic. C. nem. lic.* De imaginum sacrarum cultu Azorium *l. 9. c. 6. mor. Instit.* 1. Honor imaginis transit ad exemplar Brasil. in 6. Synod. vid. Bellar. *tit. 2. lib. 2. c. 30. Eccles. triumph.*

Immunitas locorum sacrorum.

Vid. v. *Sacrilegium.*

1. Immunitas Ecclesiastica quoad locum, est exemptio seu privilegium Ecclesiæ, seu Templo concessum, ut ibi existentes tuti sint à laica potestate; quamquam possunt extra locum sacrum ab illa obsideri, ut capiantur dum se recipiunt extra illum; impediri tamen non possunt ne ad illos deferantur ea quæ ad victum necessaria sunt. Imò immunitas existenti in Ecclesia adeò suffragatur, ut à laica potestate custodiri nequeat, donec declaretur an Ecclesiastica immunitate gaudeat. Adverte tamen immunitatem non sic prodesse confugienti ad Ecclesiam, ita ut bonis quæ extra Ecclesiam possidet, spoliari non possit, quoties citatus à judice ad comparendum, negligit comparere. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quæst. 7. punct. 1. n. 1. & punct. 3. num. 1 & seq.*

2. Prælati Ecclesiarum aliquando possunt laicorum auxilium implorare, vel etiam clericorum opera uti ad tuendam Ecclesiam *ib. punct. 3. n. 3.*

3. Existens in Ecclesia ligari non potest auctoritate judicis sæcularis, neque damnari ad pœnam, vel ad mortem corporalem; & si extrahatur, restituendus est Ecclesiæ eidem, vel alteri in qua æquè tutus esse possit, vel Episcopo. Et hoc valet, etiamsi extractus ipse jure suo sponte cedere velit. Neque judex satisfacit dando cautionem de impunitate extracti ab Ecclesia, sed tenetur reum Ecclesiæ restituere, licet post extractionem patraverit delictum pertinens ad forum sæculare. Denique actus, quo delinquens per vim extrahitur à loco sacro per judicem sæcularem juridicè nullus est, nec potest juridicè interrogari. *ib. n. 7. & seq.*

4. Dum satellites fatentur se aliquem cepisse in loco profano, reus vero asserit se captum in loco sacro, standum est judicio prudentis judicis, qui rem dijudicare debet ex conjecturis: ut si omnes satellites id affirment, præsertim eorum

dux

dux, si non ceperint accepto stipendio, si alii affirment ipsum captum fuisse in loco profano, & hoc decidere pertinet ad judicem Ecclesiasticum *ib. n* 15 & 16.

5. Immunitas Ecclesiastica competit oratorio, aut Ecclesiæ auctoritate Episcopi fundatæ & consecratæ, præsertim si in ea divina officia celebrentur Et hoc valet, etiamsi nondum sit benedicta, aut in ea nondum celebrata sint divina officia, aut etiamsi polluta aut interdicta sit, aut diruta. Ecclesiæ autem nomine venit tota Ecclesiæ fabrica, fines seu confinia illius usque ad quadraginta passus, & consequenter Parochorum, Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum domus existentes intra triginta passus propè; qui passus desumendi sunt à muro Ecclesiæ, & quilibet passus complectitur mensuram quinque pedum, pes autem mensuram quindecim, vel sexdecim ad summum digitorum transversorum. *ib. sect. 4. n. 1. & seq.*

6. Monasteria, domus religiosorum, palatium Episcopi, & domus Cardinalium saltem intra oratorii ambitum (quamquam id non servari nunc in Urbe Roma multi asserunt) gaudent immunitate Ecclesiastica. *ib. n.* 10. 11. & 12.

Immunitas illi suffragatur, quem satellites insequebantur ad capiendum, sed reus fugiens in Ecclesiam se recepit, vel clausas Ecclesiæ januas, vel serram, vel quid simile apprehendit, neque extrahi potest per eam pallii partem, quæ extra locum sacrum existit. At immunitas non suffragatur illi, qui jam captus ducitur per locum sacrum, neque illi qui se ipsum voluntariè offert judici, & à loco sacro recedit. Item non violatur immunitas, dum capitur is qui semel aufugit à carceribus Ecclesiasticis, vel etiam sæcularibus, in quibus nomine Episcopi detinebatur, neque dum capitur extra locum sacrum is, quem judex blanditiis aut promissionibus à loco sacro extraxit; violaretur tamen capiendo eum, quem privatus extraxit è loco sacro, absque judicis vel satellitum opera. *ib. n.* 19. & *seq.*

7. Sacerdos deferens Eucharistiam, in rigore loquendo, non gaudet immunitate locorum sacrorum; quamquam licitè capi non potest ob reverentiam jure divino debitam corpori Christi, cui nulla res præferri debet. *ib. n* 27.

8. Omnes fideles cujuscumque conditionis & ordinis, exceptis casibus in jure expressis, immunitatis privilegio gaudent. Et hoc valet, etiamsi fidelis sit interdictus, aut excom-

communicatus, aut clericus; is enim privilegio immunitatis gaudet in iis casibus, in quibus aliàs à laica potestate capi potest; potest tamen à ministris Ecclesiasticis extrahi à loco sacro in iis casibus, in quibus laici à laica potestate extrahi non possunt; quamquam multi Doctores oppositum sentiant. *ib. punct. 5. n. 1. & seq.*

9. Debitores quoque in loco sacro existentes gaudent immunitate, sicut & fures etiamsi famosi, item & raptores virginum, homicidæ, modo non occidant proditorie, vel in Ecclesia; sacrilegi aut perjuri, simoniaci, blasphemi, sodomitæ, exules seu banniti, modo non commiserint delictum immunitate privans; item & adulteri gaudent immunitate; secus dicendum de latronibus publicis, seu iis qui violenter in itineribus publicis aggrediuntur & deprædantur, de grassitoribus viarum, & depopulatoribus agrorum, seu iis qui diripiunt alienos agros, id est, qui segetes, seu fructus surripiunt, & agros aut vineas vastant. *ib. n. 6. & seq.*

10 Monetarum tonsores, & fures sine armis aut violentia surripientes, non videntur privari privilegio immunitatis, juxta constitutionem Gregorii XIV. quia non sunt publici latrones. *ib. punct. 6. § 1. n. 4.*

11. Homicidæ aut mutilatores in Ecclesiis, vel earum cœmeteriis, privantur immunitate. Amplia etiamsi qui occidit, aut mutilat, sit extra Ecclesiam, & occidat pila plumbea, vel saxo; nam dicitur in Ecclesia delictum mutilationis, vel occisionis committere; secus dicendum de eo, qui dum est in Ecclesia, occidit aliquem extra Ecclesiam existentem. *ib. § 2. n. 1. & seq.*

12 Vulnerans lethaliter aliquem in Ecclesia; privatur immunitate, si vulneratus ob id moritur in Ecclesia, aut extra Ecclesiam; quia delictum homicidii censetur commissum in Ecclesia. Adverte tamen mutilantem, aut occidentem in Ecclesia non posse ob alia delicta in ea capi, nisi simul etiam capiatur ob delictum mutilationis, vel homicidii nondum punitum; quia ob alia delicta non datur facultas extrahendi. *ib. n. 5. & 9.*

13. Mandans homicidium vel mutilationem in Ecclesia, non privatur immunitate, quidquid dicant alii in contrarium; quia nulla fit mentio mandantium, aut consulentium. *ib. n. 10.*

14. Proditorie occidentes proximum suum, privilegio im-

immunitatis carent, sive occiderint fustibus, sive ferro, sive veneno, sive alia ratione. Ille autem dicitur proditorie aliquem occidere, qui aliquem occidit id non prævidentem, seu qui aliquem occidit cum quo amicitiam simulabat, seu qui dolosè aliquem seducit ut occidat: propterea immunitate caret is, qui occidit eum, cui se tamquam socium & amicum conjunxerat; secus dicendum de occidente inimicum jam sibi reconciliatum, si occidat ob novam causam: & de procurante abortum fœtus animati; is enim juxta probabiliorem sententiam non caret immunitate etiam secuto abortu; sicut nec Medicus præbendo pharmacum infirmo, ex quo mors sequatur præter intentionem. *ib.* §. 3. *n.* 1. *& seq.*

15. Occidens proditorie infidelem, non privatur immunitate, juxta nonnullorum sententiam, cùm infidelis strictè loquendo, non videatur noster proximus; quia nobiscum non communicat in fide, in sacramentis, & in Ecclesia. *ibid. num* 6.

16. Assassini, seu ii qui pecunia aut alio pretio accepto vel promisso, conducti prævio mandato, occidunt homines incautos, & nihil tale ab eis præcogitantes, privantur immunitate, sicut & qui iis cooperantur. Hinc collige assassinum eum non vocari, qui sine pretio, vel ejus promissione aliquem occidit, neque eum qui adversarium occidit sociis pecunia conductis; nam hic non occidit incautum. *ibid.* §. 4. *num.* 1, *& seq.*

17. Judex aut testis privatur immunitate, si pecunia accepta in causa sit ut innocens ad mortem damnetur; quamvis multi non improbabiliter contrarium astruant. *ibid. n.* 8.

18. Hæreticus ob hæresim caret immunitate, sed non ob alia crimina distincta ab hæresi. Infideles quoque gaudent immunitate, saltem dum ex animo Baptismum petiverunt. *ibid* §. 1. *num.* 1. *& seq.*

19. Rei criminis læsæ majestatis in personam Principis, seu illius qui Superiorem in sua jurisdictione non agnoscit, privilegio immunitatis non gaudent. Tunc autem committitur crimen læsæ majestatis, quando exercetur actio in damnum & offensam personæ Principis, ut occidendo, vulnerando, hostiliter insequendo personam Principis, revelando hostibus secretum Principis, ut ab ipsis capiatur. Idem dic de consulentibus, auxiliantibus, favorem præstantibus, etiam effectu non secuto. *ibid.* §. 6. *n.* 1. *& seq.*

20. Prælati locorum tenentur delinquentes ad locos sacros confugientes tradere curiæ sæculari eos requirenti, modò constet de delicto privante immunitate. *ibid. punct. 7. num. 1.*

21. Antequam delinquens qui ad locum sacrum confugerat, curiæ sæculari tradatur, debet obtineri ab Episcopo, vel ab ejus officiali, seu Vicario generali, facultas expressa capiendi & extrahendi delinquentem: debetque præterea Episcopo constare de delicto antequam concedat facultatem extrahendi. Neque tenetur Episcopus stare processui facto à laica potestate, dum quæritur utrum delinquens gaudeat immunitate Ecclesiastica, tenetur tamen servare solemnitates juris; sed non exigere cautionem de vita delinquentis, quem foro sæculari tradit ob delictum privans immunitate, *ibid. num. 4. & seq.*

22. Violator immunitatis Ecclesiasticæ per extractionem delinquentis à loco sacro, peccat peccato sacrilegii, & peccato injustitiæ; consequenter qui per vim extraxit delinquentem, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde passus est delinquens. *ibid. punct. & n. 1.*

23. Immunitatem violans attentando aliquem capere, vel extrahere è loco sacro incurrit excommunicationem, etiam effectu non secuto. Idem dic de mandante, & de judice nolente extractum ab Ecclesia restituere. Imò judex in carcerem conjiciens aliquem per vim extractum à personis privatis, excommunicationem incurrit, etiamsi ipse particeps non fuerit extractionis, *ibid. n. 9. n. 4. & seq.*

24. Episcopus aliique Prælati extrahentes, vel extrahi mandantes aliquem non servata forma Bullæ Gregorii XIV. excommunicationem incurrunt, quoties auctoritate laica faciunt, seu quatenus sunt domini temporales. Quòd renuant laico judici concedere facultatem extrahendi aliquem in loco sacro existentem, nullam quidem excommunicationem incurrunt; debent tamen extrahendi facultatem concedere, *ibid. nu. 11. & 12.*

25. Immunitatis violatores non servantes constitutionem Gregorii, non excusantur etiam in iis locis, in quibus delinquentes extrahebantur absq; debita licentia ante Gregorii constitutionem; imò hæc constitutio servanda est, etiam ubi non est acceptata, neque consuetudo contraria potest auferre privilegium immunitatis; sed sola ignorantia, excusat

excusat ab hac censura. *ibid. punct.* 10. *num.* 1. *& seq.*

26, Nullus Confessarius potest absolutionem à censura contracta ob violatam Ecclesiæ immunitatem, virtute alicujus privilegii conferre. nisi facultatem ad hunc effectum obtinuerit post decretum Clementis VIII. Probabile tamen est, posse Episcopum absolvere, modò facta sit restitutio, & satisfactio à delinquente. *ibid. punct.* 11. *n.* 1. *&* 2.

Impossibile.

Impossibile dicitur, quod non potest fieri justè, aut honestè aut commodè, vid, Syl. *ver. impossibile.*

Impotentia.

Vide v. *Matrimonium.*

Incestus.

Vide v. *Matrimonium.*

1. Incestus est congressus cum persona cognata intra gradus, in quibus non potèst celebrari matrimonium, de quibus vide v *Matrimonium.* Eò gravius est hoc peccatum, quo persona cum qua copula habetur, est magis conjuncta. *tom.* 1. *de iis, qua pertinent ad usum matrim. q.* 4 *punct* 16. *n* 5.

2. Omnes gradus & omnes incestus sunt ejusdem speciei, quidquid sentiant multi DD. in contrarium. Gradus incestus exprimendus est in confessione. *ibid n.* 6 *&* 7.

3. Confessarius cognoscens carnaliter pœnitentem, non committit incestum: modò Confessarius non sit proprius parochus à quo receptus sit Baptismus: committit tamen speciale peccatum parochus habens copulam cum sua parochiana: nam peccat contra proprium officium, vi cujus tenetur procurare salutem suorum parochianorum *ibid. n.* 10.

4. Incestus commissus cum consanguinea uxoris duos saltem parit effectus; quippe ut ille qui commisit incestum, non possit petere debitum à suo conjuge; utque post mortem uxoris non possit aliam ducere absque dispensatione. *ibid. num.* 11.

ADDI-

ADDITIO.

Gradus incestus, sive specie differant, ut vult Nav. *c.* 16 *n.* 4. Greg. de Valent. *tom.* 3. *qu.* 9. *disp. p.* 3, sive non ut Cajet. 2. 2. *q.* 254. *art.* 9 Sot, 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 4 Rodriq. *q.* 1. *c.* 208. in confessione explicandi sunt. vid. Clav. Reg. *lib.* 8. *c.* 4. *n.* 3.

Habere rem cum matre, & cum sorore, est incestus primi gradus, concubitus cum matre, pietati adversatur; ideò explicanda circumstantia, ni matris fama periclitetur; Rodriq. *l. c. num.* 3.

Indulgentiæ & suffragia.

Vide v. *Episcopus, Suffragium.*

1. Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis, concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationec thesauri Ecclesiastici. Indulgentia extendi potest ad remissionem peccatorum, non solum commissorum ante, verum etiam post ipsius concessionē, *tom.* 1. *de Indulgentiis disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 1. *n.* 1. &c.

2. In operibus hominis justi meritum non communicatur alijs: satisfactio verò potest communicari, quando plus satisfecerunt quàm ipsi indigeant: vocanturque satisfactiones superabundantes. Tanta autem est copia harum satisfactionum superabundantium & thesauri Ecclesiæ, ut superet & superabundet pœnàs hominibus debitas: cùm una gutta sanguinis Christi sufficiat ad delenda omnia peccata, & nihilquâ per indulgētias absumetur satisfactio Christi, *ib. n.* 3. &c.

3. Thesaurus satisfactionum extitit etiam in veteri lege ante passionem, vel adventum Christi; [nam aliqui ante Christi adventum magnas & exuberantes satisfactiones præstiterunt, sicut aliqui testantur de Abel] usus tamen hujus thesauri non fuit in veteri lege; quia nondum aperta erat janua cæli, & Christus nondum contulerat facultatem distribuendi thesaurū, quam postea communicavit. Petro. *ibid. n.* 6.

4. Indulgentia dividitur in plenariam & temporalem, seu in eam, qua remittitur tota pœna simpliciter, vel in aliquo certo genere; & in eam, qua non remittitur tota pœna, sed tanta quanta in Bullis exprimitur. *ibid. punct.* 2. *num.* 1.

5. Quando in Bullis conceditur indulgentia septem annorum, sensus est hominem, qui consequitur talem indulgentiam, obtinere tantam pœnæ remissionem, quantam obtinuisset, si tanto tempore pœnitentias juxtà Canones egisset. Hac occasione observa non omnes eodem tempore in pur-

purgatorio commorari, sed aliquos diutius, cum levi pœna ibi commorari; aliquos brevius, sed cum majori cruciatu & afflictione, habita ratione gravitatis delictorum. *ibidem num.* 2. & 3.

6. Ex dictis sequitur, quando alicui conceditur indulgentia de pœnitentiis injunctis, tantam concedi pœnæ remissionem, quanta respondet pœnitentiis taxatis à Confessario, & à sacris Canonibus pro talibus peccatis, *ibidem num.* 4.

7. Jubilæus non differt ab indulgentia plenaria & plenissima *ibid num.* 5.

8. Solus Summus Pontifex potest primariò concedere indulgentias; alii verò quatenus ipsis conceditur à Summo Pontifice, utpote Christi & Petri successore. Quare non potest Episcopus primariò & ultra limites ipsi præscriptos indulgentias concedere: prædictæ tamen indulgentiæ non erunt irritæ in totum, sed quoad excessum tantum. *ibidem. punct.* 3, *num.* 1. & *seq.*

9. Episcopi non possunt indulgentiam concedere pro mortuis; quia ipsorum facultas videtur à Sede Apostolica restricta ad subditos Episcoporum degentes in hac vita. *ibid. num.* 5.

10. Episcopus tantùm electus, & nondum consecratus, potest indulgentias concedere: quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis, qui potest exerceri ab Episcopo non consecrato, Idem dic à pari de Summo Pontifice, & Abbate electo, si nondum sit consecratus, *ibid. n.* 6. & 7.

11. Episcopus excommunicatus denuntiatus non potest indulgentias concedere: nam caret usu jurisdictionis: secus dicendum si tantùm in peccato mortali existat. *ib. n.* 8. & 9.

12. Facultatem indulgentias concedendi potest Episcopus non solùm suo Vicario, verùm etiam clerico demandare: hæc tamen potestas non potest ab Episcopo concedi laico, qui jure humano removetur à muneribus Ecclesiasticis: posset tamen Summus Pontifex de plenitudine suæ potestatis delegare laico hanc facultatem concedendi indulgentias. *ibid. n.* 10, 11, 12. & 13.

13. Episcopus potest religiosis indulgentias concedere, juxta suam facultatem: nam religiosis licitum est in hac parte subjicere se Episcopis, *ibid. n.* 15.

14. Episcopus potest gaudere & frui indulgentiis quas aliis

aliis concessit; cùm non sit deterioris conditionis alliis: potestque sibi indulgentias immediatè concedere *ibid.n.16.*

15. Abbas seu Superior religiosorum potest alios efficere participes satisfactionum, & orationum quæ fiunt in religione; quia Prælati possunt præcepto & intentione reservare partem satisfactionis subditorum, conferendam in quos ipsi designant: secus dicendum si satisfactio subditorum sit necessaria sit: nam tunc prælatus nequit eam in præjudicium spirituale sui subditi alteri applicare. *ibid. n. 19. & 21.*

16. Laici, clerici, aut etiam Cardinales non Episcopi, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante nequeunt indulgentias concedere, ut patet ex supradictis, *ib. n 22 & 23.*

17. Parochus aùt Abbas Episcopo inferior non possunt indulgentias concedere. *ibid num. 25. & 26.*

18. Ad concedendas indulgentias necessaria est causa rationabilis, quæ contineri pòtest in quolibet actu pio externo, vel interno; ex quo aliqua Ecclesiæ utilitas & gloria divina redundet. Potest tamen Summus Pontifex aliquando indulgentias absolutè concedere, nullum opus requirendo: ut si defuncto optimè de Ecclesia merito indulgentiam concedat, ut alios hoc pacto trahat ad consimilia merita. *ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

19. Quando dubitatur an Summus Pontifex justam habuerit causam concedendi indulgentias, consendus est justam habuisse causam. *ibid, n. 7.*

20. Necesse est ut susceptor indulgentiarum sit homo fidelis, viator, in gratia existens. Hinc exclude infideles nondum baptizatos, & etiam baptizatos, hæreticos, & apostatas. *ibid. punct. 5. n. 1 & 2.*

21. Susceptor indulgentiarum non debet necessariò esse in gratia per confessionem, sed sufficit ut existat per contritionem, modò in Bulla non exprimatur confessio: nam tunc necessaria est confessio, saltem quando susceptor commisit aliquod peccatum mortale post confessionem. secus dicendum si habeat tantùm peccata venialia, existatque in gratia. Non est ita statuendum de communione; nam communio requiritur tamquam conditio ad consequendam indulgentiam. *ibid. num. 5. & seq.*

22. Non tenetur iterùm confiteri ut consequatur indulgentiam, qui tempore Jubilæi confessus est, sed postea committit peccatum antequam cetera in jubilæo præscripta adimpleat:

impleat: sed sufficit, ut de illo peccato commisso contritionis actum eliciat *ibid. nu.* 9.

23. Non est necesse ut præstans opera præscripta ad consequendam indulgentiam, sit in gratia toto tempore quo singula opera præstat; sed sufficit ut sit in gratia, dum facit ultimum opus, quo posito conceditur indulgentia: hinc jejunans in peccato, obtinet indulgentiam, si in fine diei peccati remissionem obtineat. *ibid. n.* 10. & 11.

24. Qui præstitit omnia opera, vel saltem ultimum opus in peccato mortali, non consequitur indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam, quia in concessione indulgentiæ non dicitur quòd recedente fictione seu peccato obtineatur. *ibid. num.* 13.

25. Necesse est, ut qui susceperurus est indulgentiam, præstet ea quæ præscripta sunt à Superiore in concessione indulgentiæ; quia Superior concedit indulgentiã sub conditione talis operis, quo non adimpleto, non obtinetur indulgẽtia: ita ut qui faceret eleemosynam solum ob vanam gloriã, non consequeretur indulgentiam concessam facienti eleemosynam, cujus dationis finis debet esse honestus. *ibid. n.* 14. & 15.

26. Adolescens qui nondum pervenit ad vigesimũ primũ annũ, nondumq; ex præcepto Ecclesiæ tenetur ad jejunium, non consequitur Jubilæum, nisi jejunet, quoties in Jubilæo præscribitur jejunium: licitũ tamen erit extra Quadragesimã vesci ovis & lacticiniis, juxta locorũ consuetudinẽ. *ib. n.* 16.

27. Prætermittentes confessionem, vel aliud opus etiam ob justam causam, tempore Jubilæi, non consequuntur Jubilæum *ibid. n.* 17.

28. Si eleemosyna danda præcipiatur in Jubilæo, pro qualibet parva eleemosyna obtinetur indulgentia, nisi exprimatur in Bulla: *pro cujuslibet facultate. ibid. n.* 18.

29. Tam consequitur indulgentiam parvum iter faciens pro ea lucranda, quàm qui magnum peragit; quia facit id quod est injunctum *ibid. num.* 19.

30. Qui partem injuncti operis præstitit aliis omissis, non consequitur indulgentiam, nec in totum nec in partem, nisi aliter exprimatur in bulla; secus dicendum de eo qui levem tantummodo partem operis injuncti prætermittit: nam parum pro nihilo reputatur *ibid n* 20. & 21.

31. Præcipiens famulo ut daret eleemosynam, non consequitur indulgentiam, famulo eleemosynam non impendente;

dente. similiter non obtinetur indulgentia inchoato, sed non completo opere præscripto. *ibid.* 22 & 23.

23. Qui cupit indulgentiam consequi, debet opus præscriptum per se ipsum adimplere: talis enim est mens & intentio concedentis, *ibid n.* 24.

33. Cupiens præterea indulgentiam obtinere concessam visitantibus quinque altaria, non tenetur singula accedere, sed sufficit ut ex eodem loco oret versus quinque altaria. Sicuti & qui orat ante fores Ecclesiæ, obtinet indulgentiam, si Ecclesiam ingredi nequeat. *ibid n.* 25. & 26.

34. Prætermittens aliquem actum quem credebat probabiliter non esse necessarium, non consequitur indulgentiam, si talis actus re ipsa necessarius est ad lucrandam indulgentiam *ibid. n.* 27.

35. Indulgentia obtineri potest per opus internum, si concedens velit fieri opus aliquod internum. *ibid n.* 28.

36. Quæres: an uno & eodem actu, seu eadem oratione consequi possimus indulgentias diversis viis concessas? Resp. standum esse intentioni concedentis indulgentias, a quo pendet concessio indulgentiæ *ibid. n.* 29.

37. Qui plura habet grana benedicta cum privilegio ejusdem indulgentiæ, lucratur indulgentiam, ad quam consequendam suam determinavit intentionem. *ibidem, numer.* 30.

38. Potest quis uno & eodem tempore diversis actibus consequi plures indulgentias, quoties unus actus non impedit alium, sed uterque simul subsistere potest: similiter potest aliquis sæpius eodem die consequi indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam tali die, modo indulgentia concessa sit absque temporis determinatione & absolutè. Ratio est, quia qui præstat opus præscriptum ad consequendam indulgentiam, illam consequitur. *ibid n.* 31. & 32.

39. Qui non est consecutus indulgentiam propter aliquem actum, potest iterùm actum præscriptum facere ad eam consequendam, modo tempus nondum sit elapsum. *ibid n.* 33.

40 An volens Jubilæum obtinere, debeat omnia pia opera præscripta una eadem hebdomada præstare, controvertitur inter Doctores. Non opus esse major pars asserit. *ibid. num.* 34.

41. Qui legitimè fuit impeditus primis duabus hebdomadis, potest Jubilæum consequi transactis duabus hebdomadis,

madis, servata tamen formula à Summo Pontifice in Jubilæo præscripta. *ibid. num.* 36.

Indulgentiæ pro defunctis.

42 Datur purgatorium in quo animæ detinentur, donec persolverint pœnas peccatis debitas, pro quibus in hac vita non præstitere satisfactionem; ita enim postulat ratio divinæ justitiæ, quæ vult ut aliquis non evolet ad cœlum cum obligatione ad pœnam. *Ibid. punct.* 6. *n.* 1.

43. Animæ duplicem pœnam patiuntur, scilicet pœnam damni, quæ consistit in privatione visionis Dei, & est præcipua; & pœnam sensus, tum quatenus tristantur animæ ob carentiam divinæ visionis, tum quatenus vero igne torquentur; quod qua ratione fiat, an quatenus animæ involuntariè alligatæ sunt ad ignem, an per qualitatem ipsis disconvenientem, & doloris causativam productam in illis per ignem, non est hujus loci examinare. *Ibid. n.* 2. *&* 3.

44 Indulgentiæ quamvis plenariæ concessæ à Summo Pontifice pro defunctis, prosunt defunctis per modum suffragii, non per modum judicii & auctoritatis, modò applicentur defunctis in gratia existentibus. Inferiores Summo Pontifice non possunt indulgentias plenarias pro defunctis concedere, ut paulò ante ostendi. *Ibid. n.* 4 *&* 5.

45. Indulgentiæ prosunt defunctis, concessæ non per modum judicii & auctoritatis, sed per modum suffragii, id est, per modum auxilii & adjutorii Ecclesiastici illis applicati, juxta intentionem ipsius applicantis. Observa tamen, quando Papa concedit indulgentiam pro omnibus fidelibus, non comprehendi defunctos; hinc collige animabus in purgatorio existentibus non applicari indulgentias directè, sicut applicantur viatoribus, sed per modum suffragii; damnatis verò nullo modo prodesse, quia in inferno nulla est redemptio: sicuti nec etiam beatis; beati enim nullam habent obligationem ad pœnam, pro qua satisfaciendum sit per indulgentias. *Ibid. n.* 6 *& seqq.*

46 Ut defunctus fruatur indulgentiis, debet esse in gratia; cùm non possit remitti pœna, nondum remissa culpa; qui verò facit opus ad consequendam indulgentiam pro defuncto, non est necesse ut sit in gratia: facit enim opus, quo posito Summus Pontifex applicat defuncto indulgentiam,

id est, satisfactionem Christi & Sanctorum. *Ibid. num.* 11.

47. Homo in hac vita degens, potest alteri homini adhuc viventi indulgentiam lucrari; si hoc in Bulla exprimatur. *Ibid. num.* 12.

48. Quando in concessione indulgentiæ habentur hæc verba: *Qui hoc fecerit, tantam indulgentiam consequatur*, non potest aliis applicari: nam valet tantum, quantum sonat: & ob eamdem rationem indulgentia pro defuncto acceptata, tantum illi prodest, quantum prodesset accipienti, si eam pro se ipso accepisset *Ibid. n.* 13. & 14.

49. Indulgentiæ etiam plenariæ pro uno & eodem defuncto multoties accipi consueverunt, quia fieri potest ut defectus intercesserit, vel ex parte concessionis indulgentiæ, vel ex parte accipientis indulgentiam: præterea fieri potest ut Deus non acceptarit indulgentiam. *Ibid. n.* 15.

50 Animæ in purgatorio existentes, certiores fiunt, & cognoscunt per angelos custodes indulgentias, & suffragia sibi applicari, memoresque existunt beneficii accepti orando Deum pro applicantibus. *Ibid. num.* 16.

51. Moriens, accepta indulgentia plenaria statim in cœlum evolat absque dilatione & mora. *Ibid. punct* 7. *n.* 2.

52. Concessio indulgentiæ quando constat de potestate concedentis, latè explicanda est, quantum verborum sensus patitur: est enim favor & privilegium Principis Ecclesiæ, quod latam interpretationem admittit *Ibid n.* 4.

53. Indulgentiæ tamdiu durant, quamdiu concedentes voluerit durare, & non ultra. Unde collige indulgentiam absolutè & simpliciter concessam, per se loquendo, perpetuò durare: cùm enim Superior non limitet, si non est cur limitemus; consequenter non exspirat morte concedentis. *Ibid punct.* 8. *n.* 1. & 2.

54. Indulgentiæ concessæ alicui loco absque limitatione temporis, tamdiu durant, quamdiu durat locus *Ib. n.* 4.

55. Similiter indulgentia quæ alicui templo directè fuit concessa, & non ipsi situi seu solo, adhuc perseverat, si templum debita auctoritate aliò transferatur. *Ibid. n.* 5.

56. Non solùm concedens, verùm etiam ipsius successor in dignitate, potest indulgentias ab antecessore concessas revocare: nam successor reputatur moraliter una persona cum concedente, cum succedat cum eadem auctoritate. *Ibid. n.* 7.

57.

57. Si Summus Pontifex indulgentiam revocet, indulgentia non statim extinguitur, antequam revocatio perveniat ad aures eorum, quibus concessa fuerat *Ibid. n.* 8.

58. Cessante causa propter quam concessa fuit indulgentia, non cessat indulgentia; quia indulgentia perpetua concedi potest ob causam temporalem; ergo indulgentia non cessat cessante causa. *Ibid. n.* 9.

59. Indulgentia pro mortis articulo concessa, non cessat, si semel obtineatur, valetque pro quolibet mortis articulo. *Ibid. num.* 11.

60. Indulgentia concessa una tantùm vice pro mortis articulo, percipi solùm potest in vero mortis articulo: si tamen in concessione indulgentiæ præscribatur ministerium Confessarii: hujusmodi indulgentia accipi potest non solùm in vero, verùm etiam in præsumpto & probabili mortis articulo. *Ibid. num* 12.

61. Habens facultatem eligendi Confessarium, qui vigore indulgentiæ potest illum absolvere, capax est indulgentiæ & absolutionis, etiamsi sensibus destituatur. *Ib. n.* 13.

62. Non est præscripta certa & determinata verborum forma ad concedendam indulgentiam in articulo mortis, aut alia occasione. *Ibid n.* 14.

Suffragium.

63. Fideles, dum in hac vita degunt, non solùm possunt se invicem juvare suffragiis; verùm etiam adjuvare possunt defunctos satisfaciendo pro pœna ipsis debita. *tom.* 1. *de Suffragiis, disp* 6 *q.* 2 *punct.* 1 *n.* 1.

64. Suffragia quæ a fidelibus in hac vita fiunt pro defunctis, non prosunt ea offerentibus, quatenus sunt satisfactoria (cùm ea alteri applicentur,) sed prosunt quatenus meritoria. *Ibid. n.* 2.

65. Satisfactio non habet effectum infallibilem in eo, cui applicatur; quia non satis nobis constat Deum infallibiliter acceptare satisfactiones pro aliis. *Ibid. n.* 3.

66. Ut suffragium prosit alteri debet offerens habere intentionem offerendi pro eo cui prodest. Debet præterea opus fieri ab homine viatore in hac vita existente, & quidem voluntariè: ob id enim satisfactio differt à satispassione. *Ib. punct.* 2. *num.* 2. *& seq.*

67. His adde, ut opus satisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo in persona propria prosit alteri ad satisfactionem, requiri ut operans sit in gratia, prodest tamen etiam ex opere operato. Denique opus debet esse bonum, saltem ratione intentionis, sive sit opus internum, sive externum. *Ibid. num. 5 & 6.*

68. Nomine *Ecclesiæ* censetur quis orare, quando preces & orationes institutas ab Ecclesia recitat ut minister deputatus ad hoc ex præcepto, vel ordinatione. *Ibid. n. 7.*

69. Opus quod ab uno mandatur, & ab altero adimpletur, non est satisfactorium, dum uterque existit in peccato mortali: valet tamen, si præcipiens sit in gratia, & exequens in peccato mortali; modò exequens non sit causa proxima illius operis. *Ibid. n.* 8. *&* 9.

70. Quando opera fiunt per alium tamquam per instrumentum, sunt satisfactoria, quamvis ille qui ea facit, sit in peccato mortali. *Ibid. n.* 10.

71. Qui ex injuncta pœnitentia, seu alio titulo tenetur suffragium applicare defuncto, debet iterum opus præstare, si semel cum peccato præstitit; & illud non offert nomine Ecclesiæ, sed applicat in persona propria *Ibid. n.* 11.

72. Is ex cujus parte suffragium offertur, debet indigenti suffragio, esse in gratia, & habuisse remissionem culpæ, pro qua exhibetur satisfactio. Defectu harum conditionum, vel uniusillarum tantùm, suffragia applicata non indigenti, non prosunt: neque beatis, neque damnatis, aut pueris mortuis cum solo originali: neque existenti in peccato mortali, etiam peccato posteà remisso. *Ibid. punct 3. n* 1 *& seqq.*

73. Satisfactiones applicatæ existenti in peccato mortali convertuntur in utilitatem offerentis, si iis indigeat. *Ib. n* 6.

74. Non est necesse, ut ille pro quo satisfactio exhibetur, acceptet satisfactionem, & cognoscat eam pro se exhiberi: offeruntur enim ex praxi Ecclesiæ suffragia pro amicis absentibus & ignorantibus sibi suffragia offerri. *Ibid. n.* 11.

75. Peccata pro quibus exhibetur satisfactio, debent esse deleta quoad culpam; neque prodest hujusmodi satisfactio pro futuro tempore, quia non constat eam acceptari à Deo pro futuro tempore. *Ibid, n.* 10.

ADDITIO.

Indulgentia data pro mortis articulo accepta semel, expirat,

pirat, nisi aliud constet de intentione concedentis, vid Fum. *ver Indulgentia. num.* 2.

Cùm dicitur, ut visitentur aliquot in Ecclesia altaria, sufficit in ea, ad illa se orando convertere ex eodem loco.

Cùm datur indulgentia visitanti tali die Ecclesiam, semel tantùm illo die dari intelligitur. Quòd si est perpetua, aut per multos dies, ut in Jubilæi anno, toties, quoties.

Toto tempore Jubilæi potest quis absolvi à reservatis, si talis potestas per Jubilæum conceditur.

Si quis durante Jubilæo cœpit confessionem, quam oportet differri longiùs, potest tunc absolvi à reservatis, & commutari in votis; posteà verò ab omnibus absolvi, etiam quæ oblitus est reservatis.

Prædicare indulgentias indiscretas, id est, non juridicas, aut non verisimiles, mortale est.

Reservatum crimen patrans, spe Jubilæi, potest per Jubilæum absolvi. Navar. *not.* 34 *n.* 4 *&* 6. Cord. *q.* 37. de indulg. Bellar. *l. c.* 10. *contra* D. *Ant. p. 1. tit.* 10. *c.* 3.

Omnia injuncta non perficiens, etiamsi sit morbo, aut inopia impeditus, non lucratur indulgentias. Bellarm. *l. c.* 13. D. Thom. Dur. 4. *q* 10.

Infamia.

Infamia facti fit crimine notorio, vel opinione multorum virorum proborum, non sufficit autem rumor sparsus, & creditus apud aliquos, nec si sit ortus ab inimicis, nec si quis in judicio sit confessus pro condemnato, nec si per procuratorem litigans condemnetur. Tollitur verò per factum contrarium.

Repellit autem, dum durat, à dignitate, à judicando, (non autem ab arbitrando) procurando, testificando in causa criminali, accusando, postulando, & ab ordinis susceptione, aut beneficii. Vid. Sylv. ver. infamia, *cap.* 1. Fum. eod. 1. *Tollet.* Syl. *l. c.* 7.

Infamia juris fit sententia definitiva super crimine publico, aut quibusdam privatis, ut furto, usura, sacrilegio, incestu, homicidio, perjurio, adulterio: & aliquando ipso facto, ut si quis in adulterio deprehendatur, aut duas habeat uxores, aut sponsas. Quidam tamen ajunt semper requiri sententiam. Tollitur autem per principem non agnoscentē superiorem, vid. Syl *n.* 8. *&* 9. *l. c.*

Infamia juris tollit ordinis executionem, & dignitatis exercitium & honorem, & repellit à beneficii & ordinis successione. Dispensat autem Papa, & in quibusdam Episcopus vid. Syl. *l. c. n.* 15. Fum. *n.* 4.

Infamis Jure Civili regulariter est etiam infamis jure Canonico, Syl. *l. c. num.* 11.

Ob crimen læsæ majestatis infames fiunt, etiam filii & nepotes. Infamia ex delicto proprio, aut parentum, tollitur baptismo.

Non potest famæ restitutionem remittere is, per cujus infamiam Respub. læditur, si tamen remittat, liberatur infamator, ab obligatione justitiæ *Non potest*) Sot. *lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. P. N. *l. c. num.* 123. dicit prælatum famam remittentem non peccare contra justitiam. In quibusdam casibus non valere remissionem tradit Navar. *cap.* 18. *num.* 46. D. Ant. *p. tit.* 2. *c.* 1. §. 3. Tol. *l.* 5. *c.* 68. Sot. *l. c.*

Infans.

Infans quis dicitur usque ad septimum annum inclusivè, vid. *gl. c.* 4. *de temp. ord. lib.* 6.

Infidelis.

Infidelibus etiam ex causa necessitatis, aut utilitatis vendere, aut dare ea, quæ ad cultum infidelitatis præcisè inserviunt, mortale est. Cajet 2. 2 *q.* 169. *art* 2. Mol *disputatio* 34 *n.* 34. & tradere eis libros sacros comburendos etiam timore mortis, mortale est, secundùm D. August. *ep.* 164. & 174.

Infirmus.

Non tenetur æger migrare in civitatem salubriorem, aut emere valdè pretiosum pharmacum, sufficit enim uti remediis communibus. Potest & medicinam recusare ob animæ utilitatem, ubi non est mortis periculum.

Potest & fœmina ob amorem pudicitiæ, nolle medico pudenda ostendere, etiam cùm ad sanitatem videtur necessarium. *Emere valdè*) Lopez *p.* 1. *c.* 41. *in fin. Potest.*) Lopez *l. c.*

Ingratitudo.

Ingratitudo ex contemptu magni beneficii, grave est peccatum, quod pauci reputant.

Injuria.

Non tenetur quis remittere debitam sibi pro injuria satisfactionem; nec verò potest, si est subditus alteri, ut uxor, filius, religiosus. Potest verò collegium regulare, factam religioso injuriam, remittere ipso etiam reclamante, secus est de sæculari, ut Canonicorum, Syl. *ver. injuria n. 7.*

Injuriam repellere licet, etiam percutiendo, si id opus sit ad necessariam defensionem, post acceptam tamen injuriam, non licet repercutere ad vitandam ignominiam. D. Thom. & Cajet. 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. vid. Syl. *l. c num.* 6. Fum. *vers. eod. num.* 5.

Non facit injuriam, qui ut aliquem à testimonio ferendo, aut beneficio consequendo, repellat, vocat verè furem, aut homicidam, cum animo denuntiandi, aut accusandi, utitur enim jure suo, dummodo id non ex odio, & coram judice competente faciat, & crimen non sit occultum, sed probari possit. Fum. l. *c. num* 3.

Derisio ob contemptum gravior est contumelia, hæc autem gravior detractione. Hæc Ema Sa in aphoris.

Interdictum.

1. Interdictum est Ecclesiastica censura, qua homo separatur à perceptione quorumdam sacramentorum, à divinis officiis, & à sepultura Ecclesiastica. Triplex est interdictum: locale, quo directè interdicitur locus: personale, quo prohibetur populus vèl aliqua persona particularis audire divina officia: mixtum, quo interdicitur locus & persona. *to.* 1. *de Interdicto, disp* 5. *punct.* 1. *n.* 1. *&* 2.

2. Hæc tria interdicta sic inter se sunt diversa, ut interdicta Ecclesia, sacerdotes possint in alia Ecclesia persolvere divina officia. *Ibid. n.* 2. *&* 3.

3. Interdictum quo interdicitur aliqua parochia alicujus oppidi, vel civitatis, in qua sunt aliæ parochiæ, non est gene-

generale, sed speciale; quia generale interdictum est, quando interdicitur regnum, provincia, diœcesis, civitas. Similiter non est interdictum generale quando interdicuntur Ecclesiæ cujuscumque loci, cùm non remaneant interdicta omnia loca. *Ibid. num.* 7. & 8.

4. Interdictum provinciæ, vel civitatis est interdictum locale generale; consequenter sub hujusmodi interdicto comprehenduntur omnes Ecclesiæ etiam Cathedrales & Metropolitanæ *Ibid. num.* 9.

5. Interdicta diœcesi, non censetur interdicta civitas, nisi clariùs exprimatur. *Ibid. num.* 11

6. Interdictum personale generale illud est, quo interdicitur generaliter populus totius regni, vel provinciæ, vel civitatis, &c. speciale verò quo interdicitur pars populi, & communitatis, v. g. academia aliqua, vel Collegium, vel pars oppidi. *Ibid. num.* 12. & 13.

7. Interdicto clero non censentur interdicti religiosi, quia religiosi in odiosis non veniunt nomine cleri. Item interdicto populo non est interdictus clerus, & è contra, contra multos: verùm interdicta familia, interdicti censentur clerici & alii ejusdem familiæ, & interdictis Doctoribus, censentur etiam interdicti clerici Doctores. *Ibid. n.* 14. & *seqq.*

8. Interdicto populo civitatis non sunt interdicti qui habitant in suburbiis, si illi non sint de populo istius civitatis. *Ibid. n.* 18.

9. Homines communitatis interdictæ, qui absunt, ligantur interdicto, cùm sint pars communitatis interdictæ: at interdicto populo, non intelliguntur interdicti exteri alterius civitatis, quamvis ad longum tempus ibi habitent, ut sunt scholares, &c. *Ibid. num.* 19. & 20.

10. Interdicta communitate non censentur interdicti amentes, vel pueri carentes usu rationis, cùm non sint dolive culpæ capaces. *Ibid. n.* 21.

11 Interdictum personale generale intelligitur de singularibus personis, quia non interdicitur communitas abstractè sumpta, frustraque ferretur interdictum, si singulæ personæ adhuc possent divinis interesse. *Ibid num.* 22.

12. Interdicta civitate, sunt etiam interdicta suburbia, id est, ædificia quæ sunt extra muros illius civitatis, vel illis contigua, vel vicina, ad quæ possit populus confluere ad audienda divina; & hoc valet etiam si illa loca sint alterius domini,

mini, aut diœcesis ; quia alioqui parvi penderetur interdictum; propterea etiam, interdicta aliqua civitate per interdictum locale generale, censentur etiam interdictæ religionum Ecclesiæ, quæ aliàs sunt exemptæ, tenenturque religiosi hujusmodi interdictum servare, nec possunt uti privilegiis sibi concessis ante Concil. Trident. *Ib. n.* 23. *& seq.*

13. Interdicta Ecclesia, intelliguntur etiam interdictæ capellæ & cœmeterium, quia sunt unum corpus cum Ecclesia. *Ibid num.* 26.

14. Interdictum latum generaliter contra terras alicujus Principis, cadit in omnes terras ejusdem Principis, quas possidet tempore lati interdicti, quia verba generalia sunt generaliter intelligenda *Ibid num.* 27.

15. Judex qui aliquem locum interdixit, tenetur abstinere ab officiis persolvendis in eo loco quem interdixit; quod si interdictum sit personale, non includitur ipse in tali interdicto, non enim potest seipsum interdicere. *Ibid. num.* 28.

Causa interdicti.

16. Causa efficiens interdicti, à qua scilicet interdictum fieri potest, est illa eadem quæ potest alias censuras ferre: par enim est omnium ratio. *Ibid. punct.* 2 *num.* 1.

17. Papa potest interdictum ferre; Episcopus etiam nunc sine consensu Capituli: Prælati religionum (si loquamur de interdicto personali,) & Capitulum Sede vacante. *Ib. n.* 2.

18. Subjectum interdicti personalis sunt homines, in quos jurisdictionem externam spiritualem exercere potest is qui fert interdictum. *Ibid num.* 3.

19. Causa materialis interdicti est culpa, quia interdictum est pœna spiritualis, pœna autem supponit culpam. *Ibid. num.* 5.

20. Causa finalis interdicti est resipiscentia & emendatio delinquentis. *Ibid. num.* 6.

Effectus interdicti.

21. Tres nunc sunt effectus interdicti: privatio aliquorum sacramentorum, privatio divinorum officiorum, & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ; jure antiquo plures erant effectus. *Ibid. punct.* 3. *n.* 1. *&* 2.

22. Tempore interdicti localis sive generalis, sive particularis, administrari possunt quibuscumque parvulis & adultis, infirmis, aut sanis sacramenta Baptismi, & Confirmationis cum solita solemnitate *Ibid.* §. 1. *num.* 1.

23. Interdicta aliqua Ecclesia parochiali, non tenetur parochus aliam Ecclesiam, vel parochiam vicinam non interdictam adire, ut ibi baptizet, quia illius parochia quoad hoc non est interdicta, & interdictæ personæ interdicto personali generali licitum est ministrare Baptismum etiam solemniter. *Ibid nu.* 3. & 5.

24. Interdictus personaliter interdicto personali generali potest recipere sacramentum Confirmationis, & etiam ministrare si causam non dedit interdicto: secus dicendum si specialiter sit interdictus. *Ibid. n.* 4 & 6.

25. Licitum est tempore interdicti localis cum solita solemnitate, & coram interdicto ministrare Eucharistiam, solùm per modum viatici solis morientibus, id est, existentibus in probabili periculo mortis proveniente ex infirmitate, vel ex causa extrinseca; quo periculo vel privilegio cluso, non est licitum recipere Eucharistiam in loco interdicto. *Ibid.* n. 2. *n.* 1. & *seq.*

26. Quilibet Sacerdos, qui sublato interdicto habet jus administrandi sacramentum Eucharistiæ, potest illud administrare tempore interdicti in articulo mortis, modò ipse non dederit causam interdicto, vel sit ligatus speciali interdicto. *Ibid. num.* 10.

27. Nullus potest, neque tenetur in Paschate adimplendum præceptum annuæ communionis recipere sacramentũ Eucharistiæ tempore interdicti localis generalis *Ib. n.* 12.

28. Jure nouo *in cap. Alma mater*, licitum est ministrare sacramentum pœnitentiæ tempore interdicti, cuicumq; interdicto, tam sano, quàm infirmo, modò recipiens non sit excommunicatus, & non fuerit aliquo modo in causa culpabili, ob quam latum est interdictum: & quilibet Confessarius, qui similiter non dedit causam culpabilem interdicto locali, potest hoc pœnitentiæ sacramentum administrare: secus dicendum de sacramento ordinis, quod non potest administrari personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis. *Ibid.* §. 3. *n.* 1. & *seq.*

29 Nulli personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, vel particularis ministrandum est sacramen-

mentum extremæ unctionis; nisi aliquibus permissum sit ex speciali privilegio. *Ibid. n.* 4.

30. Non est licitum personis interdictis, aut tempore interdicti localis, contrahere matrimonium, nisi forte contrarium receptum sit per consuetudinem; quamvis etiam probabile sit contrarium, & jure novo licitæ sunt benedictiones quæ fiunt super conjugatos, modò fiant januis clausis, sine solemnitate, &c. *Ibid. n.* 8. *&* 9.

Secundus effectus interdicti, id est, privatio divinorum officiorum.

31. Nomine *divini officii*, quod prohibetur tempore interdicti, intelligitur id, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico, seu à persona consecrata, vel deputata ad illud officium; propterea horæ Canonicæ & sacramentalia, seu cæremoniæ sacræ, sunt officium divinum: non autem officia, quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam, *ibid. punct.* 4. *n.* 1. *& seq.*

32. Clericus tempore interdicti non eximitur ab obligatione officii divini privatim recitandi. *Ibid. num.* 5.

33. Tempore interdicti localis generalis prohibitum est celebrare Missas, & divina officia publicè (non autem secretò) in loco interdicto, uti sono organorum & campanarum pro officio; licitum est tamen uti sono campanarum pro AVE MARIA, concione, &c. aut etiam aliis de causis. *Ibid. num.* 6.

34. Dum tempore interdicti celebratur in capella aliqua ipsius Ecclesiæ, claudendæ sunt etiam januæ Ecclesiæ, sal-tem dum capella ita occludi non potest, ut officia non audiantur. *Ibid. num* 7.

35. Quando tempore interdicti campanæ adhiberi non possunt, adhibenda est tabula cum matraca, vel tuba. *Ib. n.* 9

36. Tempore interdicti generalis licitum non est extra Ecclesiam & monasterium celebrare divina officia secretò & servata moderatione; sed solùm permittitur peragere divina officia in Ecclesiis & monasteriis, non verò alibi, nisi forte etiam in hospitalibus erectis auctoritate Episcoporum: nam hæc in favorabilibus veniunt nomine Ecclesiæ. *Ibid. n.* 10. *& seq.*

37. Dantur aliquæ festivitates, v. g. Natalis Domini, Pa-

schæ,

schæ. Pentecostes, Assumptionis & Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, & Corporis Christi cum Octava, quibus licitum est tempore interdicti localis generalis, non verò specialis, celebrare Missas, & divina officia publicè & solemniter cum sono campanarum januis apertis, alta voce, admissis interdictis, etiam illis quorum causa latum est interdictum, modò isti longè absint ab altari, id est non admittantur ad oblationes, vel ad communionem. Hæ festivitates incipiunt à primis vesperis vigiliæ, usque ad completorium ipsius solemnitatis; durantque non tantùm primo die, sed & aliis: neque prohibetur etiam Ecclesiastica sepultura his festivitatibus. *Ibid. n. 14. & seq.*

38. Aliquæ personæ, ut amentes, &c. possunt admitti ad divina officia tempore interdicti localis generalis, & aliquæ non. *Ibid. num. 20.*

39. Habens privilegium persolvendi, vel audiendi divina officia, potest simul cum sua familia divinis interesse, modò inter eos non adsit aliquis qui dederit causam culpabilem interdicto. Unde infertur Sacerdotem posse secum adducere suum famulum tempore interdicti localis generalis, eoque uti in sacrificio Missæ. Idem dic de cæteris famulis assistentibus divinis officiis tempore interdicti, quatenus sunt in famulatu suorum dominorum. *Ibid. n. 23. & seq.*

40. Aliquis non interdictus potest Missam Sacerdotis interdicti audire, modò non inducat eum ad celebrandum. *Ibid. num. 26.*

Tertius effectus, id est, privatio Ecclesiastica sepultura.

41. Interdictum tam locale, quàm personale, generale, aut speciale, simpliciter latum absque ulla restrictione, privat Ecclesiastica sepultura personas interdictas, & locum ipsum interdictum. *Ibid. punct. 3. n. 1.*

42. Qui non est personaliter interdictus, potest sepeliri in loco sacro non interdicto, aut aliò transferri, modò non dederit causam culpabilem interdicto. *Ibid. n. 4. & 5.*

43. Laici tempore interdicti sepeliri possunt in campo, vel in cœmeterio ab Episcopo deputato, non tamen benedicto: hæc enim non dicitur Ecclesiastica sepultura, poterunt tamen sepeliri in loco sacro, qui habent privilegium assistendi divinis officiis. *Ibid. n. 5. & 6.*

44. Se-

44. Sepultus tempore interdicti in loco non sacro, sublato interdicto exhumandus est & sepeliendus in loco sacro. *Ibid. num.* 8.

45 Interdictus ab ingressu Ecclesiæ non potest in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri, nisi fortè dederit signa contritionis. *Ibid. num.* 11.

46. Interdictus ab ingressu Ecclesiæ potest recipere sacramenta in Ecclesia, quando non celebrantur divina officia; quia non est privatus usu sacramentorum, sed usu divinorum officiorum, & sepulturæ. *Ibid. num.* 12.

47. Interdictus non privatur exercitio jurisdictionis exterioris; consequenter interdictus, etiam nominatim denuntiatus, potest excommunicare, absolvere, &c. & à fortiori, is qui non est interdictus, potest tempore interdicti excommunicare & absolvere ab excommunicatione, etiam cum solemnitate, & indulgentias quoque concedere, imò & lucrari, si sit in gratia, & præstet requisita ad eas consequendas. *Ibid. punct. 6. n. 1. & seq.*

Pœnæ violantium interdictum.

48. Laici violantes interdictum locale generale, vel speciale, mortaliter peccant ex suo genere. *Ib. punct. 7. n. 1.* Item

49. Clerici tam sæculares, quàm regulares, violantes interdictum tam locale, quàm personale, & tã generale quam speciale, peccant mortaliter ex suo genere; faciunt enim cõtra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, nisi eos metus gravis excuset. Et clerici scienter violantes interdictum per exercitium alicujus ordinis sacri incurrunt irregularitatem: imò possunt per sententiam privari beneficiis, aliisq; pœnis affici. Dicitur *per exercitium ordinis sacri*, quia clericus violans interdictum per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, non incurrit irregularitatem, dum illam actionem facit ut laicus. *Ib n.* 3. 4. *&* 8.

50. Celebrans coram interdicto, non incurrit irregularitatem, cùm hujusmodi irregularitas non extet in jure *Ib. n.* 18.

51 Communicans cum interdicto in rebus humanis non peccat: nam interdictum prohibet tantùm officia divina, sacramenta & sepulturam. *Ibid. num.* 20.

Similiter non peccat, qui communicat cum interdicto non denuntiato nominativè. Is autem dicitur nominatim de-

denuntiatus, qui exprimitur nomine proprio, vel nom officii, vel alio signo manifestante talem personam in pa culari, *Ibid. num* 21. & 22.

Interdictum quibus casibus incurratur.

52. Interdictum locale incurritur, quando dominus re ni, vel alterius loci impedit, ne Legatus vel Nuntius Sum Pontificis suo fungatur officio; aut quando dominus alic jus territorii percutit injuriosè Episcopum, aut capit, bannit, aut mandat hæc fieri; tunc enim illius territori subjacet interdicto usque ad condignam satisfactionem c vitas verò illa remanet privata Pontificali, & dignitate qu idem procedit in civitate, quæ aliquem Episcopum invitu detinet, vel Cardinales insequitur, aut hæc fieri mandat. Item quæ exigit ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis ge dagia, pedagia, &c. de rebus quas asportant non causa negotiationis *Ibid. punct.* 8, *num.* 1. & 2

53. Præfatum interdictum quoque incurritur, dum do minus vel rector civitatis in qua moritur Papa, non præst præscripta in cap. *ubi periculum*. Item dum Episcopus & al inferiores Ecclesiastici remanent per mensem in excommu nicatione, ob culpam quam admiserunt in concedenda do mo manifestis usurariis ad fœnus exercendum. Item quan do clerici regulares, vel sæculares inducunt aliquem ad vo vendum, vel promittendum, ut in eorum Ecclesia eligat se pulturam, vel semel electam non immutet; modò bona fi des non excuset. *Ibid. num.* 4. & *seq.*

54. Interdictum personale generale incurritur, quando universitas concedit repræsalias, vel pignorationes, aut im ponit decimas, vel taleas contra personas Ecclesiasticas, aut eorum bona; aut quando aliorum concessionem non revo cat intra mensem. Idem interdictum incurritur, dum uni versitas, vel Capitula, &c. appellant à sententiis Summi Pon tificis ad futurum generale Concilium, aut ad hoc, consili um favoremve præbent. Imò in hoc casu lata est etiam ex communicatio. Similiter quando Capitulum Sede vacante litteras dimissorias infra annum à die vacationis absq; ne cessitate concedit. *Ibid. num.* 7 & *seq.*

55. Dantes causam culpabilem interdicto locali general personaliter interdicuntur. Item Capitulum & universi

non

non servans constitutionem Joannis XXII circa beneficiorum vacantium fructus. Item universitas permittens usurarios alienigenas. *Ibid. num.* 11. & 12.

56. Interdictum speciale personale ab ingressu Ecclesiæ, incurrit qui recipit Abbatiam, vel aliam dignitatem Ecclesiasticam de manu laici. Item Prælati qui sibi aliquid usurpant ex reditibus dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum sibi subditarum. Similiter Sacerdos admittens publicè interdictum ad divina officia. Inferior Episcopo ferens censuram sine scriptura, aut sine competente monitione vel expressione causæ præfatum etiam interdictum contrahit. *Ibid. n.* 14. & *seq*

57. Episcopus in visitatione aliquid quod sibi non debetur accipiens eodem interdicto ligatur. Item violans interdictum locale, saltem generale. *Ibid. num.* 18. & 19.

58. Judices Ecclesiastici, qui officiales Romanæ Curiæ, aut alios Romanam Curiam pro suis negotiis sectantes, suis beneficiis privant, & ea conferunt aliis, præter interdictum, suspensionem & excommunicationem incurrunt. Episcopi verò hoc idem facientes incurrunt solùm excommunicationem. *Ibid. num.* 20.

59. Edentes commentaria in Tridentinum, remanent interdicti ab ingressu Ecclesiæ *Ibid. num.* 21.

60. Metropolitanus non deferens intra tres menses per litteras vel nuntium Summo Pontifici suffraganeum ultra annum non residentem, præfato interdicto ligatur, & è contra. *Ibid. num.* 22.

61. An autem clerici in crimine fornicationis perseverantes huic interdicto subjaceant, diximus v. *suspensio. Ib. n.* 23.

62. Denique Cardinales, vel Prælati recipientes beneficia, vel pensiones cum simonia confidentiali, huic etiam interdicto subjacent *Ibid num.* 25.

Relaxatio ab interdicto.

63 Interdictum latum ad tempus, aut sub conditione elapso tempore, vel adimpleta conditione cessat; interdictum verò latum absolutè, auferendum est per absolutionem ab eo qui tulit, aut ab ejus superiore. Interdictum locale non cessat destructione, aut refectione ædificiorum loci interdicti, cùm solum ipsum censeatur etiam interdictum. *Ibid. punct ult, num.* 1. & 2.

64. In-

64 Interdictum potest auferri vel suspendi ab eo qui tulit interdictum in totum, aut quoad aliquos effectus immediatos, quia censura ligat ad nutum & voluntatem conditoris. *Ibid. num.* 4.

65. Episcopus potest absolvere ab interdicto locali posito à jure; non autem si interdictum sit personale publicum aut latum à Papa tamquam ab homine *Ibid. num* 5.

66. Parochus vel alius Confessarius potest jure communi absolvere ab interdicto personali, particulari non reservato. Ita *cap. nuper de sent. excomm. ibid. n.* 6.

67. Interdictum adnexum excommunicationi reservatæ non idcircò est reservatum; quia materia odiosa non est ampliandа. *Ibid. num.* 7.

68. Interdictum non censetur sublatum ex eo quòd non servetur ab eo qui illud tulit. *Ibid. num.* 8.

69. Absolutio interdicti dari potest *ad cautelam*, excepto interdicto locali generali. *Ibid. num.* 9.

70. Papa potest auferre interdictum per solam voluntatem interiorem, quia censura non ligat ultra voluntatem legislatoris: Episcopus verò non potest auferre censuram per solam voluntatem, argumento *cap.* 1. *de regul. jur.* nam ipse est subjectus juri communi. *Ibid. num.* 10.

Invidia.

Vide v. *Charitas.*

Irregularitas, Irregularis.

Vide v. *Censura.*

1 Fœmina non potest dici irregularis, cùm ipsa non sit capax ordinum: similiter neque infidelis, qui nondum recepit Baptismum, cùm non baptizatus sit incapax ordinum, & consequenter irregularitatis. *tom.* 1. *de Irregularitate, disp.* 7. *quæst* 1 *num* 3 & 4.

2 Irregularitas est canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, quod directè impedit susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum usum, ob reverentiam divinorum. *Ibid. punct.* 1 *num.* 1.

3. Irregularitas est duplex. Una dicitur ex defectu, vel in-

de-

dentia quæ provenit absque culpa: altera dicitur ex facto, seu delicto, ut ex homicidio. Irregularitatis ex defectu, & ex delicto species.

Irregularitas ex defectu dicitur
- ex defectu animi.
- ex defectu corporis.
- ex defectu natalium.
- ex defectu ætatis & libertatis.
- ex defectu sacramenti, id est, bigamia.
- ex defectu lenitatis, id est, ex homicidio illicitè patrato *ibid. n* 6 & 7.

Irregularitas ex delicto dicitur
- ex iteratione Baptismi.
- ex indebita susceptione, vel usu ordinis.
- ex actu infidelitatis, aut hæresis.
- ex infamia.
- ex homicidio illicitè patrato. *ibid.*

Irregularitatis causæ.

4. Causa efficiens sunt sacri canones, seu potiùs Summus Pontifex, qui irregularitatem induxit, eamque per sacros canones expressit; propterea Episcopus aut alii Summo Pontifice inferiores, non possunt irregularitâtes ferre, cùm ad ipsos non pertineat jus commune ferre; negandum tamen non est, quin Papa possit irregularitatem per sententiam, seu *ab homine* ferre. *ibid punct. 2. n. 1. & 2.*

5. Nulla est admittenda irregularitas ob solam auctoritatem Doctorum de consuetudine testantium: neque incurritur ob æquale, simile, vel majus delictum: quia nulla datur irregularitas quæ non sit in jure expressa. *ib. n. 3. & 4.*

6. Causa materialis, seu potiùs subjectiva in quam cadit irregularitas, est omnis homo, capax ordinis, subditus juri communi; hinc exclude infidelem aut feminam, cùm non habeant capacitatem ad ordines. *ibid n. 6. & 7.*

7. Causa formalis irregularitatis sunt verba irregularitatem exprimentia, v. g. *numquam ordinetur, ad clericatum non promoveatur, ad sacros ordines aspirare non audeat*, &c. hinc patet differentia irregularitatis à suspensione, quòd irregularitas directè privat susceptione clericatus & ordinum; suspensio vero privat usu & exercitio ipsorum ordinum. *ibid. nu. 10. & seq.*

8. Ad irregularitatem ex delicto incurrendam requiritur culpa mortalis; nec videtur probabile eam posse ferri

pro peccato veniali: præterea requiritur actus externus consummatus, neque sufficit desiderium, vel attentatio, etiamquamvis Ecclesia possit ob solam attentationem delicti irregularitatem inducere. *ibid. punct. 3. n. 1. 2, 5 & 6*

9. Irregularitas ex delicto non incurritur intervenient ignorantia probabili; sicut enim hujusmodi ignorantia excusat à culpa, ita etiam à pœna. *ibid n. 4.*

10 Actus internus non sufficit ad incurrendam irregularitatem, actus enim internus non subjacet potestati Ecclesiæ. *ibid. num. 7.*

Irregularitatis effectus.

11. Irregularitas impedit non solùm susceptionem ordinum & primæ tonsuræ, sed etiam exercitium & functionem omnium susceptorum, quando irregularitas est totalis, ut inquiunt Doctores. *ibid punct. 4. n 1. & 2.*

12 Irregularis, suscipiendo vel exercendo ordines, novam irregularitatem, vel aliam pœnam non incurrit, peccat tamen mortaliter; quamvis non prohibetur eos actus exercere, qui per laicum præstari possunt. *ibid. n. 4 & 5.*

13. Irregularitas licet occulta, facit hominem incapacem beneficii, consequenter irregularis invalidè recipit beneficii collationem; nec illud potest retinere, nisi obtenta dispensatione irregularitatis curaverit beneficium sibi de novo conferri ab eo, qui potest illud conferre; neque recipiens beneficium in irregularitate, habet jus ad fructus percipiendos, vel ad alios actus beneficii exercendos *ibid. n 6. & 7.*

14 Irregularitas non privat beneficio ante irregularitatem obtento; consequenter beneficiarius qui incidit in irregularitatem post beneficii consecutionem, potest resignare beneficium in favorem alterius; adhuc enim habet titulum & jus: nec tenetur restituere fructus beneficii, si muneri suo satisfecit per se, vel saltem per alium, *ibid. n. 8, 9 & 10.*

15. Irregularis ob homicidium, privandus est beneficio, non autem pensione, cùm pensio non veniat in jure nomine beneficii. Similiter irregularis videtur incapax jurisdictionis ordinariæ, non vero delegatæ, cùm ea non fundetur in beneficio, nec conferatur ratione beneficii, *ibid. n. 11. & seq.*

16. In dubio juris nullus judicandus est irregularis; propterea qui dubitat utrùm lata sit irregularitas, ex. gr. contra

contra surripientes, &c. si adhibita sufficienti diligentia ad rei veritatem investigandam, adhuc persistit in dubio, potest practicè dubium deponere, judicando non esse latam irregularitatem, consequenter non tenetur se tamquam irregularem gerere: censetur enim laborare ignorantia invincibili. *ibid. punct 5 n. 2.*

17. Qui habet dubium facti homicidii, judicandus est irregularis, juxta *cap. significasti.* propterea qui consulit homicidium, tenetur se tamquam irregularem gerere, quando dubitat, utrum suo consilio operatus sit aliquid circa homicidium patratum ab eo, cui dedit consilium; quia possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum; quamquam dubius facti homicidii non videatur privandus beneficio, aut aliis pœnis afficiendus in foro externo. *ibid. nu. 3. & seq.*

Irregularitas ex defectu animæ, & corporis.

18. Defectus usus rationis, litteraturæ, & fidei inducit irregularitatem, quia qui non potest ordines exercere, inhabilis est ad ordines suscipiendos, & consequenter est irregularis, sed carentes usu rationis, &c. non possunt ordines exercere; ergo, &c. *ibid. q 2. punct. 1. n. 1. & 2.*

19 Qualis autem scientia requiratur ad ordines suscipiendos, patet ex Trident. *sess. 23 cap 4.* videlicet ac primam tonsuram requiritur ut initiandus sit confirmatus, & calleat rudimenta fidei, sciatque legere ac scribere: ad minores ordines, ut teneat linguam Latinam: ad Diaconatum & Subdiaconatum, ut habeat instructionem eorum quæ pertinent ad eos ordines exercendos: ad presbyteratum, ut habeat eam scientiam, qua possit docere populum, & administrare sacramenta: ad Episcopatum, ut sit Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel in jure Canonino, &c. *ibid. n. 3.*

20 Neophyti, seu ii qui ex lege Judaica, Mahumetica, vel Ethnica nuper conversi sunt ad fidem Christianam in adulta ætate, sunt irregulares Dispensatio cum neophyto ad ordines, vel beneficia, pertinet ad Sum. Pontificem. *ibid. num. 4. & seq*

21. Ille defectus seu vitium corporis inducit irregularitatem, quod vel impedit usum, & exercitium ordinis, vel notabiliter gignit deformitatem, aut horrorem; quale vitii

est nasi amputatio, aut privatio unius oculi, aut insignis macula in oculo, quæ notabilem pariat deformitatem; secus dicendum de eo qui caret lumine & visu oculi dextri, modo habeat utrumque oculum integrum, nec sit notabilis horror vel deformitas. *ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

22. Ille est irregularis qui habet unum oculum grandiorem, seu grossiorem altero, vel utrumque ita prominentem, ut magnam inducat deformitatem. Idem dic de habente labia penitus corrosa, vel abscissa, vel nasum tam magnum, aut ita distortum, ut notabilem pariat deformitatem judicio episcopi: de surdo utraque aure, & de carente auriculis, id est, externa illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret, si hujusmodi deformitas capillorum velamine celari non possit: de gibboso, qui ita deformis est & debilis: ut se erigere aut stare recto capite nequeat. Propterea monstruosus quoque, id est habens duo capita, quatuor manus, &c. est irregularis; hermaphroditus, quando scilicet particeps est masculini & feminini sexus. *ibid n, 4. & seq.*

23. Habens sex digitos, non videtur irregularis, quoties digitus superfluus non impedit usum aliorum digitorum. Item, nec Æthiops, eò quòd non soleat horrorem parere; neque habens crura distorta; secus dicendum de carente aliquo pede: hic enim dicitur carere membro patente, & hoc verum est, etiamsi is habeat pedem ligneum, vel baculum quo accedat ad altare; est enim magna indecentia ita accedere. *ibid. n. 11. 14 & 15.*

24. Laborantes febri continua, aut infirmitate, quæ reddit ineptum ad exercitium ordinum, sunt irregulares; secus si febris sit quartana, aut levis, quæ non impediat celebrationem Missæ: laborantes quoque gravi dolore capitis, quamdiu periculum subeunt celebrando, sunt irregulares. Item, laborantes morbo Gallico, qui foris appareat cum horrore, aut lepra, vel multa scabie manuum usum impediente; aut peste, vel tussi, quæ conjunctum habeat periculum in suspicienda Eucharistia; aut laborantes morbo caduco; amentes, & furiosi habitualiter (secus dicendum de patientibus levem mentis alienationem, aut vertiginem.) Item, dæmoniaci, vel qui se dæmoniacos simularunt, sunt etiam irregulares. *ibid. num. 16. & seq.*

25. Defectus corporis non idem operatur, quando advenit ante susceptionem ordinum, ac quando subsequitur ordines

dines susceptos: nam abstemius v.g potest uti sacerdotio, excepta celebratione, si suscepto sacerdotio fiat abstemius secus dicendum, si ante susceptum sacerdotium erat abstemius; nunc enim non potest ad sacerdotium admitti, dubitaturque an possit Summus Pontifex cum abstemio dispensare, ut promoveatur ad sacerdotium *ibid. n. 25. & seq.*

26. Habens corporis defectum impedientem usum sacerdotalem, non potest ad reliquos ordines promoveri, cùm alii ordines ad sacerdotium dirigantur, *ibid. n. 28.*

27. Carentia alicujus membri, vel partis membri etiam occulti, si propria culpa contingat, inducit irregularitatem, quamvis ea membri privatio non impediat usum ordinis, neque notabilem afferat deformitatem: unde qui sibi virilia amputavit, vel permisit amputari absque justa causa, v.g. causa cantus, irregularis est; secus dicendum de eo qui per infirmitatem ea amisit, aut aliud membrum, modò non amisetit in pœnam delicti, *ibid. n. 29 & seq.*

28. Qui sponte sibi membrum vel membri partem, ex. gr digitum, vel partem digiti ex indignatione vel impatientia abscidit, irregularis; est enim sævitia in seipsum, *ibidem num. 35.*

29. Ad Summum Pontificem pertinet dispensare in irregularitate proveniente ex defectu, vel ex deformitate, vel ex infirmitate, nisi fortè conjuncta sit cum impedimento juris naturalis. *ibid. nu. 36.*

Irregularitas ex defectu natalium.

30. Illegitimus, seu is qui non est ortus ex legitimo matrimonio, est irregularis, quamvis sit occultus. Quando matrimonium est invalidum ob impedimentum occultum, filii censentur legitimi. Idem dicendum de filiis infidelium, & postea conversorum; nisi eorum matrimonium esset invalidum propter impedimentum juris naturæ. Filius non tenetur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, nisi rationibus convincatur. *ibid. punct. 3 n. 2. & seq.*

¶ 31. Illegitimus fit legitimus per subsequens matrimonium & consequenter liberatur ab irregularitate, & fit idoneus ad ordines, excepto Cardinalatu. Nec refert quòd matrimonium contrahatur post aliud cum alia celebratum, si parentes erant habiles ad contrahendum tempore conceptionis filii. *ibid. n. 6. & 7.*

32. Proles suscepta ex propria uxore post factam professionem, non est legitima, quia matrimonium fuit dissolutum per professionem. *ibid n.9.*

33. Filius expositus, probabiliter præsumendus est illegitimus, quia in obscuris inspici solet quod verosimilius est. *ibid num 10.*

33. Quando pater factus est Sacerdos de consensu, vel absque consensu suæ uxoris, sed postea uxorem carnaliter cognovit, ex eaque prolem suscepit, tunc proles inde suscepta censetur canonice illegitima & irregularis *ibid n. 11.*

35. Illegitimus peccat mortaliter recipiendo ordines absque dispensatione, non tamen incurrit novam pœnam *ibid. num. 12 & 13*

36 Irregularitas proveniens ex illegitimitate, tribus modis auferri potest; per legitimationem, sive hæc fiat beneficio juris Canonici, sive ab homine; per professionem, & per dispensationem, quæ non videtur posse concedi ab Episcopo, nisi ad minores ordines. *ibid n. 14.*

Irregularitas ex defectu ætatis.

37. Defectus legitimæ ætatis requisitæ ad ordines, inducit irregularitatem, quamdiu defectus durat, vel donec Papa dispenset. *ibid. punct. 4. n. 1.*

38. Defectus libertatis inducit irregularitatem in personis sequentibus, ita ut non admittantur ad ordines: in conjugatis, juxta v. *matrimonium*: in mancipiis omnino destitutis libertate: in obligatis ad ratiocinia, seu in iis qui obligati sunt ad reddendam rationem administrationis publicæ vel privatæ; secus dicendum de iis qui præstiterint securitatem solvendi debitum, aut curam pauperum susceperunt; in tabellionibus, Advocatis, & judicibus qui causas civiles aut causas criminales agunt, si judicium sanguinis exercuerunt. *ibid. num. 2. & seq.*

Irregularitas ex defectu sacramenti.

Vide v. *Bigamia.*

Irregularitas ex infamia.

39. Infamia est publica opinio prava de vita & moribus alicujus.

alicujus. Infamia alia est juris, alia facti. *ibid. quæst. 3 punct. 1. num 1. & 2.*

Infamia juris contingit, quando delinquens crimen suum confessus est in judicio, aut per definitivam sententiam judicis, aut quando committitur delictum, cui imposita est à jure Canonico vel civili pœna infamiæ; quale delictum est apostasia à fide, raptus mulierum, sodomia, &c. Ad incurrendam hanc infamiam requiritur sententia judicis declaratoria *ibid. num. 2.*

40. Infamia facti ex delicto contingit, quando committitur delictum quod infame censetur apud graves & honestos viros, quod delictum debet esse publicum, seu notum majori parti viciniæ. *ibid. num. 3.*

41 Infamia juris facit hominem irregularem, & inhabilem ad ordines suscipiendos, & exercendos susceptos. *ibid. num. 4.*

42. Infamia facti proveniens ex delicto, facit hominem irregularem & inhabilem ad recipiendos ordines, quamdiu delinquens non fuerit emendatus. *ibid num. 5.*

43 Infamia quatuor modis auferri potest: per emendationem, per dispensationem, per Baptismum, & per Summum Pontificem. *ibid. num. 6.*

44. Infamis in uno loco remanet infamis in omni loco, & sic non potest in ullo loco ordines aut beneficia recipere, antequam deleta fuerit infamia. *ibid num. 10.*

44. Non solùm per infamiam juris inducitur irregularitas, verùm etiam per ignominiosam professionem alicujus artis, quæ reddit hominem vilem & indignum, qualis est ars histrionis, mimi, &c. *ibid num. 12.*

46. Filius proditoris Principis, vel ejus qui manus violentas in Cardinalem injecit, infamis est, consequenter irregularis Item & filius hæretici. *ibid. num. 13.*

Irregularitas ex pœnitentia publica.

47. Pœnitentia sacramentalis vel publica, non solemnis, olim non inducebat, nec modò inducit irregularitatem, cùm non sit in jure expressa: pœnitentia verò publica & solemnis inducebat irregularitatem, & impediebat susceptionem ordinum & usum susceptorum: sed dicendum nunc nullam pœnitentiam publicam vel solemnem, hoc tempore inducere

ducere irregularitatem, nisi sit talis pœnitentiæ, quæ adjunctam habeat infamiam. *ibid. punct. 2. n. 2. & seq.*

Irregularitas ex culpabili iteratione sacramentorum.

48. Ex culpabili iteratione Baptismi publica, vel etiam occulta contrahitur irregularitas; consequenter tam rebaptizans cum peccato mortali; quàm rebaptizatus fit irregularis: imò toties incurrit irregularitatem, quoties reiterat Baptismum. quare rebaptizans & rebaptizatus ex ignorantia juris vel facti, non est irregularis; neque ille tenetur se gerere ut irregularem, qui postquam inquilivit an alter esset baptizatus, illum rebaptizavit absolutè & sine conditione, sed adhuc posteà dubitat an esset baptizatus. *ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

49. Ex iteratione Confirmationis & ordinis non contrahitur irregularitas. *ibid num. 8.*

50. In irregularitate quæ contrahitur ex iteratione Baptismi publica vel occulta, Summus Pontifex dispensare potest: nam ipse dispensare potest in jure communi: Episcopus verò non potest dispensare in rebaptizatione publica absque facultate sibi à Superiore concessa. *ibid. n. 9.*

51. Incurritur irregularitas ab eo qui differt Baptismum usque ad ægritudinem vel senectutem, quia non videtur idem voluntariè suscipere, sed coactè, neque tollitur hæc irregularitas per Baptismum, cum incurratur ob ipsam Baptismi susceptionem dilatam *ibid. num. 11. & 12.*

52. Adultus baptizatus ab hæretico, est irregularis, non autem infans, etiamsi posteà grandior approbaverit Baptismum collatum ab hæretico. *ibid. num. 13.*

Irregularitas ex susceptione & exercitio ordinum illicito.

53. Ligatus majori excommunicatione recipiendo scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata ordines sacros, incurrit irregularitatem, quamvis multi contrarium sentiant *ibid. punct. 4. num. 1.*

54. Qui uno & eodem die inscio, & non advertente Episcopo, recepit minores ordines cum Subdiaconatu, vel ultimum minorum cum Subdiaconatu, vel duos ordines sacros, incurrit irregularitatem, vel potiùs suspensionem; &

in

In hac irregularitate dispensat Episcopus solùm quando delictum est occultum. *ibid. num.* 3. & 4.

51. Recipiens ordines per saltum, non est irregularis, sed est suspensus, cùm hæc irregularitas non sit in jure expressa: ille tamen est irregularis, qui furtivè, id est, nesciente Episcopo, nec approbante, nec examinante ordinem recepit; dispensatio competit Episcopo, quamdiu delictum est occultum. *ibid. num.* 5. & *seq.*

56. Recipiens ordines sine confirmatione, non est irregularis. *ibid. nu* 8.

57. Vir conjugatus illicitè recipiens ordinem sacrum, non solùm est suspensus, sed etiam irregularis. Similiter recipiens ordines sacros ab Episcopo, qui renuntiavit dignitati, seu jurisdictioni, incurrit irregularitatem, vel saltem suspensionem, etiamsi recipiens fortè ob ignorantiam non peccaverit. *ibid. num.* 9. & 10.

58. Ligatus majòri excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiamsi sit occultus & toleratus, incurrit irregularitatem exercendo solemniter vel ex officio actus majoris ordinis, v.g. celebrando, canendo Epistolam solemniter vel canendo in choro, ut hebdomadarius, baptizando solemniter, &c. nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inadvertentiæ, vel oblivionis. *ibid. punct.* 5 *n.* 1. 3 & *seqq.*

59. Ligatus duplici censura duplicem incurrit irregularitatem, exercendo ordines sacros; nam violat duplicem censuram specie diversam. *ibid. n.* 10.

60. Irregularitate contracta ob violationem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti per exercitium ordinum solus Papa dispensat, quando delictum est publicum; & Episcopus quoque, quando est occultum ex privilegio Trident. *sess.* 24. *cap.* 7. *ibid. num* 11.

61. Clericus qui ministrat in ordine sacro, quem non habet, incurrit irregularitatem, modo scienter, & serio, & ex officio ministret; unde clericus nondum initiatus sacerdotio, qui aliquem furiò & sacramentaliter absolvit, est irregularis. Idem dic de clerico per saltum promoto exercente functiones ordinis prætermissi. *ibid. punct.* 6. *n.* 1. 2. & 8

62. Tunc aliquis dicitur actum aliquem ordinis exercere solemniter & ex officio, quando actus talis est, ut ab alio non possit exerceri quàm ab eo, qui talem ordinem habet;

quandò verò potest eodem modo ab alio exerceri, non dicitur exerceri solemniter & ex officio. *Ibid. num.* 9.

63. In irregularitate quam quis contraxit exercendo ordines quos non habebat, solus Summus Pontifex dispensat, ut accedat ad ulteriores ordines, nam ad ipsum pertinet dispensare in jure communi, & ad Episcopum, modò delictum sit occultum. *Ibid. n.* 10.

Irregularitas ex delicto hæresis.

64. Hæretici, apostatæ à fide vel religione, eorum fautores & defensores, sunt irregulares, etiamsi sint occulti; secùs dicendum de eo qui exterius hæresim profert, si interius bene sentiat. *Ibid punct.* 7. *n.* 1 *&* 2.

65. Qui pactum ineunt cum dæmone, aut ipsum colunt absque hæresi, non sunt reverà irregulares ex hoc capite, sed aliunde, scilicet ex infamia consurgente ex suspicione hæresis. *Ibid. n.* 4.

66. Ille est irregularis, qui cogitur abjurare hæresim probatam in judicio, vel qui lapsus est in hæresim; secus dicendum de schismatico, cum hæc irregularitas non habeatur in jure. *Ibid. n.* 5. *& seq.*

67. Filii hæreticorum mortuorum in delicto hæresis, sunt irregulares usque ad secundam generationem per lineam virilem, paternam: per lineam verò maternam, sunt irregulares usque ad primam, *cap. statutum, 2 de hæret.* non videtur tamen filius hæretici esse irregularis, si natus sit ante lapsum parentis in hæresim; sicut nec filii neophytorum, aut descendentium ex Judæis, vel paganis, qui Christiani novi nuncupantur. *Ibid. n.* 9. *& seq.*

68. In irregularitate ob hæresim contracta solus Summus Pontifex dispensat, etiamsi hæresis sit occulta, nam absolutio hæresis hoc tempore est reservata Summo Pontifici: non est tamen improbabilis sententia asserentium clericum conversum ab hæresi posse circa usum ordinum susceptorum dispensari ab Episcopo, usque ad Diaconatum inclusivè: imò & Episcopum jus habere dispensandi non solùm circa usum ordinum susceptorum, verùm etiam circa susceptionem ipsorum ordinum etiam per Vicarium, quamdiu delictum est occultum, ut innuit Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *de reformation. ibid. num.* 12. *& seq.*

69. Re-

69. Religiosi egredientes clausstrum ad audiendas leges vel medicinam, nisi redierint intra duos menses irregularitatem videntur contrahere, *cap. super specula. 1b. n. 17.*

Sunt qui multas alias admittant irregularitates, sed gratis eas confingunt; cùm aliæ in jure sufficienter non exprimantur. *Ibidem §. unico, per totum.*

Irregularitas ex homicidio.

70 Intentio occidendi vel mutilandi, non inducit irregularitatem, sed requiritur actualis occisio vel mutilatio hominis, & ut occidens, vel mutilans sit baptizatus & doli capax, quandoquidem actus inducens irregularitatem sit actus humanus. *Ibid. quæst. 4 punct. 1. n. 1. & 2.*

71. Clericus, aut alius justè mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium secuto effectu, fit irregularis defectu lenitatis, quæ impedit ordines suscipere, & susceptos exercere Et non solum qui occidit, vel mutilat, est irregularis ex defectu lenitatis, sed etiam mortem accelerans, aut causam propinquam mortis dans dicto vel facto. Item judex inferior Summo Pontifice ferens sententiam mortis vel mutilationis, ejusque assessores, cooperatores, satellites, &c. Notarius scribens vel legens sententiam, consultores in casu aliquo particulari in causa sanguinis, comitantes reum ad supplicium causa securitatis; item qui dicit reo, *ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum ictum*, si ob ipsius dictum reus citius mutilatur. Similiter est irregularis, qui actu pugnantibus præbet gladium ad aliquem particulariter occidendum; aut qui tradit ligna, quibus hæreticus vivus comburatur: secus dicendum de deferente crimen ad judicem, aut campanis simpliciter signum dante; aut de fabris ferrariis, vel aliis armorum fabricatoribus, conflantibus aut vendentibus gladios ad usus humanos in genere; aut de clericis assistentibus executioni sententiæ; non enim dicuntur ad illum cooperari Similiter excusatur ab irregularitate, qui ignoranter defert litteras quibus mandatur aliquem occidi, vel mutilari. *Ibid. num. 3. & seq.*

72. Ille qui clamavit adesse latrones, fit irregularis, quando suo clamore prævidit fore ut alii accurrerent, illosque occiderent, censetur enim causa mortis. Item qui satellitibus directè, vel indirectè judicando reum, fuit causa cur reus cape-

caperetur, incurrit notam irregularitatis secuta mutilatione vel morte; secus dicendum de eo qui aliquem ostendit non sciens ipsum quæri ad mortem *ibid. nu.* 18. 19. & 20.

73. Clericus qui rogat Principem ut justitiam faciat, vel ut judicet secundum jura. &c. videtur excusandus ab irregularitate; cùm hic modus loquendi videatur indifferens *ibid. n.* 21.

74. Bannitum hostemque Reipubl. publica auctoritate occidens, fit irregularis; exercens quoque officium in criminalibus, ut v.g. condemnans reum ad mortem, vel mutilationem, irregularitatem incurrit; & unam tantummodo, licet plures ad mortem condemnet *ibid. n.* 22. *& seq.*

75. Judex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, non fit irregularis, cùm degradando non cooperetur ad mortem. *ibid. num.* 27.

76. Non est irregularis ille qui habens jurisdictionem temporalem, constituit prætores ad causas sanguinis, aut qui mandat alicui ut inquirat de delictis, & justitiam faciat. *ibid. num.* 28. *&* 29.

77. Prælatus quando interrogatur quid sit faciendum in aliqua causa sanguinis, respondere potest hoc modo: facite quod leges statuunt, consulite peritos, &c. imò licitum est Sacerdoti dare consilium Principi, ut legem ferat qua fures plectantur capite; & Confessarius in simili casu potest absque periculo irregularitatis dicere pœnitenti, non te absolvam, nisi facias quod leges præcipiunt, vel nisi punias reum secundùm jura: propterea excusandus est Confessarius ab irregularitate, qui pœnitentem juridicè interrogatum hortatur ad confitendam veritatem in judicio, etiamsi reus ob confessionem veritatis puniendus sit pœna mortis: hortatur enim ad id ad quod tenetur, & præstat munus suum. *ibid. n.* 30. *& seq.*

Irregularitas qua incurritur accusando vel testando.

78. Accusans alium in causa criminali, incurrit irregularitatem secuta morte, vel mutilatione propter suam accusationem, nisi hoc faciat justè petendo satisfactionem pro injuria sibi vel suis rebus illata, & non petendo vindictam, aut accusando alterum de injuria illata personis extraneis: nam permittitur clericis conqueri solùm de malefactoribus suis, non verò de iis qui aliis damna intulerunt, modò ii qui damnum

num passi sunt, non sint propinqui clericorum. Unde fit ut clericus accusans alterum ad sui defensionem vel suorum, non incurrat irregularitatem, etiamsi mors sequatur prætermissa protestatione. Excusatur aliquando clericus accusando alium de crimine, quando crimen adeo leve est, ut non videatur dignum mutilatione; vel quando non petit vindictam, sed satisfactionem sibi debitam. *ibid. punct. 2. n 1 & seq.*

79. Tam laicus quàm clericus omittens protestationem ex oblivione in causa criminis, incurrit irregularitatem: facienda est autem protestatio coram judice his vel similibus verbis: Domine peto cures mihi satisfactionem, vel restitutionem exhiberi à Titio, qui mihi damnum intulit, protestorque me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem, Protestatio solo animo facta non prodest; nam jus requirit protestationem expressam: tamen protestatio, ficta, sufficit ad evitandam irregularitatem. *ibid. n 8 & seq.*

80. Testis ex cujus dicto mors secuta fuit, est irregularis, sive examinatus fuerit juridicè, sive non.

Clericus cogi non potest ad faciendum testimonium in causa sanguinis contra reum: potest tamen testari in favorem rei, nec fiet irregularis, etiamsi ob id sequatur mors accusatoris. *ibid. punct. 3. n. 2. & seqq.*

81. Advocatus, vel Procurator qui causam rei suscipit, non incurrit notam irregularitatis, quando sequitur mors, vel mutilatio accusatoris, qui compertus fuit calumniator; secus dicendum, si reus ex imperitia, vel negligentia Advocati aut Procuratoris adjudicetur morti. *ibid. num. 5. & 6.*

82. Advocatus, vel Procurator accusatoris fit irregularis secura morte, vel mutilatione rei, contra quem pro accusatore agebat. *ibid. n. 7.*

83. Item Procurator & Advocatus accusatoris, aut delatores criminum, aut syndici Fiscales, aut testes concurrentes in causa criminali, non excusantur ab irregularitate præmittendo protestationem; non nego tamen quin testis ex metu gravi possit excusari ab irregularitate. *ibid. n. 8.*

Irregularitas contracta ob bellum.

84. Occidens alium in bello tam justo quàm injusto, incurrit irregularitatem, cum sit causa mortis, non item procedens

cedens ad bellum, sine animo pugnandi, si occidat inimicum ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Ibid. punct. 4. num. 1. & 2.*

85. Quando diviso exercitu in duas partes, una pars occidit, altera verò non occidit, milites illius tantum modo partis quæ occidit, sunt irregulares *Ibid. num. 3.*

86. Consulens alicui Principi bellum justum contra alium non est irregularis, sicut nec ille qui hortatur alterum ad vitam effundendam pro fide Christi, vel pro tuenda Republica. *Ibid. n. 4. & 5.*

87. Tam clerici quàm laici possunt interesse bello justo absque irregularitate, etiamsi hortentur milites, ut suo fungantur munere, vel illos hortentur in genere ad pugnandum, ad fortiter se gerendum, ad vincendum, ad fidem tuendam, ad patriam defendendam. *Ibid. num 7.*

88. Præbens seu vendens arma in bello justo, non est irregularis, etiamsi arma sint offensiva. *cap. petitio tua.* modò non præbeat arma ad occidendum hunc vel illum in particulari. *Ibid num. 9.*

89 Clericus propriis manibus pugnans de licentia Summi Pontificis, non videtur subjacere irregularitati. *Ibid. n. 12.*

90. Solus Summus Pontifex potest de jure communi dispensare in irregularitate contracta causa belli *Ibid. n. 13.*

Irregularitas contracta medendo, aut chirurgiam exercendo.

91. Laicus exercens chirurgiam vel medicinam secundùm regulam artis, non fit irregularis, etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis; secus dicendum si ejus culpa ægrotus interiit. *Ibid. punct 5. n 1*

92 Clericus etiam beneficiarius exercens officium medici vel chirurgi secundùm regulam artis, secluſa aduſtione vel incisione, non est irregularis, etiamsi mors sequatur. Adde clericum majoribus ordinibus initiatum non peccare, nec affici irregularitate, incidendo vel adurendo urgente necessitate, e. g. tempore pestis, quando non adest alius qui id præstet. Item adjuvans chirurgum ad justè abscindendum membrum alicujus ægroti infectum, non incurrit irregularitatem. *Ibid. nu. 4 & 6.*

Irregularitas ex homicidio facto ad sui defensionem.

93. Occidens alium ad vitæ suæ defensionem non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem; quia hujusmodi actio non censetur injusta, etiamsi dederit causam invasionis. Sicut autem licitum est tueri vitam cum morte invasoris, ita etiam licitum est tueri membrum, seu partem vitæ; præsertim quando ex hujusmodi percussione, vel mutilatione membri sequi potest amissio vitæ *ibid. punct. 6. n. 3. & 4.*

94. Qui occidit judicem injustè sibi parantem mortem, non est irregularis. Idem dic de capto ab hostibus volentibus ipsum interficere, is enim occidendo custodem vel alium, quando aliter evadere non potest, non fit irregularis: sicut nec qui fure domi invento clamavit ad vitam, vel ad res suas defendendas, *cape, cape*; secus dicendum si clamavit, *occide, occide*, &c *ibid. n. 5 & seq.*

95. Qui alium occidit ut se defendat à gravi deformitate vultus, aut qui tradit alteri arma, ut se defendat, sed alter occidit invasorem, non est irregularis. *ibid. n. 8 & 9.*

96 Occidens alium ad defensionem sui honoris rerumque suarum, non fit irregularis, servato moderamine inculpatæ tutelæ Idem dicendum de occidente invasorem proximi cum moderamine; & hoc potiori ratione sequitur si occidat alium defendendo proximum quem tenetur defendere, ut defendendo Principem, vel aliam personam publicam, vel patrem, &c. Adde illum non esse irregularem, qui tradit arma alicui invaso ad se defendendum, & invasor occiditur ab invaso cum moderamine inculpatæ tutelæ. *ibid. num. 10.*

Irregularitas ex homicidio casuali.

97. Homicidium omnino casuale quod non est volitum in se, nec in causa, non inducit irregularitatem, cùm non sit peccaminosum, aut voluntarium *ibid, punct. 7. n. 2.*

Hinc fit ut homicidium commissum ab amente, vel furioso, non habente tunc temporis lucida intervalla, vel ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud secuturum, non inducat irregularitatem; sicut nec si commissum sit ab infante rationis usu carente, *ibid n. 3. & seq.*

98. Ho-

98. Homicidium quod non est omnino casuale, sed vo-
tum in causa, seu implicitè voluntarium, inducit irregula-
tatem: unde à fortiori homicidium inducit irregularitate
quando est voluntarium in se & directè, id est cum adverte
tia & deliberatione, ex industria, & ex proposito. *ibid. nu.* 6
& 7.

99. Dans operam rei licitæ vel illicitæ, non est reus ho-
micidii, aut irregularitatis, si debitam diligentiam adhibuit,
ne sequeretur homicidium: & hoc verum est, etiamsi res
erat periculosa homicidii, moro diligentiam adhibuit, &
modo ex illa re cui opera datur, non soleat mors ut plu-
mum sequi; tunc enim incurritur irregularitas secuta mor-
te, vel mutilatione, *ibid. n.* 8. & 9.

100 Conficiens gladios quibus aliqui postea occidun-
tur, non fit irregularis: nam censetur causa tantummodo re-
mota mortis; secus dicendum de aromatariis conficientibus
medicinas ex rebus corruptis, si hac de causa sequitur mors
infirmi. Similiter qui præbet aut consulit, aut tradi mandat
aliquid infirmo contra Medici præceptum, fit irregularis,
quoties infirmus ex illius rei traditione perit, aut notabili-
ter ipsius mors acceleratur: non esset tamen irregularis, qui
cautè & secundum regulas artis extraheret sagittam è vul-
nerato, ex cujus extractione vulneratus moreretur. *ibid.*
nu. 10. & *seq.*

101. Magister verberans discipulum excedendo modum
percussionis, & non adhibendo debitam diligentiam ne se-
quatur mors vel mutilatio, fit irregularis: secus dicendum
de judice, qui præcepit reum verberari juxta leges, sed mi-
nister adeo excessit, ut ratione illius excessus, reus mortuus
fit. *ibid n* 14 & 15.

102. Ille excusari potest ab irregularitate, qui leve vul-
nus alteri inflixit, ex quo tamen vulneratus periit ex sua in-
temperantia, aut ex injuria vel incuria medici. *ibid. num.* 16.

103. Ille est irregularis in foro conscientiæ, qui consuluit
Titio occidere Cajum, sed accidit ut ipse occisus fuerit à
Cajo. *ibid. num.* 17.

Idem dicendum de eo qui inter dormiendum interemit
infantem in lecto, eo quod non adhibuerit debitam & suffi-
cientem cautionem præscriptam in tenendo infantulo in le-
cto Projiciens lapidem in Titium fit etiam irregularis, si la-
pis. Titio illum declinante, concidit in Cajum, illumque
occidit,

occidit, quia censetur actionem periculosam homicidii exercuisse absque sufficienti diligentia. Similiter ille est irregularis, qui reficiens tectum, tegula occidit transeuntem; si non monuerit, aut signum de more non exposuerit. Item sunt irregulares, qui hyeme se pellunt pilis niveis si mors sequatur, aut oculus eruatur; secus dicendum de saltante cum muliere gravida saltatione consueta & moderata; si abortus sequatur fœtus animati. *Ibid. n.* 18. *& seqq.*

104. Insidens equo, non est habendus pro irregulari, quando equus fractis habenis puerum in via existentem conculcavit & interfecit, mors enim censetur omnino casualis. *Ib. n.* 23.

105. Ille non est quoque irregularis, qui domi diligenter custodit feram, quæ absque ipsius culpa soluta, aliquem occidit; secus dicendum de eo qui feram vinculis constrictam in platea detinet, quæ incautè accedentes occidit. *Ibid num.* 24.

106. Detegens bona fide in conventu hominum adulterium mulieris, non est irregularis, si unus adstantium deferat ad virum adulteræ, & mors inde mulieri sequatur. *Ibid. num.* 25.

107. Ille est irregularis, qui ioco (excipe pueros) terrorem incutit alteri, estque causa, ut alter eo terrore commotus & perterritus, se det præcipitem *Ibid. num.* 26.

108 Ad incurrendam irregularitatem ex homicidio injusto non omnino casuali, requiritur culpa mortalis *Ibid. num.* 27.

Irregularitas ex homicidio injusto voluntario.

109. Voluntarium simpliciter dicitur illud, quod intenditur ab agente, voluntarium autem indirectè non intenditur in se directè; explicitè reputatur tamen intentum in actu exercito, eò quod aliquid actum fiat per se & immediatè ordinatum ad illum effectum. Idem dicendum respectu consulentis, vel mandantis, *Ibid punct.* 8. *num.* 1. *&* 2.

110. Membrum propriè dicitur pars illa corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus. *Ibid. num.* 3 his positis:

111. Homo baptizatus occidens vel abscindens alterius membrum voluntariè simpliciter vel secundum quid, vel casualiter cum mortali culpa, est irregularis secuta morte, aut mutilatione. Propterea mutilans membrum alterius, vel majorem partem membri, e.g totam ferè manum, est irregularis, etiamsi membrum debilitatum esset, vel aridum, (contra non-

nullos) modò mutilans non sit chirurgus, vel medicus, qui hoc faciat ex præscripto artis; secus dicendum de debilitante vel reddente inutile membrum; hic enim non dicitur mutilare vel occidere; aut de eo qui reddit aliquem cæcum non eruendo illi oculum; aut alteri digitum abscindit, cùm digitus non sit propriè membrum; aut mutilat cadaver, quia hæc non dicitur hominis mutilatio. *Ibid. num. 4 & seq.*

112. Mandans expressè vel tacitè homicidium vel mutilationem, reus est homicidii vel mutilationis, consequenter est irregularis, & tenetur ad restitutionem, nisi expressè aut tacitè revocaverit mandatum, & illius revocatio innotuerit mandatario *ibid. n.* 13

113. Qui mandavit verberare, percutere, vel capere, &c. imponendo expressè ne occideret, & curaret ne occideretur: & nihilominus mandatarius inimicum re ipsa occidit, reus est homicidii, quia mandavit actiones quæ sunt periculosæ mortis *Ibid. n.* 18.

114. Consulens homicidium illi qui paratus non erat ad homicidium patrandum, reus est homicidii & irregularitatis secuta morte, vel mutilatione, dummodo tamen consulens non retraxerit influxum suum. Idem dicendum de consulente homicidium quod alter consuluisset, aut de occidente Cajum, quem alter occisurus erat, qui aliter moriturus erat; nam ipse efficaciter influit in homicidium vel mutilationem, secutam ob suum consilium; secus dicendum de suadente Cajo homicidium, quod adhuc commisisset absque consilio & suasione; nam in hoc casu consulens, non censetur causa efficax homicidii. *Ibid. n.* 19. *& seq.*

115. Qui suo dicto influit in homicidium, aut consilium dat alteri in casu illicito capiendi arcem per proditionem, & inde mors alicujus sequitur, est irregularis; sicut & qui dat consilium faciendi abortum fœtus animati anima rationali, secuto tamen effectu *Ibid. n.* 25 *& seq.*

116. Auxiliantes, aut cooperantes ad homicidium, rei sunt homicidii, & consequenter irregulares secuta morte, vel mutilatione. Propterea quando plures de communi consensu aggressi sunt Titium, qui Titius ex uno tantùm vulnere perit, omnes rei sunt homicidii, & consequenter irregulares, etiamsi non omnes percussérint: nam omnes cooperati sunt ad homicidium concitando se & consulendo homicidium; secus dicendum si in subita quadam rixa vulnera inflixerint, & unus tan-

tantùm lethale vulnus inflixit, nam ille tantùm videtur reus homicidii Quòd si non constet quis vulnus lethale intulerit, debent omnes se tamquam irregulares gerere.

117. Ille non est censendus irregularis, qui rixam habens cum Titio, admonet accurrentes in sui auxilium, ne quid mali Titio inferant, etiamsi accurrentes occidant Titium intuitu illius. *Ibid. n.* 28 & 29.

118. Qui voluntariè non impedit homicidium quod tenetur ex justitia impedire, incurrit irregularitatem homicidii voluntarii, ut accidit, quando quis tenetur ex officio, vel ex stipendio, vel ex promissione alterum defendere, & non defendit peccat enim contra justitiam non impediendo; & censetur causa moralis homicidii: hinc sequitur Principem non impediendo neces, judicem non impediendo injustam sententiam contra vitam innocentis, Medicum non curando eos à quibus pretio conductus est, dominum non adhibendo debitam diligentiam, ne animalia quæ sub suo dominio vel custodia existunt, nocumentum aut vulnera inferant, ligari irregularitate secuta morte. *Ibid. n.* 37 & *seq.*

119. Ratum habens homicidium suo nomine factum ipso inscíente, non est reus homicidii, consequenter neque irregularitatis, cùm nihil influat, quamvis graviter peccet propter effectum ad homicidium. *Ibid num.* 42.

120. Summus Pontifex dispensare potest in qualibet irregularitate proveniente ex homicidio justo vel injusto, voluntario vel casuali, & Episcopus similiter in homicidio occulto casuali, aut patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ; non potest tamen Episcopus dispensare cum eo qui alium occidit in rixa inopinato suborta, etiamsi homicidium sit occultum. Item non potest Episcopus dispensare cum eo qui contraxit irregularitatem occidendo in bello justo, etiamsi occisio sit occulta, quia est voluntarium homicidium. *Ib. punct. ult. num.* 1. 9 & 10.

121. Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem dispensare non possunt in irregularitate ex casuali homicidio, vel ex mutilatione proveniente, quia illa facultas Episcopis concessa, est specialis & extraordinaria, consequenter non est extendenda ad eos, qui vere & propriè non sunt Episcopi. *Ibid. num.* 12.

122. An verò aliqui religiosi dispensare possint, standum est eorum privilegiis. *Ibid. num.* 1.

Dispensatio irregularitatis.

123. Summus Pontifex dispensare potest in omni irregularitate jure humano introducta; sicut enim potest legem condere, ita etiam potest eam per dispensationem abrogare, *ibi quæst. 5. punct. 1 n. 1.*

124. Probabiliter sustineri potest, ablata lege irregularitatem inducente, censeri etiam ablatam irregularitatem ante contractam, modò abrogatio legis simpliciter & absolutè fa... *Ibid num. 2.*

125. Episcopus dum in sua diœcesi existit, dispensare potest cum suis subditis in irregularitatibus provenientibus ex defectis occultis, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentiosum. Dispensare potest etiam cum religiosis seipsos illi subjicientibus in iis casibus, in quibus potest cum suis subditis dispensare. Hæc facultas dispensandi quam habent Episcopi ex privilegio Tridentini non est extendenda ad alios Prælatos habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. *Ibid. num. 3. 4. &*

126. Episcopus dare potest facultatem alteri, qui secum dispenset in iis casibus, in quibus dispensare potest cum suis subditis in irregularitate & in censuris, quia favores sunt ampliandi; & eo ipso quo Episcopus aliquem irregularem admittit ad ordines, aut concedit litteras dimissorias, censetur cum eo dispensare in irregularitate, aut concedere facultatem, ut dispensetur ab alio Episcopo; modò sciat ordinandum esse irregularem, & intentionem habeat dispensandi. *Ibid. n. 8 &* 9.

127. Omnis irregularitas saltem consurgens ex propriodelicto tollitur per Baptismum, seu potiùs, homo non afficitur irregularitate ob defectum existentem ante Baptismum, nisi defectus adhuc perseveret post Baptismum. *Ibid. punct. 2. n. 1.*

128 Per professionem in approbata religione tolluntur irregularitates in jure expressæ, v. g. ea, quæ provenit ex defectu natalium: hæc tamen irregularitas aufertur per professionem solùm quoad ordines, non verò quoad prælaturas. *ibid. num. 2. &* 3.

129. Irregularitas aufertur ablata causa, ob quam fuerat inducta, quoties irregularitas fertur pro tali tempore, quo durat talis causa: propterea irregularitas ex defectu ætatis, tollitur sublato ætatis defectu per adventum legitimæ ætatis. *Ib. n.* 5.

130. Ir...

130. Irregularitas tolli potest per facultatem à Summo Pontifice concessam, aut etiam collatam ab Episcopo in iis casibus, in quibus Episcopus jure ordinario dispensare potest *Ibid num.6.*

131. Facultas dispensandi concessa à Papa sub hac conditione, *si resita est*, expirat morte Papæ re adhuc integra; quia hujusmodi facultas est veluti mandatum, mandatum autem expirat morte mandantis. *Ibid, num.7.*

132 Habenti facultatem absolvendi ab omnibus censuris & sententiis, non censetur concessa facultas absolvendi ab irregularitatibus contractis ex delicto, nisi facta sit illius expressa mentio. *lb.n 8.*

133 In concedenda & obtinenda dispensatione, requiritur, ut dispensatio signo aliquo externo sufficienter manifestante voluntatem Superioris, exprimatur: requiritur præterea justa causa, & ut exprimatur species irregularitatis, seu delicti; alioquin obstrictus pluribus irregularitatibus, nullius validè obtinet dispensationem, cùm non constet in quanam fuerit dispensatus. *Ibid. punct. ult. num.1.*

134. Qui obtinuit facultatem dispensandi in irregularitate. potest cum eo dispensari, si obtenta facultate denuò incidat in irregularitatem: nec est necesse in concedenda dispensatione dicere, *dispenso te toties, quoties incurristi*; sed sufficit dicere, *dispenso te super irregularitate. Ibid n.2. & 3.*

135 Obtinens dispensationem ob unam causam, non censetur dispensatus in irregularitatibus contractis ob aliam causam, nisi reverà Superior intendat generaliter dispensare *Ibid. num.5.*

136. Non extat certa & determinatà verborum forma in concedenda dispensatione irregularitatis; nullo enim jure probatur eam requiri: hæc tamen communiter adhiberi solet: *Dispenso tecum in irregularitate, vel irregularitatibus quas obtalem, vel talem causam contraxisti, teque habilem efficio ad susceptionem & executionem ordinum, & officiorum tuorum, quantum possum. In nomine Patris, &c.* Valida tamen est dispensatio obtenta sub hac forma: *Absolvo te ab irregularitate, quam contraxisti, &c. ibid. num 7.*

ADDITIO.

Irregularitas est, vel ex defectu, vel ex delicto: ex defectu, quan-

quando homo defectum habet, ob quem à jure repellitur sacris ordinibus fuscipiendis, vel exercendis Ex delicto, quando quis ob delictum aliquod patratum, ab iisdem arcetur.

Observandum, nullam esse irregularitatem, & numquam contrahi, nisi sit in jure expressa.

Multæ sunt irregularitatis species ex defectu, nam sunt ex defectu vel natalium, vel originis, vel libertatis, vel ætatis, vel honestæ famæ, vel corporis, vel animæ, vel sacramenti.

Quando dubium est, an aliqua irregularitas sit in jure, judex non debet aliquem irregularem putare, & quando dubitatur, an aliquod factum juris irregularitatem inducat, juxta ut quibusdam videtur, potest hominem irregularem existimare, quod negat Innocentius: Panormit. distinguit, inter forum contentiosum, & forum pœnitentiale.

Quando agitur de imponenda pœna, ubi nullum est animæ periculum, vera est Innocent. doctrina, quando autem agitur de pœna salutem animæ respiciente, in dubio debet homo irregularis reputari. sic Panormit. Toletus explicat.

Iudæus.

Cessante periculo, non est mortale, cum Judæo conversari, etiam simul habitando, non tamen ejus medici opera uti eodo, juxta Constitution. Gregor. XIV. vid Fum. *vers. Iudæus. num.* 2 3. 5. Sylv. *vers eod.* de hac re multa Azorius *l.* 8. *c.* 22. Prohibet tamen *c. nullus.* 28 *q.* 1. vid *c omnes. ibid.*

Licet ei vendere ea, quibus utitur in ceremoniis suis, sed non ea intentione, ut utatur, nec cùm certò scitur illis abusurus. Cajet. 2. *q.* 269. *art.* 2 Mol. *dist.* 340

Quidam tamen negant, lege Azor. *l. c. q.* 5.

Judæi non sunt prohibendi celebrare suos ritus, aut reficere suas Synagogas. vid. Azor. *l. c. c.* 6.

Aiunt quidam, posse Principem non habentem superiorem in temporalibus, permittere Judæis usuras, si ita expediat Reipub. Licet enim permittere mala minora, ad evitanda majora, ut apparet in meretricio. vid. Azor. *l.* 3. *c.* 21. *quæst.* 15. Nav. *c* 27. *n.* 143. *& con.* 3. *de usu.* Sylv. *usura.* 9 *q.* 22.

Christiana nutrix, extra Judæorum domus, eorum infantes nutrire potest, juxta Zabarell. quod negat Ant. de Bu. Joan. Andr. Abbas, Azor. *l. c. c.* 22 *q.* 9.

Iudex, Iudicium publicum.

Vide v. *Accusator, Reus.*

1 Potestas & jurisd & o sive ordinaria, sive delegata, sive arbitraria, sive accessoria requiritur, & adeò necessaria est judicio; ut sententia lata sine potestate & jurisdictione invalida sit, quia nihil fieri potest sine potestate. *tom. 2 circa octavum Decalogi præceptum, disp. 10. q. 2. punct 1. n. 1. & 3.*

2. Clerici exempti sunt à laica potestate, fiuunturque privilegio fori, etiamsi gravia delicta commiserint: hinc qui habitum clericalem commisso delicto suscipit, non potest a laica potestate judicari, nisi forte habitum clericalem susceperit in fraudem *Ibid. §. 1. num 5. & 15.*

3 Nomine autem clericorum veniunt non solùm Cardinales & Episcopi, verùm etiam initiati sacris aut minoribus ordinibus, aut sola prima tonsura, & religiosi cujuscumque ordinis aut sexus; imò etiam conjugati, modò habitum & tonsuram deferant, abstineant ab armis deferendis, & modò non sint bigami bigamia vera vel interpretativa. Secus dicendum de familiaribus Cardinalium, Referendariorum, aut Episcoporum, qui non sunt propriè personæ Ecclesiasticæ. *Ibid. §. 2. num 3 & 4.*

4 Laici non possunt per consuetudinem acquirere jurisdictionem in clericos, etiamsi consuetudo sit immemorabilis, & clerici vel Episcopi consentiant; quia particulares cedere non possunt privilegio toti communitati clericorum concesso. Possunt tamen laici ex privilegio Summi Pontificis jurisdictionem in clericos acquirere, donec hujusmodi privilegium revocetur. *Ibid §. 3. num 1 2 & 4.*

5. Casus in quibus clericus foro sæculari & laico subjiciuntur, sunt degradatio, bigamia, vel vera vel interpretativa, susceptio habitus clericalis in fraudem, causa feudi (hinc infertur clericum teneri stare juramento fidelitatis præstito Domino directo feudi.) causa reconventionis in civilibus tantum, & modò reconventio fiat in continenti; præterea dum (juxta nonnullos) clericus enormitatibus se immiscet, vel effectus est incorrigibilis, quamquam sola incorrigibilitas, per se loquendo, non sufficit: sed adhuc requiritur ut clericus incorrigibilis brachio sæculari tradatur. *Ibid. §. 4 num. 1. & seq.*

6. Cle-

6. Clericus cui reservata est pensio tamquam clerico, non gaudet privilegio fori dum habitum & tonsuram non defert secus si habet præstimonium, vel aliud quod in titulum dari soleat, vel aliquam beneficii collationem, etiamsi nondum obtinuerit possessionem, licet aliqui oppositum sentiant. *Ibid. n.12. & 13.*

7. Qui consuetudinem habet dimittendi habitum, ita ut publicè laicus existimetur, amittit privilegium fori; secus si aliquoties dimittat & clericus adhuc existimetur. Similiter clericus minoribus initiatus habitum & tonsuram non defert, amittit privilegium absque alia monitione; si verò beneficium habeat, aut sacris ordinibus initiatus sit, non amittit privilegium, nisi ter specialiter admoneatur, ut habitum clericalem deferat. *Ibid. num.13. & 16.*

8. Clericus qui ob impotentiam, vel ob aliam justam causam clericalem habitum juxta sui loci consuetudinem non defert, non amittit privilegium fori. Quod si controvertatur an habitus sit clericalis, vel an aliquis sit clericus, cognitio pertinet ad Prælatum Ecclesiasticum, & interim laicus judex supersedere debet ab actibus judicialibus. *Ibid. num 17. & seq.*

9. Clericus qui in re aliqua in Tridentino præscripta deficit, ob idque foro laicali subjicitur, non solùm à judice laico, verùm etiam ab Ecclesiastico judicari potest, quia Ecclesia non abdicavit à se jus cognoscendi de criminibus clericorum. *Ibid. num.20.*

10. Clericus initiatus minoribus, si Ecclesiæ serviat, cui ille servire Episcopus non præcipit, non gaudet privilegio fori. *Ibid. num.21.*

11. Qui privilegium fori amittit, non propterea amittit privilegium Canonis, nisi sit bigamus, vel nisi sit conjugatus, simulque habitum & tonsuram non deferat, aut nisi habitum omnino dimiserit. *Ibid. num.22.*

12. Clericus conveniens alium clericum coram laico judice incompetente, committit culpam sacrilegii, & pœnam excommunicationis incurrit. Idem dicendum de judice incompetente personas Ecclesiasticas puniente, vel judicante. *Ibid. §.5. n.1. & 2.*

13. In judice præter potestatem & jurisdictionem, requiritur adhuc veritas: ita ut non possit judex ferre sententiam mortis contra innocentem, quem privatim certò cognoscit innocentem, sed in judicio probatur noçens. Idem dic

dic de ministro justitiæ, qui non potest sententiam exequi occidendo innocentem, quamvis inde sibi timeat privationem officii; non enim sunt facienda mala ut eveniant bona; ferre autem sententiam contra innocentem, intrinsece malum est. In causis tamen civilibus, aut etiam in criminalibus minitioribus judicandum est secundùm allegata & probata. *ibid punct. 2. n 1. & seq* Item,

14. Judex non potest condemnare eum, quem secretò novit nocentem, sed innocens in judicio publico probatur, & hoc valet non solùm in judice inferiore, verùm etiam in supremo, non solùm in causa criminali, verùm etiam in civili, secus si crimen sit publicum, aut plenè probari possit, sed non expediat illud in judicium afferre *ibid. n. 5.*

15. Judex in conferendis officiis & beneficiis, non tenetur publicam scientiam sequi, quia potiùs censetur tunc distributor quàm judex, debetque pro meritis ex re ipsa, non autem ex testibus desumptis officia distribuere. *ibid. num. 7.*

16. Præterea in judice necessaria est scientia qua rectè sciat suo munere fungi, & puritas in recta intentione; non peccat tamen judex, per se loquendo, judicium ferens dum lethalis culpæ conscientiam habet. Item tenetur adhuc judex causas celeriter expedire. *ibid. punct 3. num 1. & seq.*

17. Sententia injusta lata ex odio vel prava intentione, vel favore partis valida est, quia in ea nihil deest essentiale; secus dicendum de sententia lata non servato juris ordine, aut lata contra veritatem facti, aut fundata in falsa præsumptione; hæc enim non valet neque obligat in conscientia *ibid punct. 4. num. 4. & seq.*

18. Quæres, quæ sit forma juris quam judex in modo procedendi servare debet? Respondeo triplicem esse modum procedendi, nimirum vel per denuntiationem, vel per accusationem, vel per inquisitionem. Ad modum procedendi per inquisitionem generalem non requiritur infamia prævia, vel accusatio, vel denuntiatio: ad modum autem procedendi per inquisitionem specialem, necessaria est infamia, vel clamorosa insinuatio: neque ad eam præcisa consuetudine in contrarium sufficiunt sola indicia manifesta. *ibid. punct 5. num 1. 7. 10 & 12*

19. Modus verò procedendi per inquisitionem mixtam, qua inquiritur specialiter de persona; & generatim de crimine, requirit prævium infamiam, vel semiplenam probationem

nem & accusationem, aut saltem manifesta indicia juxta receptam loci consuetudinem: hinc sequitur quando commissum fuit homicidium, de quo publicè constat, posse in genere inquiri, quis illud commiserit; non posse verò inquiri in specie, nisi præcesserit infamia vel semiplena probatio. Excipiuntur tamen aliqui casus, videlicet quando inquisitio vel manifestatio necessaria est ad impediendum malum futurum publicum aut privatum, præsertim animarum, ex. grat. impediendum crimen læsæ majestatis, aut hæresis vel apostasiæ, quia hæc crimina nimis perniciosa sunt Reipublicæ & quando judex in generali inquisitione comperit aliquem deliquisse; tunc enim procedere potest ad specialem inquisitionem. Idem dicendum quando proceditur non ad punitionem, sed ad conferendum beneficium ad dispensandum in voto, ad celebrandum matrimonium, ad eligendum, &c. *ibid. n. 13. & seq.*

20. Judex via accusationis juridicè procedit, quoties delata accusatione interrogat testes, & posteà habita saltem semiplena probatione procedit ad interrogandum reum: nonnunquam aliquando procedit per querelam, aliquando per inquisitionem cognito delicto. *ibid. punct 6. n. 1. & 3.*

21. Judex via denuntiationis juridicè procedit, quotiès crimine de aliquo ad ipsum delato ex officio procedit ad capiendas informationes, & examinandos testes nominatos à denuntiatore, vel alios quos ipse judex inquirendo ex officio comperit informatos, quibus positis legitimè accedit ad examinandum delinquentem: excusari tamen potest praxis judicum sæcularium, qui ex denuntiatione publici officialis, vel alterius privati ad id muneris deputati, vel ex querelâ partis accedunt ad accipiendas informationes, & iis habitis specialem inquisitionem formant *ibid. num. 4 & 5.*

22. Judex tenetur ad restitutionem, si non servavit ordinem juris in judicando; nam censetur causa injusta damni. *ibid num 6.*

23. Petes, an judex pœnam à lege taxatam remittere possit? Resp. Judex inferior præciso communi bono, non potest pœnam à lege taxatam remittere, arbitrariam verò potest augere vel minuere; secus dicendum de supremo: is enim potest justa de causa pœnam in jure taxatam relaxare, etiam recusante parte. Non debet tamen judex se facilem exhibere in liberando reo, aut in commutanda pœna corporali in pecunia-

cuniariam: nam sub spe istius commutationis, divites occasionem arriperent liberiùs peccandi. Prætereà judex non potest, per se loquendo, eum ad mortem condemnare, à quo delicti confessionem extorsit promissione impunitatis, aut minis, vel deceptionibus; nisi alioquin magnum immineat Reipublicæ damnum. *ibidem, punct 7. num.* 1. 3. & 8.

24. Potestne judici aliquid tradi, & ab eo accipi? Resp. judices tam sæculares quàm Ecclesiastici, aliquid loco stipendii à litigantibus pro exercendo justitiæ officio accipere possunt, modò aliunde non sit illis assignatum; beneficiarius tamen non potest quidquam accipere, si beneficio est adnexum onus judicandi; quia beneficium datur propter officium, consequenter datur ad supplendâ onera beneficio adnexa. *ibid punct.* 8. *n.* 2. & 3.

25. Judex Ecclesiasticus ordinarius non potest quidquam pro assessore accipere. Secus de judice sæculari, aut etiam de judice Ecclesiastico delegato, modò nihil in fraudem accipiat, ut si assessor inutilis sit *ibid n.* 4.

26. Judex Ecclesiasticus tam ordinarius, quàm delegatus, præcisa legitima consuetudine in contrarium, non potest munera vel sportulas accipere, potest verò xenia, id est, esculenta, vel poculenta: & judex sæcularis non solum potest xenia, verùm etiam aliquas sportulas, id est, etiam munera pecuniaria accipere. *ibid. num.* 5. & 6.

27. In Extravaganti Bonifacii VIII *in rubrica de sententia excommunicationis, quæ incipit, Excommunicamus*, &c. lata est excommunicationis pœna contra dantes aliquid notabile, vel recipientes, promittentes, vel promissionem acceptantes pro gratia vel justitia obtinenda in Curia Romana, item contra præbentes consilium, auxilium, vel favorem, contra scientes & non revelantes eos qui ex pacto tacito vel expresso dant vel recipiunt aliquid pro gratia vel justitia, beneficio, aut pensione obtinenda in Curia Romana; & contra eos qui justitia & gratia sic obtenta scienter utuntur. Advertè tamen promittentem aliquid pro gratia vel justitia non subjacere pœnis hujus constitutionis altero promissionem non acceptante. Idem dicendum de eo qui fictè promittit, quia promissio ficta non est promissio. *ibidem §. Incid. num.* 1. 8. & 9.

28. Pœnæ hujus constitutionis non incurruntur quoties aliquid

aliquid datur alio titulo pro gratia vel justitia, ut si tradatur pro salario (quamvis adsit excessus, modò excessus non detur pro gratia,) aut si tradatur prò labore, vel diligentia ad quam alter non tenebatur. Et qui tradit vel recipit post gratiam, non ligatur his pœnis, modò det vel recipiat solùm titulo gratitudinis. *ibid. n.* 14. & 15.

29. Sciens aliquod delictum contra hanc constitutionem, excommunicationem incurrit non denuntiando: tenetur tamen delinquentem admonere antequam denuntiet, si fructum ex hujusmodi correctione speret. *ibid. n.* 18. & 19.

30. Denique ad incurrendas has pœnas non est necessaria consecutio gratiæ, vel justitiæ, sed sufficit aliqua actio eis quæ principaliter vetitæ sunt. *ibid. num.* 21.

ADDITIO.

Quæstione orta inter judicem Ecclesiasticum, & sæcularem super jurisdictione, Ecclesiasticus judicabit ad quem pertineat, alioquin ad quemvis judicem ordinariè pertinet cognoscere in dubio, an sit sua jurisdictio. Cova. *pract. quæst. cap.* 33. *num.* 1.

Potest Ecclesiasticus retinere sibi pœnam pecuniariam, à se, aut à statuto impositam, sed præstat dare in usus pios.

Judicem quidem ajunt, peccare mortaliter, si non visitet carceres & curet provideri pauperibus, quod Emm. Saa probatur

Judex, potest assumere assessorem expensis partium.

Potest, si est consuetudo, accipere aliquid pro salario, & esculenta munera sponte oblata, modò non sint grandia. *Esculenta*) *c. statutum. de rescrip. lib.* 6, Azor. *l.* 5. *c.* 28.

Judex. quem scit innocentem, si non possit eripere, ut clam aperiendo carcerem, aut aliter, potest, & debet judicare secundùm allegata & probata, nisi sit Princeps: hic enim potest, & debet eripere. Ita multi Doctores: quod improbatur Emm. Saa. De hac re Salo. *quæst.* 67. *art.* 2. Bannes 161. Cajet. 16. Sot. *l.* 5. *q.* 4. *art.* 2. Covar. *l.* 1. *var. cap.* 1. Val *t.* 3 *d.* 1. *q.* 11. *p.* 2. Tol. *l.* 5. *c.* 16. ex D. Thom. & commu. Azo. *l.* 2. *c.* 17. *quæst.* 8. *quod improbatur.*) Opinionem Sa sequuntur Lyr. *in Exod* Io. Arb. *lib.* 9. *cap.* 10 *Theosop.* Pan *in c. pastoralis de offic. deleg.* Rosell. *Iudex* 1. *q.* 18. Aug. *judicare n.* 7.

Judex in lite difficili potest partes cogere ad compositionem,

nem. Judex non potest punire eum, à quo contra juris ordinem confessionem extorsit. Solo. *q* 69. *art.* 2. *contr.* 3. *corol.* 2. Sot. *de rat. teg m. p.* 3. *qu.* 1. *concl* 3. vid. Nav. *cap.* 18. *n.* 59. P. N. *l.* 2. *cap.* 3 *n.* 242.

De modo procedendi.

Non proceditur contra aliquem sine accusatore, vel infamia, quæ est velut accusatio, nisi Princeps aliud jubeat, aut scandalum magnum, vel periculum postulet, & alioquin Reipub. bonũ, vel communitatis, vel alicujus particularis; æquivalet autem accusationi facti evidentia, & manifesta indicia, vid. Sot *l. c. q. 6. art.* 2. D. Thom. & Cajet. 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. *cap. nihil*, 2. *q.* 1. Val. *tit.* 3. *d.* 5. *q.* 11. *p.* 3. Cùm proceditur contra aliquem per viam accusationis, requiritur semiplena probatio; cùm autem per viam inquisitionis, infamia, vel sufficientia indicia, judicis arbitrio. *Cum autem*) vid. Salo. *q.* 69, *art.* 2. *controv.* 6. Syl *Inquisitio. num.* 10.

Iudicium temerarium.

31. Committitur judicium temerarium, & consequenter mortale peccatum contra justitiam; judicando firmiter & deliberatè de aliquo gravi malo proximi, absque sufficienti fundamento, & indiciis seu conjecturis probabilibus, modò judicium sit de re gravi, & fiat sine aliqua rationabili causa. *tom.* 2. *de restitutione in particulari, disp* 2. *quæst.* 7. *punct.* 1. *n.* 4.

52. Suspicio potest aliquando esse peccatum mortale, quando scilicet graviter læditur bona proximi existimatio per suspicionem, ut accidit quando quis absque sufficienti fundamento suspicatur de viro sanctissimo hæresim, adulterium, &c. *ibid.*

33. Non peccat mortaliter, qui temerè judicat de aliquo indeterminato, aut etiam de aliquo determinato, quem non agnoscit, nec agniturus est; quia in hoc casu nulli gravis irrogatur injuria. *ibid. num.* 7.

34. Qui de alio malè suspicatur, vel dubitat, non potest suam opinionem vel judicium alii manifestare, nisi id fiat ad honestum finem. *ibid. n.* 9.

35 Petes, quomodo in hac materia, dubia explicãda sint? Regulariter loquendo tenemur dubia explicare negativè in meliorem

meliorem partem; non positivè, seu affirmativè, nisi forte quis velit actum positivum judicii elicere. *ibid. punct. 3. n. 1.*

ADDITIO.

Judicare malum ex signis probabilibus, mortale non est, est autem si ex levibus indiciis malum grande dent prorsmo, D. Thom. 2. 2. *qu.* 60. *art* 3. Cajet. 16. Val. Bannes, Sot. Salon. *l. c.* P. N. *n.* 449 Nav. *c.* 18. *n.* 9.

De honestissimo viro gravissimum malum suspicari, p.m. est, Sot. *l. c. col.* 8.

Ut judicium temerarium sit p.m. debet esse certum de re grandi, ex levibus indiciis. Res gravis est m.p sed perpendenda ex infamia, Sot. *art.* 3 *cit.*

Quæ sunt sufficientia ad judicandum indicia, videbit vir prudens, Sot. *l. c.* Val *p.* 3. in re gravissima ex levibus indiciis malè opinari, & dubitare adhibita deliberatione, mortale peccatum putat Arragon. *qu.* 60. *art.* 3. cum Victorell. *contr. Cajet.*

Quæres, An judicio temerario, quod est mortale quoddam mendacium, violetur præceptum octavum. Not. tres esse gradus temerarii judicii, 1. est assertio firma in corde, ut cum sine formidine judicamus esse aliquem furem. 2. est suspicio, ut cùm quis dicit, ille homo mihi videtur fur, tamen non auderem certò asserere, 3. est dubitatio, cùm judicium suspendimus, vel asserendo, vel negando Resp. 1. Judicium primi gradus semper ex suo genere esse peccatum mortale, eoque violari hoc præceptum Rat. quia qui ita judicat, Dei officium usurpat, cujus est scrutari corda. Tria tamen requiruntur, ut tale judicium semper sit mortale, quorum uno deficiente est tantùm veniale, 1. est, ut verè sit temerarium, id est, ex levibus conjecturis decerptum, 2. ut sit de materia gravi, quæ hominem possit infamare, ut sit deliberatum plenè Respond. 2. & 3. suspicionem & dubitationem temerariam ferè non esse peccatum, aut certè esse veniale tantùm. Rat. quia ad suspicionem requiruntur tantùm probabiles conjecturæ; deinde sunt plurimum repræsentativæ. Soto tamen cont. Cajet. putat suspiciones posse fieri aliquando peccata mortalia, si sint verè temerariæ, in re gravi. Et rat. est, quia suspicari de re gravi, crimine, hæresi, sodomia, sæpè majus detrimentum affert, quàm si certò sciatur aliquod aliud peccatum.

Juramen-

Iuramentum.

Vide v. *Adjuratio, Menuncium, Votum.*

1. Juramentum est invocatio divini nominis in testimonium. Juramentum aliud verbis enuntiàtur, aliud nutu, aut signo, aut manu sublata, aut tactu Evangeliorum, vel reliquiarum: aliud fit per simplicem contestationem, qua Deus in testem adducitur, ut dicendo, *testor Deum, juro per Deum,* &c. Quovis modo fiat, semper est ejusdem speciei. *tom 2. circa secundum Decalogi præceptum, disp. 4. quæst. 1 punct. 1. n. 1. & punct. 2 num 1. & 2.*

2. Ad juramentum sufficit tacita Dei invocatio, censeturque semper juramentum, dum adducitur creatura in testem, expresso etiam nomine Dei in obliquo, & quoties in creatura specialiter Deus relucet. *ibid punct 1. nu. 3 & 4.*

3. Adhibens verba, quæ quis falso putat importare juramentum, tenetur vi juramenti; quamquam is non tenebitur vi juramenti, si absque intentione verè jurandi, adhibeat verba non importantia verum juramentum. Et hoc valet etiamsi adhibuerit verbum *juro*, aut aliquid aliud addiderit, quod distrahat verbum à propria significatione. *ibid. num. 6. & 7.*

4. Ut licitum sit juramentum tria requiruntur, videlicet veritas, justitia & judicium. Veritas ad juramentum requisita consistit in hoc, ut jurans non levi, sed probabili conjectura, & prudenter, putet verum esse quod jurat: Judicium in hoc, ut fiat cum necessitate & reverentia: & justitia in hoc, ut juramentum fiat de re licita. *ibid punct. 3. n. 4 & seqq.*

5. Materia juramenti debet esse res licita, & non peccaminosa, neque indifferens aut impossibilis, aut impeditiva majoris boni, seu divinis consiliis contraria; modo materia illa maneat semper indifferens, vel juramentum non sit factum in favorem alterius. *ibid. punct. 4. n. 1. & 2.*

6. Juramentum factum de re prohibita per legem civilem quæ primariò & immediatè dirigitur ad bonum publicum, non obligat; obligat tamen juramentum factum contra legem respicientem bonum particulare, modo non vertat in præjudicium tertii. Lex autem primariò respicit bonum commune, quando ex ejus transgressione lædituir bonum.

num commune, privatum verò respicit, quando commune primario non læditur. *ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

7. Promissio, aut juramentum factum contra prius juramentum, aut contra votum, aut contra priorem promissionem validam non obligat; quia secundum juramentum vel secunda promissio est de re quæ sine peccato servari non potest: gesta verò contra obligationem juramenti, valida sunt; nisi aliunde irrita; (nam irritari possunt à jure,) ideo revocatio testamenti facta contra juramentum de non revocando testamento, valida est; sicut & venditio quoque facta contra promissionem juramenti de non vendendo. *ibid. punct. 6 num. 1. & 2.*

8. Alienatio fundi dotalis facta à muliere cum juramento contra prius juramentum factum, illum non alienandi, non valida est; nam jurans non alienare, tacitè censetur reprobare alienationem futuram, & censetur nolle contravenire suo juramento. *ibid. num. 3.*

9. Ex juramento facto cum animo non adimplendi nascitur obligatio ex vi juramenti, quia ex contractu celebrato animo non solvendi nascitur obligatio; ergo etiam nascitur ex juramento facto cum animo non adimplendi. *ibid. punct. 7. num. 5.*

10. Qui jurat fictè, seu qui jurat exterius absque animo jurandi, vel cum animo non se obligandi, vel cum animo non adimplendi, peccat mortaliter quovis modo ex prædictis per-ret, quoties juramentum rationabiliter exigitur. *ibid. num. &*

11. Juramentum non obligat, quoties error & dolus sunt circa substantiam rei promissæ, aut versantur circa causam finalem, seu quoties jurans secundùm prudentem æstimationem, non censetur voluisse jurare, si dolum cognovisset. *ibid. punct. 8. num. 3. & 4.*

12. Juramentum metu gravi extortum, quamvis injustè, obligat sub mortali, modò sit de re licita: juransque, & postea dubitans, an habuerit animum adimplendi juramentum metu gravi extortum, tenetur illud adimplere. *ibid. punct. 9. num. 1. 3 & 4.*

13. Non omnibus permissum est jurare judicialiter; nam masculis ante decimumquartum annum, & puellis ante duodecimum, interdicitur juramentum solemne in judicio in causis civilibus. *ibid. punct. 10. num. 1.*

14. Juramentum potest per nuntium vel Procuratorem præstari,

præstari, vel quando lex proprium juramentum non requirit, & quando nuntius seu Procurator habet ad hoc speciale mandatum; & tunc ille cujus nomine præstatur juramentum, obligatur, non verò Procurator seu nuntius, ut patet à simili in matrimonio *Ibid. n. 2 & seq.*

15. Juramentum ex justa causa licitè exigitur ab eo qui creditur pejeraturus: peccat tamen ille qui sine justa causa petit juramentum ab eo quem credit pejeraturum, etiamsi ille sit pejerare paratus. *Ibid. punct. 11. num. 1 & 3.*

16. Magis peccat ille qui curat adduci falsum Deum in testem veri, quàm qui curat adduci verum Deum in testem falsi. *ibid. num 4.*

17. Non committitur mendacium proferendo verba juxtà alium sensum quàm audientes intelligant; quando verba duplicem sensum habent, licetque uti verbis amphibologicis, quando pateretur quis damnum iis non utendo: nec dicendus perjurus, qui absque justa causa utitur æquivocatione cum juramento: non licet tamen absque justa causa uti æquivocatione, juransque alio sensu quàm alter intelligat sine justa causa, tenetur ex vi juramenti ad servandum id quod jurans juxta mentem suam intellexit. Quare peccat mortaliter qui crimen suum in judicio verbis amphibologicis occultat absque justa causa, modò juridicè interrogetur, & teneatur illud fateri. Venditores tamen, qui in vendendis mercibus æquivocando jurant rem suam sibi tanti stetisse, non videntur peccare mortaliter præciso notabili damno quod ementibus afferunt. Et qui addit orationi ambiguæ juramentum ad nihil tenetur ratione juramenti præcisè, videturque excusandus à mortali. *Ibid p. 12. num. 1. & seq.*

18. Qui habet consuetudinem jurandi, sed non mentiendi, non est in statu peccati mortalis, neque peccat mortaliter, licet non conetur talem consuetudinem evellere: at conjungens ex consuetudine mendacium cum juramento, peccat mortaliter, si non curet talem consuetudinem extirpare. *Ibid. punct 13. num. 3. & 4.*

19. Habens consuetudinem jurandi & mentiendi, sed non conjungendi mendacium cum juramento, tenetur illam consuetudinem sub mortali extirpare, quia censetur esse in morali periculo pejerandi. Potest quis se ab hujusmodi statu peccati liberare, dolendo de peccatis & mala consuetudine, & proponendo se amplius non juraturum, atque adeò non habi-

habiturum talem consuetudinem. *ibidem num. 5 & 6.*

20. Violans juramentum promissorium deliberatè in re magni momenti, peccat mortaliter; imo etiam violans juramentum in re parvi momenti seriò promissum. *punct. 14 n. 1. & 2.*

21. Emittens juramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, quam justè potest infligere, tenetur juramentum adimplere; modò ejus adimpletio non sit impeditiva majoris boni, aut non sit sublata causa, propter quam adimpleri debeat. Tunc autem comminatio pœnæ censetur fieri in ira, & non ad correctionem, dum quis iratus aliquem minatur, cui in eumdem errorem labenti non minaretur ex posita ira. *ibid. num. 3. & 4.*

22. Obligatio juramenti non transmittitur præcisè ad successores jurantis, quia juramentum est vinculum personæ, quod jurans voluntariè assumit; dicendum tamen obligationem contractus supra quem cadit juramentum transmitti ad hæredes, modò contractus sit validus, vel juramento firmetur. *ibid. punct. 15 n. 1. & 2.*

23. Laicus ratione juramenti conveniri potest, tam coram judice Ecclesiastico, quàm sæculari. *ibid. n. 4.*

24. Juramentum cadens supra propositum, vel promissionem habentem tacitam conditionē ex intentione jurantis, vel ex dispositione juris, vel ex consuetudine jam recepta, eo modo explicandum est, quo explicatur & obligatoria promissio. hinc sequitur eum qui cum juramento promisit nuptias Bertæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, &c. quæ post promissionem incidit in infirmitatem, vel in paupertatem, vel in fornicationem, non teneri stare juramento, nec teneri eam vi juramenti ducere *ibid punct. 16. n. 1. & 2.*

25. Juramentum in dubio ita explicandum est, ut quantum fieri possit minùs obliget servata verborum proprietate: propterea juramentum vel votum non ludendi explicandum est, & intelligendum de ludo illicito, nisi aliter colligatur de mente jurantis, vel voventis: hinc colligere est qui juravit absolutè non ludere, non solum non posse nomine proprio ludere, verùm neque alieno, nisi aliter quoque colligatur de mente jurantis. Item filius à quo pater extorsit juramentum non ludendi, donec Roma redeat, ex. g. non potest ludere, si pater Romæ moriatur. Item qui promisit solvere debitum intra mensem, non tenetur illud in

tra mensem, sed eo translacto solvere. Item Medici non admonentes ægrum gravi morbo laborantem, ut confiteatur, illumque visitantes nondum facta post tertiam diem confessione, peccant peccato perjurii, ubi decretum Pii V. super hoc est receptum ; nisi Confessarius asserat confessionem posse differri Hoc decretum non obligat, quando infirmitas non est gravis, nec est periculum, vel dubium ut fiat gravis. Item Medicus non incurrit prædictum casum reservatum, si infirmus nolit confiteri, & periculum est mortis, si à Medico deseratur. *ibid. n. 3. & seq.*

26 Obligatio juramenti impediri potest ne inducatur, vel per legem destruentem omnino contractum humanum, supra quem cadit, vel prohibendo ejus adimpletionem, ut sine peccato nequeat adimpleri. *ibid. punct. 17 n. 1.*

27. Obligatio juramenti jam inducta, quatuor modis tollitur ; aut mutatione materiæ, ut si materia juramenti fiat illicita ; aut remissione, seu relaxatione ejus in cujus favorem factum est juramentum ; aut tollitur per irritationem factam per Superiores, quibus subjecta est materia juramenti, aut per commutationem, vel dispensationem. *ibid. num. 2. 3. 4 & 7.*

28 Qui consentit in juramenta subditorum, non potest licitè absque nova causa ea juramenta irritare: & hoc valet etiam in patre respectu filii *ibid num. 5.*

29. Facultatem habens dispensandi in juramentis, non potest dispensare in juramento, in favorem tertii facto, & ab eo acceptato, nisi aliqua injuria præcesserit, vel nisi ita postulet commune bonum. *ibid. n. 8.*

30 Juramenta irritata non reviviscunt post mortem irritantium. *ibid. num. 6.*

31. Præstans juramentum alicui ratione dignitatis, non vero personæ, tenetur illud idem successoribus præstare. Quod si ille, cui factum est juramentum, privetur dignitate, vel moveatur ab officio, non tenebuntur jurantes servare juramentum obedientiæ præstitum illi ratione dignitatis, quia cessat causa ob quam præstitum fuit juramentum. *ibid. num. 14. & 15.*

32. Non facit contra votum, nec dicitur perjurus, qui non facit id in quo juramentum auctoritate Superioris fuit commutatum. *ibid. num 13.*

ADDITIO.

Juramentum quadruplex est, assertorium, in quo affirmatur, aut negatur aliquid præsens, aut præteritum. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo. Comminatorium, in quo promittitur malum pœnæ. Execratorium, in quo sive promittendo, sive asserendo, aliquid affirmatur, vel negatur, sibi apponendo pœnam. Comminatorium, ad promissorium, execratorium ad promissorium & assertorium revocatur.

Dupliciter in juramento peccatur, 1. cùm quis juravit per falsos Deos, aut per dæmonem, quod quidem lethale scelus est; 2 cùm in eo tres necessariæ conditiones desiderantur, veritas, justitia, necessitas.

Veritas triplex est, 1. quando res est, ut dicitur, 2. cùm credo rem esse, ut dico, licet non sit, 3. cùm quod dico est, ut existimo. Triplex etiam falsitas, 1. cùm quod dico, cum re non convenit, 2. cùm non convenit cum mente dicentis, licet cum re conveniat, 3. cùm repugnat rei & menti. Prima falsitas mendacium non est, sed secunda, & tertia; mendacium enim est, cùm homo dicit id, quod mente non credit, quamvis res ita se habeat, ut loquitur. Jurare igitur aliter, quàm homo in corde credit, semper, etiam in re levissima, lethale scelus est, nisi incogitantia excuset; jurans falsum, existimans se verum jurare, non peccat, in tribus tamen casibus peccat mortaliter, scilicet 1. cùm non adhibuit diligentiam ad veritatem cognoscendam, 2. cùm rem dubiam, ut certam juramento affirmat, vel negat. 3. cùm juraßet, etiamsi scivisset mendacium.

Homo interdum tenetur secundùm alterius mentem jurare, 1. cùm sponte jurat, non rogatus, 2. cùm superior ab eo juridicè juramentum exigit, (nam si judex juramentum exigat contra justitiam æquivocatione uti potest, jurando veritatem, secundùm suam mentem.) juridicè quis interrogatur, si præcessit infamia, aut si adest semiplena probatio, aut est is fide dignus. Rogatus de occulto crimine Reip. pernicioso, ut est hæresis pertinax, ab alio patrato, (non à se) tenetur verum dicere.

Venditor rogatus ab emptore, ut rei veritatem juret, æquivocatione uti non potest.

Justi-

Justitia servanda est in juramento. Illud jurare non licet, quod revelare nefas est, si injustitia, supra quam juratur, mortalis est, juramentum erit mortale; si venialis, veniale.

Necessitas, vel utilitas requiritur, ad licitum juramentum. Jurans igitur rem nullius momenti, aut ea, quæ sine juramento crederentur, peccat, venialiter tamen, si absit contemptus, & periculum pejerandi.

In promissorio juramento promittens sine animo adimplendi, semper mortiferè peccat, nisi actus imperfectione excusetur. Promittere rem injustam, mortiferè, mortiferum crimen; si sola necessitas, aut utilitas desit, veniale.

Qui juravit quocumque modo rem licitam, animo sese obligandi, tenetur, sub mortali culpa, efficere, quod juravit, etsi res sit levis, interdum tamen juramentum servandum non est. 1. Qui rem malam, aut indifferentem juravit, non obligatur, & si mortale juravit, peccavit mortiferè. 2. si post juramentum ejus observatio impossibilis effecta est, aut non bona, aut majoris boni impeditiva, aut sublata est juramenti ratio, 3. ratione modi jurandi, 4. ratione relaxationis factæ ab eo, cui promissum est.

In comminatorio; si malum pœnæ promissum inferre, malum sit, cessat voti obligatio, præterea si accidat aliquid, unde melius sit, non stare, quàm stare promissis, ut si mutetur rei status, si credatur illatio mali futura inutilis, aut majoris boni impeditiva.

Juramenta inferiorum in iis in quibus superioribus ii subjiciuntur, superiores relaxare possunt, id est, declarare nulla, lege Azor. *lib.* 11. *cap.* 9. & 10.

Dispensatio, & commutatio juramentorum ad Papam & Episcopum spectat, sed sine causa neutra facienda est. Eorum juramentorum dispensatio & commutatio ad Papam pertinet, quæ, si juramenta essent vota, ad eumdem spectarent, ceterorum ad Episcopum, si juraste in utilitatem tertii, sine hujus consensu, commutatio, aut dispensatio fieri non potest, nisi in pœnam illius, cui factum est, aut ni factum sit vi, metu, aut fraude alterius.

Quæres: An liceat jurare per creaturas. Respond. Esse mortale peccatum, jurare per creaturas, ut in iis propria virtus, & divinitas inesse credatur juxta ritum gentilium. Nam talia juramenta execratur divina Scriptura, Exod. 23. Resp, 2. licere jurare per creaturas, ut in illis relucet divina veritas,

veritas, vel ut sunt effecta Dei. Nam ita juravit Moses Deut 3. & 4. Resp. etiam licere jurare per creaturas, ut sunt res creatæ, juramento execratorio, tunc enim Deo creatura offertur, qui vocatur in testem, ut in ea judicium exerceat, si falso juretur. Busæus.

Quæres: An juramenta coacta etiam ex metu cadente in virum constantem, sint obligatoria. Resp. esse, si non desint tres conditiones obligatoriæ, de quibus *in cap. vestra, & in cap. si verò. de jurejurand* quia est illa communis sententia. 3. Quia fieret Deo irreverentia, si non impleretur hujusmodi juramenta, cùm sint Deo teste facta, & sint de materia licita. Busæus.

Quæres: An ratione circumstantiarum perjurium possit fieri veniale peccatum, vel ratione levitatis materiæ, vel coactionis, vel ignorantiæ, vel inadvertentiæ, vel joci, seu intentionis non jurandi. Resp. 1. de levitate materiæ in assertorio juramento perjurium, juxta communem sententiam semper esse mortale, in promissorio vero esse veniale, ut Syl. Sot. Nav. Resp. 2. de coactione, secundum Panorm. & Glos. perjuria coacta esse venialia. S. Thom. & alii tamen communiter volunt esse mortalia, & ratio est, quia coactio non facit involuntarium perjurium. Resp. 3. De ignorantia, si sit crassa, vel affectata, non excusare à mortali; si verò sit invincibilis & improbabilis, excusari à mortali, & secund. Sylv. etiam à veniali, si debita diligentia sit adhibita. Addit tamen, si quis de re, de qua dubitet, juret, tamquam de re certa, committere peccatum mortale. Resp. 4. De inadvertentia, ea excusari à mortali, quando lingua præcurrit mentem Resp. 5. De joco, à mortali peccato, de communi sententia non excusare. Quod videtur tantùm esse verum de perjuriis per Deum, & creaturas factis, non autem de perjuriis per falsos Deos. Hæc Busæus.

L.

Ligatum.

Vide v. *Hæres, Substitutio, Testamentum.*

Lex. Legislator.

Vide v. *Privilegium.*

1. LEx est regula quædam, seu ordinatio rationis promulgata (per scripturam aut vocem, ad bonum commune abeo, qui curam habet communitatis, seu ab eo qui potestatem habet obligandi. Lex principaliter respicit bonũ commune, secundario vero privatum, differtq; à præcepto, quod præceptum imponi possit personæ particulari, lex vero communitati imponi soleat. *tom. 2. de Legibus in genere & in particulari, disp 1. quæst 1. punct. 1 n. 1. 2. & 3.*

2. Ad condendam legem humanam necessariæ sunt hæ conditiones; ut sit justa; ut promulgetur; ut feratur à legitimo Superiore, habente publicam potestatem, & ob commune bonum immediatè, vel mediatè; ut non sit inutilis communitati, alioqui non obligat, nisi postea fiat utilis, *ibid. num. 3 & seq.*

3. Subditus cui certo constat legem esse magis noxiam quàm utilem, præciso scandalo, non tenetur eam servare, *ibid. num. 11.*

4. Lex dividi potest in quatuor membra, videlicet in legem æternam divinam, humanam & naturalem. *ib. p. 2. nu. 1.* Lex æterna est ipsa mens divina quæ ab æterno omnia ordinavit. *ibid. num. 2.*

5. Lex divina est illa quæ vim habet, quatenus à Deo proficiscitur, ut est lex Mosaica & Evangelica. Rursus lex divina subdividitur in divinam naturalem, & divinam positivam. Divina naturalis est illa, qua præcipitur idem quod præcipitur à lege naturali, ut sunt ea quæ in præceptis Decalogi continentur. Divina positiva est illa, qua præcipitur aliquid quod lege naturali non est sancitum, ut est præceptum confessionis ante sumptionem Eucharistiæ *ib n 3. & 4.*

6. Lex humana est illa quæ fertur auctoritate humana, dependenter tamen à Deo, sive feratur potestate sæculariũ, ut à Rege, vel Imperatore, sive Ecclesiastica potestate, ut à Papa, Concilio, &c. *ibid. n. 5 & 6.*

7. Lex naturalis est ipsamet convenientia, seu disconvenientia rei cum recta ratione. Alia est per se nota & indemõstrabilis; alia quæ non est ita clara & per se nota, potestque aliquis excusari ab illius transgressione ob invincibilem ignorantiam. Lex naturalis non potest mutari, nisi mutentur circumstantiæ & materia. *ibid. n. 7 & seq.*

8. Lex naturalis rursus dividitur in naturalem gentium, quam omnes homines naturali ratione ducti constituunt; &

& civilem, quæ simpliciter auctoritate hominum decernit. *ibid. num. 13. & seq.*

A quo lex possit ferri, & quæ conditiones requirantur.

9. Lex ferri potest & debet ab habente publicam potestatem, jurisdictionem & vim cogendi. *ibid. punct. 3. n. 1.*

10. Pater potest quidem præcepta filiis imponere per potestatem dominativam, seu œconomicam, non vero per potestatem jurisdictionis. Item judices ordinarii possunt quidem præcepta juxta metas & terminos suæ jurisdictionis ferre in materia sibi subjecta, non tamen possunt leges propriè acceptas condere, nisi sint primates in tali ordine, & primaria fulgeant potestate. *ibid. n. 2 & seq.*

11. Leges Ecclesiasticæ, potestate à Christo accepta immediatè, ferri possunt à Summo Pontifice in toto orbe; & civiles in territorio subdito. *ibid. n. 5.*

12. Populus revocare nequit potestatem condendi leges Imperatoribus concessam, alioqui sequeretur perturbatio in Republica *ibid. n. 6.*

23. Reges possunt pro suo regno leges ferre, aliique Principes, Duces, &c. Supremi, qui Superiorem in jurisdictione temporali non agnoscunt. Præterea. Regina, quæ est regni domina, etiam contracto matrimonio, nisi vices suas marito committat. Communitates quoque perfectæ, seu Respublicæ quæ per seipsas gubernantur, qualis est Veneta, Genuensis, Leodiensis, &c. civitates quæ in se retinent potestatem aliquam supremæ Reipublicæ, possunt leges ferre pro territorio ipsis subjecto. Item Legati Summi Pontificis, seu Nuntii Apostolici in sua provincia: Legati Principum quoque possunt facultatem ferendi leges alteri delegare: & Concilia generalia, si fiant auctoritate Summi Pontificis: Generalesque religionum à Summo Pontifice approbatarum possunt leges & statuta facere. Reliqui vero Prælati possunt tantùm ea præcipere, quæ ad observantiam regulæ sunt accommodata; hinc fit ut subditi non teneantur obedientiam præstare Prælato dispensanti in regula sine causa, aut præcipienti transitum ad arctiorem regulam, aut viris religiosis clausuram perpetuam. *ibid. num. 7. & seq.*

14. Similiter possunt Episcopi, Patriarchæ & Archiepiscopi in suis diœcesibus leges Ecclesiasticas condere; modò tamen

tamen non ferant in rebus gravioribus, aut contra jus commune. Cardinales quoque possunt in loco, seu Ecclesia sui tituli ferre leges obligantes suum territorium. Idem dic de Abbatibus exemptis, aliisque similibus Prælatis respectu suorum territoriorum, nisi aliunde constet hoc ipsis vetitum esse, & modò non sint contra jus commune. *Ibid. num.* 21. *& seq.*

15. Capitulum quoque Ecclesiæ Cathedralis potest mortuo Episcopo, leges & statuta facere, duratura, donec revocentur ab Episcopo successore; secus dicendum de Capitulis aliarum Ecclesiarum, Collegiorum, & similium: his enim non competit jus ferendi leges propriè acceptas, nisi id à legitimo Superiore obtinuerint. *Ibid. num.* 29. *&* 31.

16. Omnes quibus potestas condendi leges competit per jurisdictionem delegatam, possunt leges condere; unde infer Senatum Mediolanensem posse leges & statuta facere. *Ibid. n.* 32. *&* 33.

17. Non est probabile Summum Pontificem delegare posse alicui facultatem ferendi leges in totam Ecclesiam independenter ab approbatione speciali ipsius Summi Pontificis. *Ibid. n.* 34.

18. Nulla apparet ratio implicantiæ, cur potestas ferendi leges feminis à Summo Pontifice delegari non possit. *Ib. n.* 35.

19. Non constat sanctis Patribus datam fuisse facultatem ferendarum legum, neque illorum sententiæ vim legis habent per se; sicut neque decreta particularium Episcoporum vel Conciliorum, nisi à Summo Pontifice approbentur, vel jam fuerint approbata. *Ibid. num* 36. *& seq.*

20. Promulgatio, seu publicatio est conditio necessaria ad legis obligationem inducendam, ut diximus paulò ante, cùm egimus de conditionibus requisitis ad legem condendam. Nomine autem *publicationis*, non solùm intelligitur ea, quæ fit voce præconis, sed etiam ea, quæ fit affigendo legem in loco publico: quamquam Deus efficere potest, ut leges obligent per solam voluntatem Superioris exteriùs sufficienter expressam. Ad legis obligationem non requiritur ut singulis intimetur, sed sufficit ut publicè promulgetur: & qui interfuerunt dum lex à Rege vel Principe condebatur, non tenentur eam servare ante ipsius publicationem. Similiter interpretatio legis facta auctoritativè non habet vim legis ante promulgationem. Epistolæ quoque Pontificiæ non habent vim legis ante publicationem; sicut neque lex revocatoria alterius legis an-

antiquæ. Item regulæ Cancellariæ publicationem requirentes, ante publicationem non sunt propriè leges. *Ib. punct. 4. n. 6. & seq.*

21. Petes, ubi, & quotuplex promulgatio legis faciendâ ut lex obligare incipiat? Respondetur legem sufficienter promulgatam in loco competente & consueto, & acceptatam statim obligare ōnes subditos, nisi aliter in lege exprimatur: peccaretque subditus Summo Pontifici non obediendo legi quam sciret promulgatam revelatione tantùm divina, vel miraculosè in loco debito. *Ibid. num. 15. 17. 18. & 19.*

22. Non valet contractus celebratus ab eo qui ignorat promulgatam esse legem rescissoriam illius contractus: hinc invalida est donatio, facta à novitio ante duos menses professionis; excedensque taxam à lege constitutam in vendendo merces, tenetur excessum restituere, quamvis talis taxæ promulgationem ignoraverit *Ibid. n. 20. & seq.*

23. Ad legem humanam condendam requiritur præterea lapsus termini à legislatore præscripti; debetque lex usu esse recepta & acceptata: tunc autem lex non censetur usu recepta, quando populus vel major pars prosequitur facere quod ante legis promulgationem præstare consuevérat: quòd si lex accepterur tantùm quoad unam partem, & non quoad totum, obligat solùm quoad eam partem quæ acceptatur, non quoad aliam; sicut & lex acceptata in una provincia, & non in alia, obligat ubi est acceptata. *Ibid. num. 25. 27. 30. & 32.*

24. Petes, utrum quando lex acceptata est à majori parte communitatis, minor pars peccet legem non observando? Respond. peccare, & pœnam legis incurrere, nisi fortè per invincibilem ignorantiam excusetur. Unde excusatur à peccato, qui scit legem Pontificiam latam esse, & non observat eam, si sciat suam communitatem ob ignorantiam eam non observare: validumq; est matrimonium celebratum sine Parocho, & testibus, ubi non est acceptatum Tridentinum, quamvis sciant ipsius decreta Quando dubitatur an lex promulgata acceptata fuerit, præsumitur acceptata. *Ib. n. 34. & seq. & n. 44.*

25. Lex quæ non fuit acceptata ab aliqua communitate, potest in posterum acceptari; & consequenter obligationem parere: lex verò quæ semel fuit revocata, non obligat nisi iterum feratur à legislatore, quia per revocationem fuit extincta. *Ibid num. 37. & 38.*

26. Possunt subditi justa de causa supplicationem legisla-

toti

tori porrigere, & interim legem non servare; præsumiturque legislator regulariter legem revocare, si taceat & supplicationi non respondeat. Et ut lex usu non recepta non obliget, sufficit tacitus Principis consensus: lex tamen non censetur sublata ex eo quod legis casus per multos annos non accidit; *ibid. num. 41. & seq.*

27. Ad substantiam & rationem legis non requiritur scriptura tamquam conditio necessaria; quando tamen hoc alicubi usu receptum est, scriptura est de substantia legis. *Ibid. n.* 49 & 50.

De materia & subjecto legum.

28. Materia legis est illa, circa quam versatur lex, seu quæ præcipitur, vel prohibetur à lege; ut sunt actiones humanæ, actus quarumcumque virtutum; (non omnes simpliciter & collectivè) actiones ex se indifferentes; & actus interni qui aliqua ratione, videlicet quatenus spectant ad complementum actus externi, possunt esse materia legum humanarum; ut patet in Ecclesia, quæ præcipiendo recitationem divini officii, simul etiam præcipit attentionem, quæ est actus internus: & dum præcipit confessionem annuam, simul etiam præcipit confessionem peccatorum mortalium internorum. Superior quoque potest aliquando in voto purè interno dispensare, modò illi manifestetur; imò multi volunt posse, etiamsi non manifestetur. Similiter potest interna voluntas efficax furandi prohiberi sub censuris, licet hujusmodi voluntas sit conjuncta cum actu externo *Ibid. punct. 5. num. 1. & seq. Item num. 9. & seq.*

29. Petes, quinam legum obligatione afficiantur, seu quod sit subjectum legum? Resp. subjectum legis esse hominem subditum, capacem rationis juxta tenorem legis. Unde colligo infideles Catechumenos non affici legibus Ecclesiasticis neque pueros rationis usu carentes, nisi ad rationis usum pervenerint; quod si dubitetur in illis de sufficienti usu rationis, non possunt vesci lacticiniis & carnibus in die jejunii. *Ibid. punct. 6. n. 1. & seq. Item n. 8 & 9.*

30. Amentes, dormientes, invincibiliter ignorantes & absentes tempore promulgationis, tenentur legibus, licet excusentur, qui tempore amentiæ carnes amentibus porrigunt; vel qui porrigunt etiam infidelibus in die jejunii,

mi, cùm ii non teneantur legibus Ecclesiasticis, *Ibid.num.* 8 *seq.*

31. Augusta seu Regina ex natura rei, nisi eximatur, obligetur legibus; Princeps quoque supremus ex vi divinæ legis vel naturalis, tenetur lege declaratoria, vel confirmatoria juris divini vel naturalis, non tenetur tamen præciso scandalo suorum prædecessorum leges servare *Ibid.n.*10. *& seq.*

32 Generales transgredientes proprias vel aliorum Generalium leges, puniri possunt pœna debita judicis arbitraria, cùm ad eas indirectè teneantur. *Ib.n.*13.

33. Legislator non obligatur propriè ex vi coactiva ad servandam propriam legem; neque subjacet pœnis contra transgressores latis, si legem ipse non servet: propterea Episcopus ludens aleis contra constitutionem à se latam, non subjacet excommunicationi; secus dicendum de ludente cum illo, nisi Episcopus suspendat vim sui edicti: adverte tamen Episcopum ludentem cum eo, qui contraxit excommunicationem à se latam, incurrere excommunicationem à jure communi latam, quia participat in crimine criminoso. *Ibid.num.*14. *& seq.*

34. Princeps ex vi directiva tenetur ad servandas proprias leges, quando habent materiam universalem, & ipsi Principi accommodatam; potest tamen secum justa ex causa dispensare Princeps, qui sua auctoritate fert legem; secus si simul cum populo legem condat. *Ibid.num.*19. *& seq.*

35. Princeps non observans proprias leges, peccat contra virtutem, contra quam peccant reliqui. Non tenetur tamen Imperator, aut alius Princeps servare statuta, seu leges municipales oppidorum, seu provinciarum sibi subditarum; quia hæ non sunt latæ à Superiore *Ibid.n.*24. *&* 26.

36. Successores eorum qui potestatem condendi legem contulerunt Principi, ligantur legibus ab ipso Principe latis, cùm ii sint subditi. *Ibid.n.*27.

37. Obtinens à Papa facultatem excommunicandi furripientes, si ipse furripiat, non excommunicatur. *Ibid.num.*28.

38. Clerici aliique Ecclesiastici tenentur legibus civilibus ex vi directiva, quando leges illæ non repugnant libertati Ecclesiæ. Non possunt ex vi directiva expendere pecuniam ultra taxam, peccantque contra justitiam si id faciant. Exempti quoque absque justa causa ab obligatione servandi taxam, mortaliter peccant, valorem à Principe præscriptum excedendo. *Ibid.num.*29. *& seq.*

39. Cardinales, præciso privilegio, tenentur servare leges generales juris communis à Papa latas. Similiter peregrini ligantur legibus generalibus à Papa latis, & acceptatis ubi peregrini reperiuntur: at non ligantur legibus particularibus locorum, quæ non servantur in loco sui domicilii, quando noluntibi manere majore anni parte. Item religiosus qui à proprio monasterio discedit, non tenetur præciso scandalo, peculiaribus observantiis monasterii, in quo tamquam peregrinus reperitur, *Ib. n.* 34. *& seq.*

40. Non potest regulariter ferri alicubi lex obligans solos peregrinos. Ut extraneus alicubi contrahat domicilium, debet illuc accedere animo ibi semper manendi; propterea scholares aliquò pergentes, ut ibi per aliquod tempus studeant, non dicuntur illic contrahere domicilium *Ibid. n.* 38. 39. *&* 41.

41. Ad contrahendam obligationem legum loci in quo quis reperitur, sufficit actualis habitatio inchoata animo ibi perpetuò manendi. Item habitans alicubi intentione ibi manendi majore anni parte, fit parochianus illius loci, quoad sacramenta, excepto ordine & prima tonsura. Præterea divertens ad aliquem locum prædicto animo, ligatur legibus illius loci; debentque scholares sepeliri, & sacramenta recipere in loco ubi studiorum causa morantur. *Ibid. nu.* 43. *& seq.*

42. Advena tenetur leges particulares locorum servare, quando adest scandalum, teneturque celebrare contractus, juxta conditiones locorum ubi reperitur, excepto contractu dotis. Tenetur adhuc advena servare leges loci in quo reperitur, quando legis violatio vergeret in damnum loci, in quo reperitur, vel quando easdem in proprio territorio servare tenetur *Ibid. n.* 50. *& seq.*

43. Vagi qui nullibi certum habent domicilium, tenentur legibus loci in quo reperiuntur: propterea civis Mediolanensis tenebitur jejunare, & à carnibus abstinere, si se Bergomum transferat illis quatuor diebus ante primam Dominicam Quadragesimæ, quia privilegium Mediolanensium non est personale, sed locale. *Ibid. num.* 54 *&* 55.

44. Qui in proprio territorio tenetur diebus Sabbati abstinere à lacticiniis, tenetur ab illis abstinere, si illis diebus se alibi conferat, ubi aliter usu receptum est. Qui verò præceptum adimplevit in proprio domicilio, non tenetur postea illud adimplere si se transferat, etiam animo ibi permanendi, illuc, ubi tale præceptum adhuc cogit. Et qui domi suæ jam factum audi-

divit, non tenetur illud iterum audire, si ad locum divertat, ubi festum celebratur: commorantesque brevi tempore in alieno territorio, non tenentur servare leges proprii territorii, si illæ non serventur in loco, ubi commorantur. *Ibid. num.* 56. & seq.

45. Existens extra proprium territorium, non tenetur servare leges juris communis, quæ non servantur in loco ad quem se transtulit. Hinc sequitur peregrinum non teneri servare festa proprii domicilii quæ non servantur ubi reperitur. Item Sacerdos Latinus transiens per Græciam, potest conficere tam in azymis, quàm in fermentato, modò non celebret in Ecclesia Latinorum. Rhæti quoque accedentes Mediolanum, quo tempore domi suæ nondùm est completum jejunium Quadragesimale ratione Calendarii diversi, possunt ibi vesci carnibus, contra nonnullos. Similiter degentes in monasteriis Mediolani exemptis non tenentur servare jejunia quæ ritu Ambrosiano servantur. Adde existentem in alieno territorio non teneri legibus sui territorii, quando ipse & simul res circa quam operatur, & operatio ipsa sunt extra territorium. Unde infer beneficiarium qui in aliena diœcesi existit, & non residet, incurrere censuras ab Episcopo proprio latas contra non residentes. Item existentem extra proprium territorium, si jactu sagittæ occidat hominem existentem in proprio territorio affici excommunicatione, si lata esset excommunicatio in proprio territorio contra homicidas. *Ibid. num.* 61. & *seqq.*

Effectus legis.

46. Lex humana tam civilis quàm Ecclesiastica, obligat potest in conscientia, ita ut ipsius transgressio ad gravem culpam imputetur in materia gravi, non omnes tamen leges humanæ obligant in conscientia, præsertim sub mortali, qui leges venantes venationem aut piscationem sine præjudicio proximi, & præcisis aliis circumstantiis, non videntur sub mortali obligare. *Ibid. punct.* 7 § 1. *num.* 1. & 2.

47. Non solùm lex præceptiva, verùm etiam pœnalis, quæ videlicet aliquid præcipitur adjecta transgressoribus pœna, obligat sub mortali, aut veniali, juxta materiæ gravitatem, aut levitatem, aut scandalum, nisi aliunde constet legislatorem nolle ad culpam obligare. *Ibid.* §. 2. *num.* 3.

48. Leges institutæ animo non obligandi, neque ad culpam pe-

neque ad pœnam, non appellantur propriè leges, sed dicuntur potius regulæ, seu ordinatio quædam. *Ibid. num 5.*

49. Delinquens non tenetur ante sententiam declaratoriam pœnam solvere, quæ non potest executioni mandari absque actione hominis, nisi aliter exprimat legislator. *Ibid. n 6.*

50. Pœna alia dicitur lata ipso jure, seu quæ posito delicto statim irrogatur: alia ferenda, seu quam judex comminatur delinquenti. Vide v *Censura. Ibid. n 7.*

51. Pœnæ privationis, aliæ executioni mandantur absque hominis actione, aliæ verò non. Qui incurrit pœnas privationis officii activæ & passivæ vocis, quæ ipso facto incurruntur non expectata sententia, non tenetur se officio privare aut voce activa vel passiva, &c quoties hoc nequit facere sine infamia, etiamsi in lege habeatur delinquentem debere se officio abdicare non expectata ulla sententia. Item beneficiarius potest beneficium retinere, donec declaretur delictum propter quod ipso facto est privatus beneficio, nisi lex statuat pœnam statim in conscientia subeundam; & acta prædicti beneficiarii criminosi facta ante criminis declarationem, valent. *Ibid. num. 9. & seqq.*

52. Reus non tenetur ante sententiam subire pœnam quæ non est ipso jure lata, sed ferenda: potestque hujusmodi reus qui est condemnandus, ante condemnationem bona sua distrahere, vendere, donare, &c, sicut poterat antequam patraret delictum. *Ibid. n. 13. & 14.*

53. Non est expectanda sententia judicis, quando in lege dicitur, *beneficium ipso facto vacet in conscientia*, vel, *fructus non faciat suos in conscientia, &c. Ibid num. 15.*

54. Rector Ecclesiæ alienans bona Ecclesiæ sine solemnitate requisita in jure, est privatus ipso facto beneficio, quamvis praxis & usus requirant sententiam criminis declaratoriam. Item qui obtinuit parochiale beneficium, & non est ordinatus Sacerdos intra annum sua culpa, tenetur in conscientia beneficium deserere. Item electus in Episcopum, ipso facto privatur Episcopatu ante sententiam, nisi intra sex menses fuerit consecratus, ita Trident *sess. 23. de reform c. 2.* Similiter non recitans divinum officium, tenetur ad restitutionem fructuum ante sententiam judicis, quia beneficium datur propter officium. *Ibid. num. 16. & seq.*

55. Committens delictum hæresis aut alterius speciei ob quod bona ipso facto publicantur, non tenetur ante senten-

tiam

tiam criminis declaratoriam bona fisco restituere. Et quia pœnam non condemnatur ob denegatam in judicio veritatem, non tenetur ad solutionem pœnæ, quam solvisset, si veritatem detexisset : secus dicendum de pœna conventionali quæ solvenda est ante sententiam, nisi aliter constet de mente contrahentium. Pœna quoque conditionalis obligat ante judicis sententiam. *Ib. n.* 20. *& seq.*

56. Femina cui relictum est legatum, modò castè vivat, non potest legatum recipere. sed tenetur statim illud restituere, si turpiter vivat. Qui verò ad Collegium admissus est hoc onere, ut si tale delictum admiserit, ipso facto privilegiis loci privetur, non remanet privatus, nec restituere tenetur ante sententiam, nisi aliud constet per consuetudinem. *Ib n.* 25. *&* 26.

57. Vovens, vel jurans se certam eleemosynam daturum pauperibus, si amplius luserit, vel pejerarit, &c. statim post voti vel juramenti violationem tenetur eleemosynam solvere, quia talis censetur fuisse intentio vovents vel jurantis. *Ibid. num.* 28.

58. Quæres, quas pœnas reus teneatur post sententiam subire, seu sibi infligere? Respond. reum non teneri sibi ipsi eam pœnam infligere, quam licitè non potest infligere; consequenter non tenetur ad mortem sibi ipsi inferendam: attenetur ad solvendam pecuniam, ob quam fuit condemnatus, modò petatur. *Ib. n.* 29. *&* 30.

59. Reus post sententiam declaratoriam criminis, non tenetur ipse bona fisco deferre, seu sententiam confiscationis per seipsum exequi; at tenetur secuta sententia in exilium proficisci, persistere in carcere, scalas patibuli ascendere, jejunare, &c. Item potest reus obligari ad verbera, & ad alias pœnas corporales distinctas ab illatione mortis, abscissione membri, &c. *Ib. n.* 31. *& seq.*.

60. Quæres, an hæres teneatur ad onera realia, quæ tenebatur solvere defunctus ob delictum prohibitum sub pœna ipso facto lata, secus si sententia erat ferenda, seu comminatoria, vel si obligatio erat personalis? Respondetur affirmativè, quia heres succedit in onera defuncti realia, & vicem unius personæ gerit cum defuncto in obligationibus realibus. *Ibid. num* 35.

61. Lex dicitur injusta, quando repugnat legi & præcepto divino, unde vitium à Principe præcipi nequit, quando adversatur bono communi, quando transcendit & excedit facul-

cultatem & potestatem legislatoris, quando subditis imponitur onus improportionatum causæ, & quando fundatur in falsa præsumptione contra rei veritatem; notam illi contra quem fertur lex. Lex his modis injusta non obligat in conscientia; nec peccat, qui eam præciso scandalo & perturbatione Reipublicæ, non observat: propterea injustè excommunicatus non afficitur effectibus excommunicationis; & qui falsò judicatur reus obligationis restituendi, non tenetur restituere; & si cogatur, poterit uti occulta compensatione: heres quoque qui non confecit inventarium, non tenetur in conscientia adsolvendum creditoribus testatoris ultra vires hereditatis. Item non valent testamenta vel legata facta sine debita solemnitate ab eo qui poterat disponere. *Ibid.* §. 3. *n.* 1. *& seq.*

62. Obediendum est legi, quando dubitatur de ipsius justitia & obligatione *Ib. n.* 11.

63 Unde autem colligere poterimus legem humanam sub mortali obligare? Respondetur posse colligi ex his capitibus: ex intentione legislatoris; qui si non explicuit se velle in conscientia obligare, censetur obligare in conscientia pro ratione materiæ gravis vel levis: deinde ex verbis præceptivis quibus lex humana fertur, quamvis hoc non valeat in omni lege: ex gravitate materiæ, cognoscitur autem materia esse gravis, vel levis ex fine quo legislator adductus legem condit; ex una lege alteram explicante, vel quia passim homines ita putant: ex acceptione legis; & denique ex gravi pœna corporali aut temporali, ex gravi aliqua censura vel pœna Ecclesiastica imposita. Quando inspectis hujusmodi regulis adhuc dubitatur an lex obliget sub mortali, vel sub veniali, probabile est obligare tantum sub veniali. *Ibid* §. 4. *num.* 1. 2. 3 13 14 24. 25. 26 30. & 31. Ex his

64. Collige verba præceptiva in lege divina obligare sub mortali; & etiam legem tam civilem, quàm Ecclesiasticam in materia gravi, si verbis præceptivis feratur, v. g. quando adhibentur hæc verba, *injungimus, præcipio ex vi voti, vel juramenti, oportet*, &c. Idem dic de lege verbo imperativo condita, quæ ut plurimum obligat sub mortali in materia gravi, nisi aliud ex conjecturis appareat, & de lege verbis decretativis & stabilitivis condita, secus si verba solùm sint hortatoria, vel monitoria. *Ibid. n.* 5. *& seqq.*

65. Ad discernendam materiæ gravitatem inspiciendus est finis & circumstantiæ, ob quas lata est lex; nam potest aliquan-

quando Prælatus sub mortali præcipere silentium, quando hoc necessarium judicaverit. *Ibid. n.* 21. & 22.

66. Pœna capitis, mutilationis, amissionis multorum bonorum, &c. obligat sub mortali; hæc enim gravis pœna censetur. *Ibid. n.* 27.

67. Lex continens levem pœnam, non inducit obligationem sub mortali, neque etiam continens gravem pœnam quoties pœna in re levi imponitur ad terrorem. *Ibid. num.* 28. & 29.

68. Non observans legem humanam præceptivam, vel pœnalem in materia gravi, peccat contra illam virtutem ad quam pertinet præceptum. *Ibid. num.* 32.

69. Acta quæ fiunt contra legem irritantem ipso facto valida sunt, non solùm in foro externo, verùm etiam in foro conscientiæ: hinc fit ut celebrans matrimonium irritum, non possit reddere vel petere debitum. Ad cognoscendum autem an lex ipso facto irritet aliquem actum, inspiciendus est verborum sensus, & est facienda stricta interpretatio. *Ibid. §. 3. num.* 2. 3. & 4.

70. Irritatio ipso facto statim incurritur ante sententiam, nisi adsit falsa præsumptio, & modò fuerit servata forma substantialis. Neque ad incurrendam irritationem, præsertim illius actus qui defectu formæ substantialis irritatur, requiritur scientia legis irritantis.

Actus humana lege irritus obligatne in conscientia? Respondetur non obligare *Ibid. num.* 5. & *seq.*

71. Acta quæ fiunt contra legem prohibentem non sunt invalida per se, & ex natura sua, ex eo solum capite quod prohibentur à lege; multa enim illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent; & aliud est irritare, & aliud prohibere. Unde actus factus contra legem prohibentem tales actus, non est simpliciter irritus ante sententiam. Imò actus, per se loquendo, est validus, & quando prohibetur circumstantia ipsius actus, & quando prohibetur ipsemet actus, sed non irritatur forma substantialis. *Ib. n.* 8. 10. & 12.

72. Quoties deest potestas moralis, aut deest incapacitas materiæ, actus irritus est jure naturæ. Item actus est quoque irritus non solum quando legislator utitur verbis prohibentibus & irritantibus ipso jure, sed etiam impedientibus translationem dominii; & quando actus celebratus est sine forma substantiali, seu solemnitate requisita à jure, etiam invalidus

est

est in utroque foro, consequenter matrimonium clandestinum, alienatio bonorum Ecclesiæ, & electio facta sine solemnitate, est invalida in utroque foro, imò & omnes contractus sine solemnitate & forma substantiali invalidi sunt in utroque foro, exceptis actibus factis ad causas pias. Censetur autem forma substantialis, quando præscribitur aliqua forma seu solemnitas, appositâ clausula irritante factum sine tali forma celebratum, & quando præscribitur aliqua solemnitas dum committitur seu communicatur alicui potestas ad faciendum aliquid servata tali forma seu solemnitate; censetur verò forma tantùm accidentalis, si dum præscribitur aliqua forma, potestas ad faciendum actus non communicatur, sed jam supponitur; consequenter actus sine tali forma celebratos, non est irritus, nisi apponatur aliqua particula irritans. Hinc sequitur validum esse matrimonium sine denuntiationibus celebratum, quia denuntiationes non præscribuntur tamquam forma substantialis: sequitur quoque Episcopum validè excommunicare sine solemnitate requisita à jure; & invalidam esse alienationem bonorum Ecclesiæ factam sine forma præscripta cùm particula *non potest* Advertetamen levemquamdam formæ substantialis omissionem, non efficere actum irritum, cùm parum pro nihilo reputetur. *Ibid. num.* 9.13 *& seq.*

73. Quæres, an actus ex urgentissima causa factus sine solemnitate præscripta invalidus sit? Resp. invalidum esse, quia posita justa causa, adhuc verum est dicere actum celebratum fuisse sine sua forma substantiali, actus autem sine forma substantiali celebratus non est validus. *Ibid. n.* 22 *&* 23.

74. Licitum est leges interpretari non solum exponendo, verum etiam ampliando, aut coarctando. *Ib. punct.* 8. *n.* 2.

75. Declarationes Cardinalium circa Tridentinum non videntur vim legis habere antequam sufficienter promulgentur; suntque amplectendæ tam pro singulari casu, quàm respectu aliorum. Ex his declarationibus colligitur obligatio & quoad futura, & præterita facta post legem circa quam fertur declaratio; debentque judices sententias ferre juxta declarationes Cardinalium. *Ibid. n.* 4. *& seq.*

76. Lex humana odiosa explicanda, & extendenda est, quatenus important verba juxta proprietatem naturalem: in materia verò favorabili explicanda & extendenda est quantum verba patiuntur, non solùm juxta proprietatem

naturalem, verùm etiam juxta civilem; propterea lex favorabilis loquens de filiis, extendenda est ad filios adoptivos: & lex loquens de legitimis extendenda est etiam ad legitimatos. *Ibid. num.* 8. *et seq.*

77. Potest dari lex ex uno capite odiosa, & ex alio ita favorabilis, ut potius ut favorabilis, quàm ut odiosa explicanda sit, & è contra. Dicitur autem lex favorabilis, quæ primariò prodest aliquibus; & odiosa quæ primario pœnam continet, quamvis secundariò alteri prosit. *ibid. n.* 12. *&* 13.

78. Lex tam favorabilis quàm odiosa non est explicanda ultra proprietatem verborum naturalem & civilem, nisi necessitas cogat. Et in dubiis in materia legis pœnalis benignior pars amplectenda est, servata verborum proprietate, standumque est verbis legis secundùm propriam significationem acceptis, etiamsi legislator extra legem dicat se aliter intellexisse. *Ibid. num.* 14. 15. *&* 16.

79. Servanda est mens legislatoris intrinseca, non verò extrinseca. Quod si verba legis plures habent sensus proprios, & dubitatur, quinam intendatur à legislatore, verba accipienda sunt juxta sensum rei magis proportionatum. Si verò lex duplicem habet sensum, unum juxta verborum proprietatem, & alterum juxta communem loquendi modum, explicanda est juxta modum, quo accipiebatur, quando condita lex fuit. Quando autem verba legis duplicem habent sensum communem, sed unum proprium, alterum improprium, explicanda sunt juxta sensum, qui probabilius conjicitur intentus à legislatore. *Ib. num.* 17. 18. 19. *&* 20.

80. Sed quæres, unde dignosci poterit mens legislatoris in dubiis? Dignoscetur ex incommodis quæ ex verbis alio sensu acceptis sequerentur, si ex verbis uno sensu acceptis sequitur contrarietas ad leges, deinde ex ratione legis & iis quæ continentur in proœmio. Quod si particulariter aliquid statuatur quod habetur in jure communi, talis constitutio explicanda est juxta formam juris communis, nisi aliter intendat legislator. *Ibid. num.* 21. *&* 22.

81. Lex pœnalis ob paritatem rationis non debet extendi ab uno casu ad alium, modo hic casus non ponatur in lege exemplariter, seu gratia exempli; nam quando hoc fit, pœna per legem imposita contra furripientes centum aureos, extenditur ad furripientes rem æqualis valoris; & quod dicitur de uno correlativo, dicitur etiam de alio, quando unum ponitur exemplariter. *Ibid. n.* 23 *& seq.* 82. In

82. In lege favorabili non est facienda extensio, nisi verba legis hanc extensionem patiantur, & nisi necessitas cogat, & ita suadeat justitia legis. *ibid. n.* 26.

83. Præceptum adimpleri potest per actum ex aliqua circumstantia malum, ut si quis jejunet ob vanam gloriam: aliquando tamen non potest adimpleri non adimpleto modo, & aliquando è contra, ut si quis recitet officium sine attentione. *ibid. punct.* 9. *num.* 1. *&* 2.

84. Possumus unico actu pluribus præceptis satisfacere, quoties Superior concedit, ut eodem actu pluribus præceptis satisfiat; quamobrem vovens jejunium in Vigilia omnium Sanctorum, eo die jejunando, satisfacit utrique obligationi voti & jejunii: & qui tenetur divinum officium recitare tatione plurium beneficiorum, vel ordinis & beneficii, satisfacit unica recitatione utrique obligationi: denique quoties unus actus non impedit alium, possumus eodem tempore per diversos actus satisfacere pluribus præceptis. *Ibid. n.* 4 *& seq.*

85 Ut autem præceptum, seu leges adimpleantur, requiritur intentio faciendi opus quod præcipitur; propterea ebrius assistens Missæ, vel recitans orationem ex voto, &c. non satisfacit præcepto: accedens quoque ad Ecclesiam, ut meditationi vacet, non satisfacit præcepto audiendi Missam, si eo tempore Sacerdos adeat altare ad celebrandum; secus dicendum de puero audiente sacrum, quamvis illud nollet audire, nisi mater hoc ei præcepisset: audit enim humano modo, id est, cum debita attentione, quod non præstat, qui per vim absolutam cogitur interesse sacro, si illud audire non intendat. *Ib. punct.* 10. *num.* 2. *& seq.*

86. Audiens sacrum intentione illius audiendi, satisfacit, quamvis non intendat adimplere præceptum. Item qui vovit invisere sepulchrum D. Caroli, satisfacit voto visitando sepulchrum sine intentione adimplendi votum; amplia etiamsi dum sepulchrum visitat, oblitus sit voti, adhuc enim humano modo præstat opus præscriptum. *Ibid num.* 10. *&* 11.

87. Qui aliquid multis titulis præstare debet, dum illud præstat, satisfacit ei obligationi cui ipse satisfacere decrevit. Et qui ex præcepto Ecclesiæ, ex voto, & pœnitentia tenetur Missam audire, satisfacit præcepto Ecclesiæ unicam audiendo, nisi decreverit, seu elegerit cuinam obligationi vellet satisfacere. Item faciens opus quod pluribus titulis præstare tenebatur, censetur velle satisfacere urgentiori debito, si prius de-

creverat omnibus debitis per diversa opera satisfacere. Sic liter audiens Missam in die festo, intendens aliam audire, præcepto satisfaciat, etiam si aliam non audiat, satisfacit. Is qui Missam audivit animo non implendi præceptum audiendæ istius Missæ, si aliam non audiat, non tenetur intra tempus obligationis mutare animum, & alium voluntatis actum elicere, quo velit satisfacere seu satisfeciſſe, qui scit jam præcepto satisfeciſſe cùm adimpleverit opus præscriptum. *Ibid. num. 12. & seq.*

Quando cesset obligatio legis?

88. Causæ propter quas cessat obligatio legis, sunt ipsa vis absoluta, impossibilitas, inadvertentia & ignorantia inculpabilis, metus seu periculum gravis incommodi, lex contraria, seu revocatio, restrictio, dispensatio, cessatio causæ finalis & motivæ, epikeia quatenus per epikeiam, seu æquitatem aliqui casus censentur excepti; & consuetudo contraria. *Ib. punct ult.*

89 Quando multa per legem præcipiuntur, & causa totalis cessat respectu unius tantum, obligatio cessat respectu illius, cujus causa totalis cessat; & quando multæ sunt causæ legis, & una tantùm cessat, legis obligatio non cessat, quia non cessat tota causa *Ibid. §. 2 n. 5. & 6.*

90. Lex cessat, quando non est amplius commoda & utilis, & in casibus qui per epikeiam non censentur comprehensi in lege. Cessat quoque per contrariam consuetudinem legitimè introductam. Per *consuetudinem* intellige jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur. Proprietates consuetudinis sunt interpretari legem, inducere legem, & legem introductam mutare, & abrogare, aliquando in totum, aliquando in partem, aliquando quoad legis obligationem, & pœnam, & aliquando quoad pœnam tantùm, *Ibid. num. 7. & 8. & §. 3. n. 2 4. & 5.*

91. Non potest legitimè introduci consuetudo contra jus naturale vel divinum, nec contra commune bonum, nec ut plurimum contra jus gentium, nec circa materiam inutilem. Præterea non est legitima consuetudo illa, qua non interessentes anniversariis defunctorum stipendium percipiunt. Consuetudo debet introduci per actus voluntarios, & illa quæ legem abrogat, introducenda est ab iis qui legem servare ne-

nentur; propterea puer, amens, furiosus, extraneus, &c. non
potest leges per consuetudinem abrogare; secus dicendum de
communitate feminarum: hæc enim potest sua consuetudine
jus inducere: non possunt tamen feminæ consuetudine abro-
gare legem obligantem solos masculos, & laici non possunt
abrogare legem obligantem solos clericos. *Ibid. num* 8 *& seq.*

92. Inducentes consuetudinem non tamquam præceptum,
non sunt culpæ rei, si illam transgrediantur. Si dubitetur an
consuetudo introducta sit animo devotionis, vel potius in-
tentione se obligandi, præsumendum est eam esse introduc-
tam animo non se obligandi, nisi adsint conjecturæ quæ
contrarium demonstrent. *Ibid nu.* 18 *&* 21.

93. Consuetudo debet esse universalis, neque indiget pro-
mulgatione, estque legitima, quando à duabus communitati-
bus partibus fuit introducta, licet tertia pars non consenserit.
Rursus consuetudo induci debet per actus manifestos, & non
per occultos; & ad inducendam consuetudinem jure commu-
ni non requiritur actus judicialis, sed sufficit extrajudicialis.
Ibid, num. 22. *& seq.*

94. Consuetudo inducenda est per usum, & ab habentibus
potestatem condendi legem, vel saltem habentibus capacita-
tem activam vel passivam illius condendæ, accedente Supe-
rioris consensu. *Ibid. n.* 27. *&* 28.

95. Populus potest consuetudinem obligantem introdu-
cere, & etiam communitas mercatorum talem, quæ non so-
lum habeat vim statuti conventionalis, sed etiam legis muni-
cipalis, accedente consensu Principis, saltem juridico & ta-
cito: consuetudo debet esse longæva, saltem decem annorum,
ad abrogandas leges Canonicas quadraginta annorum. *Ib. n.*
29. *& seq.*

96. Consuetudo si completa est legitimo tempore, non ab-
rogatur, nec interrumpitur per unum actum contrarium, se-
cus si nondum erat perfecta. *Ibid. num* 33.

97. Consuetudo potest legem abrogare, etiamsi in lege
quæ abrogatur, damnetur vel reprobetur consuetudo futura
contra ipsam legem, modo consuetudo non versetur circa
materiam iniquam; hinc infer legem de non trahendis clericis
ad laicam potestatem, nullo modo posse per contrariam con-
suetudinem abrogari. *Ib. n.* 36 *&* 37.

98. Lex potest abrogare consuetudinem anteà introdu-
ctam, modò lex omnino contraria sit consuetudini; & legis-
lator

lator conscius sit consuetudinis. Quare collige per legem contrariam universalem abrogari consuetudinem antecedentem universalem, quamvis lex cõdita sit sine clausula derogatoria; per legem tamẽ universalem non abrogari consuetudines speciales, aut statuta specialia locorum, nisi eorum fiat mentio in lege; secus dicendum de lege particulari, quia per eam abrogatur consuetudo particularis, quamvis non fiat illius mentio. *Ibid. num. 38 & seq.*

99. Sicut lex posterior abrogat priorem legem, ita & posterior consuetudo priorem seu antiquam consuetudinem. *Ibid. num. 44.*

100. Introducens consuetudinem contra legem, peccat donec elapsum sit tempus requisitum ad legitimam consuetudinem introducendam, nisi Princeps eam toleret, vel bona fides excuset. *ibid. num. 45.*

101. Petes, an idem sit præscriptio & consuetudo? Resp. negativè, quia consuetudo est quid juris, inducit enim jus & legem; præscriptio verò dicitur quid facti, quo alicui adjicitur dominium rei alienæ. *Ibid. num. 46.*

Dispensatio legis.

102. Nomen *dispensationis*, significat actum jurisdictionis, quo quis eximitur ab obligatione legis, aut quo legis obligatio suspenditur. Ad valorem dispensationis requiritur consensus internus legitimi Superioris seu legislatoris, vel ipsius Superioris, vel successoris, vel æqualis in juris dictione; quipotest cum suis subditis dispensare, illosque ab obligatione legis eximere, perseverante adhuc obligatione respectu aliorum. Idem etiam potest quilibet conditor in sua lege, & Summus Pontifex in legibus latis ab Apostolis tamquam Episcopis. Potest item legislator secum in suis legibus dispensare; quamvis actus quo quis secum in propria lege dispensat, non dicatur propriè & strictè dispensatio. Inferior verò non potest dispensare in lege Superioris, quoties Superior dispensationem sibi reservavit, aut inferiori prohibuit dispensandi facultatem: propterea Magistratus inferior non potest dispensare in lege communi, sicut neque Episcopus in legibus Papæ, &, regulariter loquendo, neque in legibus & statutis Concilii Provincialis. *Ibid. quæst. 2. punct. 3. n. 1. & seq.*

103. Inferior non potest dispensare in lege Superioris toties quo-

quoties legislator expresse non ademit dispensandi facultatem, vel quando dubitatur an res egeat dispensatione, vel quando urgente necessitate potest Papam per litteras certiorem facere, vel inopiæ partium, quibuscum est dispensandum, suis reditibus occurrere. *Ibid. n.* 17. 18. & 19.

104. Quæres, quid requiratur; quidve servandum sit, dum aliqua dispensatio de mandato Summi Pontificis expeditur? Requiritur ut qui rescriptum Apostolicum expedire debet, ad confessiones approbatus sit ab ordinario, ut sit Doctoratus laurea insignitus, ut habeat justam causam dispensandi, ut rei ventatem, nisi notoria sit, vel aliunde constet, ab ipso pœnitente diligenter inquirat, ut Confessarius cui rescriptum Apostolicum exhibetur ad dispensandum in matrimonio, non dispenset, nisi impedimentum sit occultum, id est, nisi ignoretur à majori parte viciniæ, vel paroeciæ, vel oppidi, vel Collegii, vel monasterii: ut præcedat dispensationem confessio, quoties rescriptum hoc jubet: ut denique Confessarius imponat talia pia opera, qualia prudenter imponenda judiçaverit; v. g. in dispensationibus ad contrahendum matrimonium obtentis ratione delicti, imponenda est delinquenti pœnitentia, seu menstrua confessio, quæ fieri poterit quacumque die mensis. *Ibid punct* 2. *num.* 1. & *seq.*

105. Confessarius cui datur facultas dispensandi circa matrimonium, curare debet ante dispensationis executionem, ut conjuges separentur, si id sine scandalo præstari possit: curareque debet insuper, ut contrahentes certiores sint de nullitate consensus, & litteras dilacerare debet quoties in privilegio præscribitur litteras dilacerari: & pro dispensatione expedienda nihil omnino exigat. *Ibid num.* 14. & *seq.*

106. Dispensatio concessa sine justa causa à legislatore, vel ab habente facultatem legislatoris, valida est, sed non licita, & consequenter valet dispensatio ab Episcopo facta sine causa in propria lege, & constitutione, quamvis in Synodo facta. Neque solùm peccat Superior si dispenset sine causa, verùm etiam si dispenset ex causa, quam dubitat esse sufficientem: at ille cum quo dispensatum est, potest dispensatione uti, licet dubitetur an Superior habuerit sufficientem causam dispensandi; quia in dubio standum est judicio Principis seu legislatoris. Non valet quoque dispensatio concessa ab eo qui bona fide credebat subesse justam causam ad dispensandum; quamquam is cum quo dispensatum est bona fide sine causa, tutus

est in conscientia, donec sibi de insufficientia causæ cer
constet. *ibid. punct. 3. nu. 1. 2 7 & seq.*

107. Dispensatio in lege Superioris concessa ab inferio
re sine justa causa, non solùm non est licita, verùm neque
valida; consequenter is cum quo inferior dispensavit in lege
Superioris absque justa causa, non potest uti dispensatione
à fortiori dispensatio concessa etiam à Papa sine justa causa
in iis quæ sunt de jure divino & naturali invalida est, pec
catque graviter dispensans sine causa in lege Superioris, vel
in iis quæ sunt de jure naturæ. *ibid. n. 12. & seq.*

108. Inducens ad dispensandū sine causa, vel allegata falsa
causa, peccat eodem pacto, quo dispensator peccat. *ib. nu. 1*

109. Non est necesse ut Superior dispensaturus cognoscat
judicialiter adesse justam causam ad dispensandum; imò dis
pensatio tacitè concessa sine cognitione causæ, valida est;
nam voluntas tacita tantum valet, quantum expressa in iis
in quibus nec forma certa, nec verba necessaria sunt. Et ob
tinens dispensationem in lege Superioris ab inferiore non
cognita causa subsistente, potest licitè ea dispensatione uti.
ibid. num. 17. 18. & 19.

110. Justæ & sufficientes causæ ad dispensandum sunt
utilitas aut necessitas communis vel privata, pietas, & alii
casus, vel rationes, quæ sufficientes & legitimæ arbitrio pru
dentis viri visæ fuerint pro qualitate loci, temporis, & per
sonæ. *ibid num. 20.*

111. Superior posita justa causa tenetur aliquando, v. g.
quando extant urgentes rationes, & aliquando non tenetur
dispensare, quando extant hujusmodi rationes. *ibid. n. 22.*

112. Qui non est supremus Princeps, non potest in lege
dispensare, imposita mulcta pecuniaria fabricæ Ecclesiæ, vel
piis operibus ex præcepto tradenda, nisi fortè imponatur in
pœnam delicti, quia in Trident. *sess. 25. cap. 18.* præcipitur dis
pensatio gratis fieri. *ibid. num. 23.*

113. Quoties aliquid habens connexionem cum materia
dispensationis tacetur, vel falsò narratur, quo cognito Su
perior non dispensasset, invalida est dispensatio; secus si ta
ceatur tantùm res vel circumstantia impertinens ad causam:
unde valida est dispensatio voti obtenta ab eo qui se finxit
virum doctum, vel studiosum, &c. nam hujusmodi fictio nihil
refert ad causam dispensationis. Similiter valida est dispen
satio obtenta tacito nomine personæ, quam si dispensans

cogno-

cognovisset, propter odium dispensationem non concessisset. Valida item est dispensatio, quando erratur in nomine personæ; secus dicendum quoties impedimentum certum narratur sub dubio, aut quoties narratur una tantùm causa, & ea est falsa. Item invalida est dispensatio voti non nubendi, facti in favorem alterius, si in supplicatione non fuit hoc expressum. Item invalida est absolutio quoad censuram, ab hæretico obtenta fingente se esse conversum. *ibid. punct.* 4. *num* 3 *& seqq.*

114. Valida est dispositio, quoties aliquid falsi narratur, quo expresso facilius dispositio obtineretur, modo qualitas, in qua erratur, non apponatur. exativè, sed demonstrativè, seu causa demonstrationis; propterea sequitur legatum esse solvendum, si dicatur, *Lego Ecclesiæ decem modios solvendos ex reditibus talis fundi*: nam hoc legatum sub diversis verborum conceptionibus, videtur expressum, consequenter qualitas videtur apposita demonstrativè. *ibid. num.* 12. *&* 13.

115. Si subreptio tacendò verum, vel exprimendo falsum contingat in una rescripti parte, vitiat, & irritum reddit rescriptum quoad eam partem, in qua est subreptio, non verò quoad reliquas. Quod si non possit separari pars in qua contingit subreptio, rescriptum irritum est totum. Valet autem rescriptum quoad partem in qua non contingit subreptio, etiam subreptione in ea parte à civili scienter commissa, inscio eo in cujus favorem rescriptum obtinetur. *ibidem num.* 14 15. *&* 17.

116. Obtinens dispensationem in duobus votis in eodem rescripto, potest uti dispensatione quoad votum, in quo non contingit subreptio. *ibid. num.* 16

117. Qui in petendo rescripto ad beneficium sive curatum, sive non curatum bona fide tacuit legitimam ætatem ad curatum, potest virtute illius rescripti beneficium simplex obtinere, si ætatem legitimam ad beneficium simplex habeat. *ibid. nu.* 18.

118. Vitium subreptionis & invaliditatis suppletur per clausulam, *motu proprio*, positam in rescripto, quando privilegium motu proprio conceditur sine ulla prævia informatione, sed ex mera concedentis liberalitate; & hoc operatur clausula, *motu proprio*, in rescriptis posita, videlicet quo privilegium censeatur magis voluntarium, & numquam retorqueatur contra eum cui conceditur. *ibid. nu.* 21 22. *&* 23.

119. Dispen-

119. Dispensatio redditur invalida, tacita qualitate quam jura specialiter exprimi volunt, quamvis ea qualitate expressa Superior concessisset dispensationem: unde invalida est dispensatio obtenta non expresso gradu affinitatis, vel consanguinitatis, vel publicæ honestatis, aut non facta expressione diversorum titulorum, ratione quorum duo sunt affines. *ibid. punct 5. n. 1. & seq.*

120. Committens incestum cum consanguinea potest ut dispensatione, si antequam dispensatio obtineatur, iterum cum eadem peccet. *ibid. num. 4.*

121. Invalida est dispensatio obtenta non expressa linea in consanguinitate, affinitate & publica honestate. In cognatione spirituali exprimendum est an sit filiatio vel spiritualis compaternitas. Imò exprimendum est impedimentum publicæ honestatis esse in primo gradu, & consurgere ex matrimonio rato, si de hoc dispensatio quæratur. *ibidem num. 5. & seq.*

122. Invalida est dispensatio quando erratur circa speciem impedimenti, aut quando obtinetur ad contrahendum cum affine, vel consanguineo tacito incestu jam commisso & completo; quamquam quando incestus est occultus, non est necessario facienda ipsius expressio in dispensatione obtinenda à Papa pro foro externo. *ibid. num. 8. & seq.*

123. Copula incestuosa commissa spe facilius obtinendi quod petitur, est explicanda, quamvis alter eorum tantùm talem animum habuerit. *ibid. num. 10.*

124. Valetne in foro externo dispensatio concessa, *stupulanon intercessit*, ea occulta interveniente, & an contrahentes de hoc à judice interrogati teneantur respondere? Respond. contrahentes interrogatos de copula licet occulta, teneri confiteri judici interroganti. *ibid. num. 14.*

125. Invalida est dispensatio, quando committitur error in gradu viciniori, ut si dicatur esse in quarto, cum sit in tertio. Quòd si duo non æqualiter distent à stipite, necessario non est facienda mentio gradus propinquioris stipitis, modò tamen alter contrahentium non distet uno tamen gradu à stipite. Ordinarius non expresso propinquiori gradu, non debet in foro externo dispensationem admittere, donec litteræ declaratoriæ afferantur. *ibid. num. 15. 16. & 17.*

126. Valida est dispensatio à Titio obtenta expresso solum secundo affinitatis gradu, dum ducturus esset in matrimo-

nium

nium Bertam uxoremque sui patrui. Ordinarius potest prædictam dispensationem admittere, absque aliis litteris declaratoriis, *ibid num. 18. & 19.*

127. Dispensatio irregularitatis homicidii contracta occidendo Sacerdotem, valet, etiam tacita circumstantia Sacerdotii. *ibid. num. 20.*

128. Dispensationem voti perseverandi in religione obtinens, eam invalidè obtinet, non expressa circumstantia perseverantiæ. *ibid. num. 21.*

129. Dispensatio per metum, etiam ad hoc incussum, valida est, sed non item dispensatio extorta per dolum & mendacia, si dolus & mendacia versentur circa causam finalem seu motivam dispensationis, id est, quando dispensans non concessisset dispensationem, vel ejus partem, si dolum cognovisset, *ibid. punct. 6. nu. 1 & seq.*

130. Valida est dispensatio ab aliquo obtenta, non exprimendo se alias eam petisse, sed non obtinuisse, & consequenter dispensatio obtenta ab Episcopo successore ab anteriori denegata, valida est, quamvis taceatur circumstantia denegationis. Item, valida est dispensatio ab inferiore, habente tamen potestatem dispensandi obtenta, quamvis non exprimatur eam à Superiore fuisse prius denegatam. Adde obtinentem rescriptum Apostolicum, quo possit à Confessario dispensari, posse nulla mentione rescripti facta dispensationem ab Episcopo, vel alio Prælato, qui dispensandi facultatem habet, obtinere *ibid. punct. 7 num. 1 & seq.*

131. Quando de una & eadem re duplex dispensatio petitur, & prima fuit limitata, in secunda, quæ magis ampla petitur, per se loquendo, facienda est mentio prioris limitatæ, alioquin secunda invalida videtur, nisi secunda ex nova sufficiente causa petatur, aut nisi prima concessa fuerit cum limitatione, quæ juxta stylum apponi soleat. *ib. punct. 8. nu. 1.*

132. Qui ob scrupulum vel dubium circa primam dispensationem secundam obtinet, validè obtinet etiam non facta mentione prioris; secus dicendum de illegitimo dispensato prius, qui si aliam ampliorem dispensationem desideret, debet prioris dispensationis mentionem facere. Item, qui obtinuit exemptionem à solvenda parte decimarum, debet mentionem prioris facere, si ampliorem desideret. Et obtinens dispensationem vescendi carnibus in una Quadragesima, si in alia similem dispensationem quærat, non tenetur prio-

prioris mentionem facere. Similiter dispensatus ad contrahendum cum consanguinea vel affine, si ea dispensatione non sit usus, non tenetur in secunda petenda mentionem prioris facere. *ibid. num. 2, & seq.*

133. Petes, utrum habens plura impedimenta, seu vincula, validè obtineat dispensationem unius, non explicatis aliis, quibus obstrictus tenetur? Respond. affirmativè, (nisi fortè matrimonii impedimenta excipiantur,) ut patet à simili de obstricto pluribus excommunicationibus, qui potest ab una absolvi, non ablata alia. *ibid. punct. 9. n. 1. & 2.*

Dispensatio quibus modis vim suam amittat.

134. Dispensatio vim suam amittere potest cessatione causæ, morte concedentis, nondum effectu adimpleto, renuntiatione, revocatione, & primo seu unico actu; modo dispensatio absolutè sine limitatione concessa non sit. *ibid. punct. 10. §. 2. num. 1.*

135. Dicitur, *cessatione causæ*, quia cessante causa finali, seu motiva dispensationis, post obtentam dispensationem, & nondum executioni mandatam, probabile est etiam ipsam dispensationem cessare; delegatusque ad dispensandum, non potest validè dispensare, si post indultum sibi concessum, cessavit causa justa dispensandi. *ibid. §. 1. n 3. & 5.*

136. Obtinens dispensationem comedendi carnes tempore jejunii ob infirmitatem, ea cessante tenetur à carnibus abstinere. Item, obtinens dispensationem in aliqua lege humana, vel divina, &c. peccat, tali dispensatione utendo transacta causa dispensationis. *ibid n. 6. & 8.*

137. Quando autem dubitatur an causa dispensationis cessârit, præsumitur non cessasse, consequenter dispensatio valida est. *ibid. num. 10.*

138. Dispensatio semel obtenta, & jam executioni mandata non cessat, nec revocari potest, cessante causa, ob quam fuerat concessa; ut si justa de causa concessa sit dispensatio ad contrahendum matrimonium, & vi talis dispensationis contractum sit matrimonium, non cessat dispensatio, si contracto jam matrimonio cessat causa dispensationis. *ibid. n.*

139. Petes, quid efficiat renuntiatio dispensationis? Efficit ut dispensatio quæ nondum executioni demandata fuerat, vim

vim suam amittat, si renuntiatio acceptetur à dispensante. Exempli gratia: Titius obtinuit dispensationem ducendi consanguineam in matrimonium: sed ante contractum matrimonium cedit dispensationi, dispensatio cessat, si cessio seu renuntiatio dispensationis acceptetur à dispensante, hinc patet dispensatum posse dispensationi renuntiare antequam sortiatur effectum. Et qui proposuit non uti dispensatione aut illi renuntiare, potest ea uti, vel renuntiationem revocare, si eam Superior nondum acceptavit. *ibid.* §. 2. *n.* 3. *& seq.*

140 Dispensatio impetranda est illius expensis, qui onus illius impetrandæ suis sumptibus in se suscepit. Quando tamen præcessit consensus tacitus vel expressus impetrandæ dispensationis, & alter onus illius impetrandæ suis sumptibus liberaliter in se non suscepit, dispensatio communibus expensis impetranda est. Et qui obtenta de communi consensu dispensatione injustè renuit matrimonium contrahere, tenetur ad integras dispensationis expensas: qui vero justè renuit absque alterius culpa, tenetur solùm ad partem expensarum; quod si renuat ob alterius culpam, videlicet ob injustam & injuriosam alterius actionem, ad nullas tenetur; sed alter qui causam resiliendi dedit, ad integras expensas tenetur: unde sequitur, eum qui resilit à promissione matrimonii ob supervenientem in altero contrahente notabilem deformitatem, non teneri integras dispensationis expensas solvere, sed tantùmodo partem. *ibid. punct.* 11. *n.* 2. *& seq.* Item

141. Vir qui est fornicatus ante promissionem matrimonii, non tenetur ad integras expensas, si sponsa obtenta dispensatione, nolit cum eo contrahere cognita ipsius fornicatione: nam fornicatio sponsi antecedens promissionem matrimonii non est injuriosa sponsæ. *ibid. num.* 10.

142. Ille cujus culpa post matrimonii promissionem, contrahitur impedimentum dirimens, tenetur si possit propriis expensis dispensationem obtinere, ut sponsalia perficiantur, *ibid. num.* 11.

ADDITIO.

Lex humana non obligat in conscientia, ubi constat ejus rationem seu intentionem principalem cessare, solet autem intentio ex proœmio colligi. Cessat & obligatio cessantibus inconvenientibus, ob quæ lata est. item, si est lex inutilis, idem

item in casu, quem, si legislator cogitasset, excepisset: item non est recepta à principio, etiam ignorante id legislatore aut non recepta est à majore parte talium personarum, a quali excusando loquitur, sciente superiore, & non contradicente, ad quod sufficit bis aut ter feciſſe contra legem; item a casu scandali, aut infamiæ, aut metus cadentis in constantem virum, aut cùm occurrit casus, ubi ratio judicat non servandum; aut cùm fundatur in præsumptione, & constat de contrario; aut cùm est injusta, aut non in bonum commune, aut afferens magnum damnum, aut cùm est valde difficilè observare, reputatur enim Jure impossibile. De lege Sot. *l.1. de just.* Carbo *integr. volum.* Azor. multa *l.5. tit.1.* Nav. *cap.23 à num.* 49. Tolet. *de sept. pecc. mort. cap.* 18. 19. 20. Sayr. *t.2. Vel consuet.* vid Nav. *c,15 num.*21. Covar. *in c cum esset. de testam. num.*8. *non recepta*) Fum. *lex. num.*11. *Aut metus.*) Sot. *l c,q.* 6. *art.*2. Syl. *metus num.*6 *Aut cum occurrit*) Val. *t.2. d.q.*5. *p.*6. *Aut cum fundatur*) Mol. *d.*208. *in fin.*

Cùm in lege Ecclesiastica dicitur, *teneatur*, vel *præcipimus*, videtur esse obligatio mortalis peccati, secus si dicatur, *faciant* vel *dicant*, vel *ordinamus*, vel *statuimus*, *mandamus*, vel *jubemus*, quamquam debet, *mandamus*, prohibemus, & oportet, quidam putent obligare ad mortale. Vid. Azor. *l.c.q.*3. Tolet. *l.c.* Navar. *c.*23. *num.*48 *Quamquam*) Ita Azor. *l.c.*

Lex civilis tollitur consuetudine contraria decem annorum, & etiam Ecclesiastica, si Papa sciens non contradicat, item que lex Episcopi, Episcopo non contradicente. Quinetiam quævis consuetudo per duos, vel tres actus contrarios, sciente superiore, & tolerante, legem abrogat, secundum quosdam; nisi sit contra publicam utilitatem. Sylv. *vers. consuetudo num.*9. *Decem annorum*) Azor. *l.5. c,*17. *q.*6. Sylv. *consuetudo. num. Ecclesiastica.*) Azor. *c.*18. *q.* 9. ex Oldrado & aliis: Fel, tamen Abbas, & alii, cum communi dicunt, id esse verum in lege, non autem in canone, qui non abrogatur, nisi consuetudine 40. annorum, etiàm sciente, & patiente principe, nisi illam expressim approbando Jus tollat. *Quin*) Quidam dicunt, unico, quidam duobus, quidam pluribus actibus id fieri, vide Carbo *l.*9. *d.*2. qui docet, non posse certam regulam præscribi, sed id boni viri, aut judicis arbitrio relinqui. Azor. *l.c.q.*25. plures actus requiri ait ad consuetudinem.

Nulla lege tollitur consuetudo rationabilis, certi loci, nisi fiat ejus mentio, nec statuta particularia non continentia solum

lum jus commune, nisi lex aliud apertè dicat. vid. *c. 1. de constit. lib. 6.*

Lex revocatoria privilegiorum non habet vim, usque ad publicationem.

Legitimæ.

Legitima, si filii sint plures, quam quatuor, est dimidia pars bonorum, quæ reliqua sunt solutis debitis defuncti: & impensa funeris, quòd si non plures, est tertia tantùm pars; atque id est, quòd inter omnes dividendum necessario, est enim debitum filiis legitimis, eisque mortuis, neporibus legitimis. Debetur autem à matre etiam filiis naturalibus, non autem spuriis. Debetur & parentibus legitima à filiis non habentibus filios, & fratribus ex parte patris, si quis infamem heredem instituat, cùm illi non essent ingrati. Quòd si illis in testamento nihil esset relictum, esset nullum; si autem minus legitima, supplendum. De hac re multa Mol *d. 177.* Vid. Sylv. *verſ. legitima portio: num. 1. Si autem)* Syl. *l. c. n. 8. l. omnimodo, C. de inoffic. test* Mol. *l. c. col. 1.*

Non potest filiæ legitima tolli statuto, secundùm quosdam, sed potest statui, ut sit contenta dote sufficiente, modò ne enormiter lædatur. Potest verò, secundùm alios, legitima statuto minui, & ex causa tolli, sed non alimenta, nec dos, & quidem alicubi per primogenituram privantur alii filii legitima. Vid Syl *l. c. n. 3.* Cova. *in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 6. num. 5.* docet, legitimam lege, aut statuto minui posse, usque ad quantitatem alimentis necessariam, tunc autem prorsus tolli, cùm filius necessaria ad vitam aliunde habet.

Filia dotata potest petere supplementum legitimæ, si ei non renuntiavit expressè. Computanda autem sunt omnia ei data à patre occasione matrimonii, exceptis vestibus ad usum quotidianum necessariis.

Renuntiatio legitimæ facta per metum, non firmatur juramento. vid Lopez. *p. 2. c. 23* Covar. *in c. quamvis de pact. 3. § 4. num. 2.*

Filius renuntians hæreditati etiam cum juramento, potest petere supplementum legitimæ, in quam tamen computandum, quod ex bonis patris inhonestè expendit, nisi præsumatur pater donasse. Supplementum autem legitimæ non petitum, potest petere hæres etiam extraneus. vid. Cov. *in cap. Rayn. de testam. § 1. num. 8.*

Non computatur regulariter in legitimam donatio p... ab initio valida, computatur autem, secundùm quosd... quæ morte confirmata, & donatio dotis, aut prop... nuptias, aut pro liberatione filii à pœna delicti. vid. Cor... *in c. Raynut. de testam. §. 2. num. 6.*

Filii ob hæresin patris damnati privantur legitima, ... autem ob ejus crimen læsæ majestatis, secundùm quosd... Vide Sylv. *l, c. num. 5.*

Ex donatione Ecclesiæ facta detrahitur legitima filiis d... bita, si post illam nascuntur. Covar. *l. 1. var. resol. cap. 19.* ... Quidam tamen putant, omnem prorsus donationem revo... ri, *ibid num 11.*

Legitima judicis arbitrio, & non heredis, ex hæredit... deducenda.

Libri.

Libri, & Tractatus Astrologiæ judiciariæ, Geomantiæ, Chiromantiæ, &c. Magiæ, Sortilegiorum, auguriorum, &c. ne legantur, sed dentur Episcopis, vel Inquisitoribus. ... *Bulla Sixti V.*

Libellus famosus.

Vide v. *Detractio.*

Ligamen.

Vide v. *Matrimonium.*

Littera.

Litteras alienas aperire, & legere, mortale, est, nisi sit scribentis Superior, aut faciat sua ratihabitione, aut inadvertenter, aut contineant res parvi momenti, aut habeantur pro derelictis, aut sint inimici, quo timetur aliquid mali, aut ... gubernator tempore belli, nec sit periculum magni dam... Nav. *c. 18. nu. 53. v. falsarius num 2.* Lopez. *p. 2. c. 43.* ... Nav. Lopez. *l. c* Fum. *v. littera 1. & falsarius, num. 4.*

Locatio

Locatio & Conductio.

Vide v. *Contractus.*

1. Locatio est contractus, quo mercede conceditur persona, vel res ad usum vel fructum; conductio verò est contractus, quo mercede accipitur persona vel res ad usum vel fructum. *tom. 3. de Contractibus, quæst. 7. punct. 1 n 1.*

2. Omnes res quæ vendi possunt, possunt etiam locari, nisi specialis extet aliqua prohibitio, ut extat in viis & subjectionibus prædiorum, quæ non possunt locari, quamvis vendi possint. Ex oppositò dantur res aliquæ, quæ locari possunt, sed vendi prohibentur, quales sunt res pupilli & minoris. *ibid. num. 3.*

3. Quando duo vel plures habent domum, vel fundum communem, & unus vult uni locare, alter verò non vult; aut unus vult locare ad unum usum, alter ad alterum; aut unus locare vult personæ honestæ, alter inhonestæ, prævalet contractus illius qui habet majus jus in re, seu majorem partem, vel qui vult locare personæ honestæ, etiamsi fortè persona inhonesta plus mercedis offerat. *ibid. num. 6.*

4. Locator teneturne aperire conductori vitia rei locatæ? Tenetur, sicut & venditor tenetur aperire vitium rei venditæ emptori: propterea qui locavit alteri vasa vitiosa, tenetur ad restitutionem damni quod passus est conductor non admonitus de rei vitio. Item tenetur ad restitutionem damni secuti, qui equum assuetum se in aquam demittere, alteri locavit ad merces transferendas, non admonendo conductorem de vitio equi. *ibid punct 2. num. 1. 3. & 4.*

5. Locator tenetur non solùm ad resarciendas expensas necessarias factas à conductore in resarcienda re conducta, verùm etiam ad resarciendas expensas utiles quæ duraturæ sunt ultra conductionis tempus. Item tenetur ad onera & tributa imposita, pro re locata, nisi aliter convenerit cum conductore, vel nisi aliter postulet locorum consuetudo. *ibidem. num. 6. & 7.*

6. Locator non potest rem locatam repetere, nondum finito locationis tempore, exceptis his casibus, ut quando conductor cui res ad quinquennium vel ad plures annos fuit locata, per biennium continuum ultra terminum præfixum

distulit solutionem pensionis debitæ pro re conducta ; aut quando conductor abutitur re conducta, ut quando tradicit meretricem in domum conductam, aut alio pacto male utitur re conducta; aut quando locatori supervenit inopinatus eventus, quo ipsi necesse est domum suam habitare; aut denique quando domus indiget reparatione, qua non indigebat tempore locationis, & reparatio fieri non potest, nisi conductor expellatur domo. *ibid. n.* 8 *& seq.*

7. Conductor non potest uti re conducta, nisi ad eum usum, ad quem conduxit, nisi aliter coniiciat de mente locatoris ; neque potest absque justa causa rem conductam dimittere, nondum expleto locationis tempore, quo expleto tenetur pensionem solvere, nisi fortè absque sua culpa non fuerit usus re conducta, aut fructus ex ea non perceperit ob aliquod impedimentum superveniens, ut propter bellum, pestem, &c. *ibid. punct. 3. num.* 1. *&* 2.

8. Qui famulos in necessitate constitutos, seque ultro offerentes conducunt ad inserviendum minori pretio ratione ultroneæ oblationis quàm alioquin conduxissent; videntur aliqua ex parte excusandi: quamvis enim necessitas non diminuat rei valorem, nihilominus ultroneæ merces vilescunt, etiamsi tradantur ob necessitatem vendentis. *ibidem punct. 4 num.* 6.

9. Dominus expellens domo famulum nondum elapso termino constituto, tenetur ad integram mercedis solutionem, nisi fortè ex gravissima causa adducatur ad ipsum expellendum. Sed, tenebiturne dominus famulo habenti infirmitatem solvere mercedem pro tempore quò detinetur infirmitate? Non videtur teneri, & in hoc casu standum est consuetudini & conventioni Famulus verò qui lapsus est in morbum, tenebitur ne transacto morbo, simulque elapso termino ad inserviendum, tamdiu inservire, quamdiu prava usus est valetudine? Non tenebitur, quia lapso termino constituto cessat obligatio, cùm terminus censeatur appositus ad finiendam, non ad sollicitandam obligationem, ut in simili patet de obligatione jejunii. *ibid. num.* 11. 13. *&* 14.

10. Locatio finitur vel lapso termino, vel mutuo contrahentium consensu, transitque ad successorem universalem, qui gerit vicem prædecessoris; at successor singularis, quiscilicet succedit in re particulari, non tenetur stare contractui locationis celebrato ab eo, cui succedit in re particulari; unde

de maritus qui accepit in dotem aliquam rem locatam quam ignorabat locatam esse, non tenetur stare locationi; censetur enim successor singularis: at conductor qui agrum seminavit, non potest ante collectos fructus, expelli ab emptore cui locator rem vendidit: intempestivè enim expelleretur. *ibid. punct. ult. num.* 1. *& seq.*

11. Minor vel pupillus, tenetur finita tutela vel cura stare locationi factæ à suo tutore, vel curatore; quia quæ tutor vel curator agit, non agit suo nomine, sed pupilli vel minoris: conceditur tamen minori restitutio in integrum, si notabiliter compererit se læsum; & idem dicendum de Ecclesia, si læsa inveniatur. *ibid. num* 7.

Locus sacer.

Vide v, *Immunitas.*

Ludere, Ludus.

Vide v. *Restitutio.*

1. Ludus est contractus, quo ludentes res suas periculo exponunt propter spem acquirendi rem alterius expositam ludo. Ludus generaliter sumptus non est illicitus ex natura sua; fieri tamen potest illicitus, mortaliter suppositâ rei gravitate, ex his circumstantiis; videlicet ex affectu ad malum, si admisceantur facta aut dicta prava, ut convicia, blasphemiæ, &c. Item quando intercedunt fraudes contra leges ludi, quando alter dolo, aut vi, aut metu pertrahitur ad ludum, quando intervenit irreventia contra Deum, quando ludus exercetur cum eo qui non potest pecuniam ludo exponere, vel donare, vel alienare, & ratione periculi alicujus notabilis nocumenti. At ludus non fit illicitus mortaliter (præciso scandalo) ratione intentionis lucrandi, personæ, loci sacri, temporis, &c. *to.* 1. *de restitutione in particulari, disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 1 *num.* 1. 3. *& seq.*

2. Ludi histrionum suntne liciti? Sunt liciti, si honestè fiant; secus si turpiter & inhonestè, aut cum repræsentatione turpium exerceantur. *ibid. num.* 16.

3. Clerici possuntne ludos larvales facere? Non possunt, dedecet enim personam Ecclesiasticam fictam personam

hoc modo repræsentare, neque excusandi videntur à morta-
nisi fortè hoc rarò facerent, brevi tempore, & absque scanda-
lo. *Ibid. n.* 17.

4. Petes, an sicut licitus est ludus ex sua natura, ita etiam li-
cita sit sponsio? Licita est ex natura rei, debet tamen æquitas
esse spondentium conditio, id est, qui certò scit rem pro qua
spondet certo evenisse, vel eventuram esse, peccat, & tenetur
ad restitutionem rei per sponsionem acquisitæ, nisi suam sci-
entiam alteri spondenti manifestaverit, qui si post manifesta-
tionem velit adhuc spondere & contendere, nulla ei fit inju-
ria; quia volenti & scienti non fit injuria. *Ibid. num.* 18.

5. Qui inter ludendum fraudes vel astutias adhibent, quæ
juxta consuetudinem adhiberi solent, (ut si quis videat so-
cium errantem in numerandis signis, vel si inter luden-
dum agnoscens se lucraturum, invitet socium ad augen-
dam sponsionem, vel objiciat pactionem restantis pecuniæ,
quamvis simulet timorem ex oris & vultus mutatione,) ex-
cusari possunt à restitutione. Idem dicendum est, quando
fraudes adhibentur ex consensu tacito, vel expresso ipsorum
ludentium. At non excusantur ii, qui se fingunt minùs pe-
tos, ut alios ignaros pertrahant ad ludendum, aut qui mora-
liter certi sunt se lucraturos ob suam peritiam, aut dexteri-
tem, longè majorem, aut qui aliquid lucrati sunt in ludo, eò
quòd chartas suffurati sunt, vel illas notaverunt, &c. aut
qui auctionem factam ab altero colluſore acceptarunt, eò
quod ab alio tertio admoniti fuerint, ut eam acceptarent,
aut qui alterum in ludo longè inæqualem minis & convicis
traxerunt ad ludendum, & ita attracti perdiderunt. *ibid. punct.*
2 *nu* 2 *& seq.*

6. Quæ filiusfamilias acquirit ludendo, acquirit sibi, non
patri, potestque ludo acquisita iterum ludo exponere. Si vero
filiusfamilias, aut alius non habeat facultatem disponendi de
re quam ludo exponit, non potest retinere sibi lucrum quod
ludo acquirit, quia censetur adesse dolus dans causam con-
tractui. Similiter lucrum acquisitum restituendum est collu-
sori perdenti, si alter non habeat aliud quod traderet perden-
si perdidisset, quia qui nihil potest perdere, nisi potest lucrari;
nam alioqui non esset æqualis utriusque ludentis conditio.
Ibid. num 11. *& seq.*

7. Qui ludo lege humana vetito perdidit, non tenetur
in conscientia solvere quod perdidit credita pecunia, stan-
do

do in jure communi Cæsareo, (nisi fortè juraverit se solutu-
rum quod perderet;) imò potest solutum repetere, quoties
datur actio ad repetendum, & non cessit, seu non renuntia-
vit beneficio legis concedentis repetitionem. *ibid punct. 3.*
num. 2. 4. & 5.

8. Qui aliquid ludo vetito acquisivit, non tenetur ad il-
lius restitutionem ante judicis sententiam, modò non impe-
dierit judicem per vim vel fraudem, ne condemnaretur ad
restitutionem acquisitorum, & modò contractus non sit in-
justus. *ibid. num. 8.*

ADDITIO.

Ludere ludo prohibito, non est peccatum, si fiat mode-
ratè causa recreationis, aut alia honesta, cessat enim ratio le-
gis. *De ludo*) Alcocer Angles *in* 4 Castr, *de restit.* Gartz. *de*
contract. c. 42. 43. Tol. *l.* 5. *c.* 27. Lopez. *de contract. l.* 2 *l.* 21. *p.* 2.
c. 31 & Mol *à. d.* 510 Abul. *in c. materia q.* 52. vid. Mol. *d.* 521.

Ludum funambulonum quidam illicitum dicunt, ob pe-
riculum mortis; alii licitum, si adeo periti, ut periculum ti-
mendum non sit, vid P. N. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 83. *Ob periculum*) Sylv,
verb art. q. 8. *Alii*) Nav *c.* 15. *num.* 8. Tol. *l.* 5. *num.* 13

Ludum agitationis taurorum licere, non obstante pro-
hibitione Pii V. Nav. putat *c.* 15. *n.* 21. si sic fiat, ut non sit pro-
babile periculum, quia cessat ratio legis. Ab ea quidem pro-
hibitione Gregor. XIII. censuras abstulit, positas contra per-
mittentes & congredientes. Lopez. *l. c cap.* 32. *Ab ea*) P. N.
l. c nu 330 Ludere aleis causa lucri magni, etiam laicis esse
mortale Sylv. putat, at Nav. solis Clericis. iisque etiam si lu-
do exponant bona matrimonialia, vid. Sot. *l.* 4. *quæst.* 5. *art.* 2.
Lopez *l. c cap.* 31. At Nav. *c.* 20. *num.* 9 vid. Mol. *d.* 521

Qui valdè excedit peritia ludendi, tenetur restituere id
nescienti; secus est, si uterque de altero ignorans, se pericu-
lo commisisset. Alcocer. Angl. *l. c* vid. Lopez *c.* 35. D. Thom.
22. *q.* 32. *art.* 7 Mol. *d.* 516.

Quæres: an liceat ludere aleis, vel chartis, pro recreatio-
ne animi? Resp. licere, quando abest periculum jurandi, &
jacturæ magnæ pecuniarum: tum autem maximè licet, si
pro nihilo luditur, & omne scandalum abest.

Luxuria

Luxuria.

Vide v. *Decalogus, Sacrilegium.*

Fornicatio est ex genere suo peccatum, gravius furto; incestus autem gravius adulterio.

Incestus dicitur cum cognatis, etiam spiritualibus, per baptismum, aut confirmationem, & affinibus. Cognatos vero intellige usque ad quartum gradum; affines autem nisi sit affinitas ex copula non conjugali, quæ solùm extenditur usque ad secundum. Cum religionem verò professis, aut ordinatis in sacris, aut loco sacro, potius est sacrilegium, etsi quidam incestum putant: cum filia autem confessionis, etsi est peccatum dignum depositione, & carcere, non est tamen cum ea propriè cognatione spirituali, dicitur verò incestus per quamdam similitudinem. vid. 30. *q.* 1. *omnes, & c. non debet.* Val. *t.* 3. *d.* 6. *p.* 3.

Stuprum dicitur, si femina virgo sit, non si vir. Cajet. *in* 2. 2. *q.* 154. *art.* 6. Tol. *l.* 5. *c.* 1.

Sodomia est, cùm duo ejusdem sexus commiscentur, etiam feminæ, vel cum femina vir præposterè. Quidam verò putant, variari speciem, si fiat cum cognato, aut affine, aut cum habente votum castitatis, aut cum conjugata, aut cum virgine, aut viri cum femina, quæ duo postrema Emm. Saa non facilè admittenda putat. *Cùm duæ etiam feminæ*) D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. *in corp.* Syl. *luxuria n.* 1. Val. *l. c. col.* 1679. Fum. *sodomia.*

Dicit autem Covar. *l. c. ex Alcia.* si femina more viri feminam subigat, non punitur ordinaria sodomiæ pœna; Nav. *l. consil.* 1. *de judi.* sodomiam viri cum uxore paulò minorem vocat, quàm cum alia persona in foro exteriori. Fum. verò *loc. cit.* cum femina non esse sodomiticum crimen ait, licet contra naturam.

Quidam,) Concubitus contra naturam cum uxorata, virgine, moniali, rapta, consanguinea, aggravat speciem, & variat. Cajet. 2. 2 *q.* 154. *art.* 12. *ad prim.*

Pollutio involuntaria non est peccatum, nec oportet relinquere opus honestum, unde sequitur contra intentionem, nisi sit periculum consentiendi.

Pollutio in semiexperrecto, non est mortalis, quia non ple-

plenum, seu integrum judicium. Sot. 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 7. *col.* 5. Tol. *l. c. num.* 3. *cap.* 13.

Cœptam in somnis pollutionem non tenetur evigilans reprimere, sufficit enim non placere. Sot. *loc. cit.*

Optare, ut accidat in somnis pollutio, ad mitigationem libidinis, aut ob aliam honestam causam, mortale non est: modò non detur ei causa: nec ob eamdem causam de præterita gaudere, nec comedere illa, unde creditur secutura, modò non intendatur. Fum. *pollutio, num* 4. Navar. *l. c.* D. Ant. 2. *p. tit.* 60. 5. Tol. *l.* 5. contra Sot. *l. c. col.* 6. *Nec.*) Syl. *l. c.* Navar. *l. c.* Tol. *n* 8. sed Val. *l. c. col. pen.* contra Navar. licere ait, ob sanitatem gaudere, non autem ob pollutionem.

Procurare pollutionem numquam licet ob bonam valetudinem, licet hanc ex illa optare, Tol. *l. c. num.* 4 Navar. *vers. sexta.*

Delectatio de peccato mortali, quæ dicitur morosa, mortale peccatum est, & ejusdem cum peccato operis speciei. vid. Thom 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. Syl. *verb. delect. q.* 1. Non licet autem delectari carnaliter cogitando de copula licita præterita, vel futura, ita ut insurgat sensualis concupiscentiæ motus, & delectatio sit de motu præsenti occasionata ex cogitatione præteriti, vel futuri. Syl. *ibi q* 3 *Delectatio*) D. Tho. 1. 2. *q.* 74 *art.* 4. Navar. *c.* 11. *n.* 12. Syl. Cajet. *vers.* Fum. *ver. cogitatio. n.* 3. Lop. *p.* 1. *c* 40. *col* 3. ex communi, si quatuor concurrant vid. Jo. B. Cor. *q.* 50.

M.

Maleficium.

Vide v. *Superstitio, Divinatio, Observatio vana.*

1. MAleficium est ars nocendi aliis ope & potestate dæmonis, qui per peccatum non amisit scientiam naturalem, sed adhuc maxima poller scientia & cognitione, quam comitatur potentia. Magia naturalis, seu mathematica non est superstitiosa, nec malefica, benè tamen diabolica, & idcirco est illicita: propterea non est licitum maleficos, etiam alias paratos, adhibere ad maleficium faciendum pro re gravi & bono publico, aut causa curiositatis, &c. neque licitum est quoque petere, ut maleficus, aut alius uno maleficio dissol-

vata aliud; quamquam si maleficus sciat modum licitum tollendi maleficium, licet eum rogare ut illud tollat. Solent hæc remedia adhiberi contra maleficia, magna fides in divina protectione, susceptio Baptismi & Eucharistiæ, confessio peccatorum, exorcismi Ecclesiæ, aqua benedicta, reliquiæ Sanctorum, signum crucis, invocatio nominis JESU, B. Virginis Mariæ, oratio, & jejunium. *tom 2. circa primum Decalogi præceptum, disp 3 q.5.punct.5.n.1.& seq.*

2. Confessarius inquirere debet à malefico, an pactum ierit cum dæmone, & an promiserit se derelicturum Christum & ab ejus fide discessurum; an exhibuerit honorem satanæ; an in pacto interceserit hæresis, v.g. an crediderit sacramentum nihil prodesse, &c. an confecerit maleficium ex rebus sacris, & an damnum intulerit; nam si intulit, peccavit contra justitiam, & consequenter debet restituere. *Ibid.num.11.*

3. Maleficus cognosci potest ex confessione ipsius propria, ex attestatione eorum qui delicti participes fuerunt, ex scriptura qua se dæmoni volens dedicavit, ex signo aut stigmate maleficis imprimi solito, ex inventis apud eum hostiis, velimaginibus ceræ acubus infixis, ex unctione animalium, aut aliorum qui postea interierunt. *Ib.n.12.*

Martyrium.

Vide v. *Baptismus.*

Matrimonium.

Vide v. *Sacramentum, Sponsalia, Divortium, Lex, Votum, Delectatio, Pollutio.*

1. Matrimonium est legitimus & indissolubilis contractus inter virum & feminam, quo traditur & acceptatur mutua corporum potestas & confertur gratia sanctificans. *tom.1.de natura & proprietatibus matrimonii, q.2.punct.1 n.2.*

2. Ad contrahendum matrimonium non sufficit consensus internus, nisi exprimatur verbis & signis; & regulariter taciturnitas non sufficit; hinc invalidum est matrimonium, quando femina tacet, licet interius consentiat. Invalidum est præterea, quando extraneus spondet & repromittit pro femina tacente: nullum tamen extat præceptum sub mortali celebran-

brandi matrimonium verbis. *Ibid. num. 3. & seqq.*

3. Inter beatam Virginem & S. Joseph intercessit verum matrimonium ratum, sed non consummatum, quandoquidem beatissima Virgo semper fuerit virgo. Neque peccavit contra votum castitatis contrahendo matrimonium: factum enim erat sub hac conditione, nisi Deus aliter sibi placere revelaverit. *Ibid. n. 9 & 10.*

4. Matrimonium infidelium est quidam contractus, quem infideles celebrando non peccant; non tamen est sacramentum, loquendo de sacramento proprie accepto, carent enim Baptismo qui est janua sacramentorum. Eorum tamen matrimonium fit sacramentum post Baptismum, intervenient novo consensu, aut ratificatione præcedentis.

Matrimonium contractum à fideli cum catechumena ex dispensatione Summi Pontificis, est sacramentum. *Ibid. punct. 2. n. 2. & seq.*

5. Obligatio contrahendi matrimonium potest contingere extra necessitatem conservandæ speciei humanæ, quando est unicus heres, quo non nubente, exorirentur seditiones & bella in Republica. *Ibid. punct. 3 nu. 4*

6. Religiosi & habentes votum castitatis, possent & tenerentur matrimonium contrahere casu quo ceteri homines essent bello vel peste extincti, & non invenirentur alii præter religiosos, aut alios votum castitatis habentes. *Ibid. num 3.*

7. Mutua corporum traditio est materia proxima sacramenti matrimonii: acceptatio verò utriusque conjugis est forma sacramenti matrimonii, & per eam perficitur matrimonium. *Ibid punct. 4. n. 1.*

6. Minister essentialis hujus sacramenti non est Sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes, cùm efficienter celebrent contractum matrimonii: Sacerdos verò est tantùm accidentarius minister, quatenus ex officio jungit & benedicit contrahentibus, quod est accidentarium matrimonio. *Ibid n. 5.*

9. Validè contrahi potest matrimonium etiam quatenus sacramentum, inter absentes per litteras vel procuratorem, sive procurator sit masculus, sive femina: id enim postulat natura contractus, & consequenter matrimonii, quod est contractus elevatus in sacramentum. Et in hoc differt à reliquis sacramentis quæ celebrari nequeunt inter absentes. *Ibid. punct. 5. n. 1. & 2.*

10. Nul-

10 Nullus fidelis potest contractum matrimonii celebrare quin sit sacramentum: quamquam ratio sacramenti & contractus videatur separabilis *Ibid. num.* 4.

11. Ut matrimonium celebratum per litteras vel procuratorem sit validum, requiritur præsentia Parochi & testium, ut litteræ non sint fictæ; id est, ut non sint factæ sine animo contrahendi; & ut procurator non sit fictè constitutus, & ut consensus non sit revocatus. Denique requiritur ut procurator agat per seipsum, ut habeat speciale mandatum ad contrahendum cum certa persona, & non excedat fines mandati. *Ibid. num.* 5. 6. & 8.

12. Validè celebratur matrimonium nomine alterius sine præmissis denuntiationibus, quando procurator electus fuit ad ineundum matrimonium servata forma Tridentini. *Ibid. num.* 9

13. Procurator contrahens matrimonium nomine alterius, adhibet hæc verba: *Recipio te in uxorem nomine Titii*, vel, *Titius accipit te in uxorem me mediante*: & femina respondet: *Ego te mediante duco Titium*, *Ibid. num.* 11.

14. Qui matrimonium per procuratorem celebrat, debet advigilare ut sit in gratia quando celebratur matrimonium; tunc enim ipse suscipit sacramentum sive vigilet, sive dormiat, sive factus sit amens. *Ibid. num.* 13.

15. Matrimonium clandestinum, quod videlicet contrahitur sine Parocho & duobus vel tribus testibus, est invalidum; aliàs tamen validum fuit. Matrimonium quod domi celebratur, non dicitur clandestinum & invalidum, modò celebretur coram Parocho & testibus. Parochus jubetur habere librum, in quo referat nomina testium & contrahentium, locumque & tempus contractus matrimonii. *Ibid. punct.* 6. *num.* 24. &

16. Contrahere matrimonium clandestinum absque denuntiationibus, sine licentia est peccatum mortale, sicut & illud consummare; sed tamen matrimonium ita contractum, validum est *Ibid. num.* 6 & 7.

17. Quando contrahentes habent plura domicilia, seu parœcias, denuntiationes faciendæ sunt à Parocho tribus diebus festis continuis in ea parochia, in qua diutius habitant, & principaliorem aut antiquiorem habent larem. *Ibid. num.* 11.

18. Parochus propria auctoritate & sine causa legitima omittens denuntiationes, suspendendus est ab officio per triennium, aliquando tamen de licentia ordinarii una tantum de-

denuntiatio præmittitur: qua facta non statim contrahendum matrimonium, sed dandæ mora ad deferendum impedimenta si quæ extent. *Ib n.* 13. 15. & 16.

19. Inter Missarum solemnia, vel alia celebri occasione fieri solent denuntiationes in die festo, etiam alicujus particularis Ecclesiæ. Imò verò adhuc alio die quàm festo, si adsit magnus populi concursus. Talis enim est mens Concilii Tridentini, ut multi sciant, & detegantur impedimenta; ad id enim obligantur qui sunt conscii, secluso gravi suo incommodo, & aliorum scandalo. Imò habens impedimentum, tenetur desistere à matrimonio contrahendo; illudque judici interroganti juridicè manifestare. *Ibid. num* 17. & *seqq.*

20. Transferens se ad locum, ubi Tridentinum non est acceptatum, potest ibi matrimonium sine Parocho & testibus, validè celebrare. Ita captivi apud Turcas validè contrahunt, etiamsi non habeant animum ibi perpetuò manendi. Advertè tamen incolam illius loci, in quo Tridentinum non est acceptatum, non posse celebrare matrimonium sine Parocho & testibus, si divertat ad eum locum in quo est acceptatum. *Ibid. punct.* 7 *num.* 1 & *seq.*

21. Femina quæ invalidè contraxit coram proprio Parocho, non satisfacit coram eodem contrahendo postquam mutavit proprium domicilium. *Ibid. punct.* 8. *n* 4.

22. Non validè potest contrahi matrimonium coram illo Parocho, ad cujus parœciam aliquoties in anno quis divertit relaxationis gratia. *Ibid num.* 5.

23. Validum est matrimonium eorum qui aliò se conferunt ibique habitant, ut evitent proprios parochos: utuntur enim jure suo. *Ibid. n.* 7.

24. Qui habent duplicem parœciam, possunt validè contrahere coram quolibet Parocho. Antequam ignoti & vagi recipiantur ad matrimonium celebrandum, fiat debita inquisitio impedimentorum. *Ibid. num.* 8. & 9.

25. Ad validitatem matrimonii sufficit, si matrimonium contrahatur coram Parocho, sive viri, sive feminæ, quando vir est unius parœciæ, & femina alterius. *Ibid. n* 10.

26. Matrimonium urgente necessitate, aut in periculo mortis, non potest validè celebrari sine Parocho & testibus, irritaturque à Concilio tamquam clandestinum. *Ibid. n.* 11.

27. Sacerdos sæcularis aut regularis, qui audet conjungere non sibi subditos, aut ipsis benedicere sine Parochi vel Ordinarii

nam facultate expressa, incurrit ipso jure suspensionem. *Ibid. num.* 15.

28. Potest Parochus dare facultatem validè assistendi matrimonio suorum subditorum, etiam extra diœcesim: validumque est matrimonium contractum coram Parocho, qui nondum est Sacerdos *Ibid. n.* 16. 17. & 19.

29. Archiepiscopus non potest conjungere in matrimonium subditos suorum suffraganeorum, nec dare licentiam illos conjungendi: cùm non sit eorum Superior, nisi in gradu appellationis, *Ibid n.* 18.

30. Invalidum est matrimonium contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam extorsit per dolum & mendacia veritantia circa causam finalem: secus dicendum quando vertatur tantummodo circa causam impulsivam. *Ibid. n.* 20.

31. Parochus interdictus, irregularis, aut prohibitus, validè assistit matrimonio; adhuc enim posito interdicto retinet jurisdictionem seu potestatem. Similiter is, cui vetitum est ministrare sacramenta ob inscitiam. Item & degradatus, aut Parochus habens beneficium titulo colorato, & errore communi vulgi; modò non adsit impedimentum juris divini vel naturalis. Similiter & laicus, si communi errore habetur Sacerdos aut Parochus, seu ab eo facultatē obtinuit. *Ib. n.* 21 22. 27. & 33.

32. Valida est absolutio data ab eo Sacerdote qui communiter habetur pro Parocho: remanetque absolutus, qui Sacerdoti excommunicato vitando confitetur in eo loco ubi ignoratur, & ipse similiter ignorat: in hoc enim casu Ecclesia supplet jurisdictionem. Adde validè adhuc absolvere Sacerdotem cui fictè data est facultas. *Ibid. num.* 31. 34. & 36.

33. Denique gesta cum errore communi valida sunt respectu ignorantis, modò non adsit impedimentum juris divini, ut contingit in eo qui creditur Sacerdos cùm verè non sit Sacerdos: talis enim invalidè administrat. Idem dic de defectu naturali, qui non potest ab Ecclesia suppleri, & ob hanc rationem gesta judicis mente capti invalida sunt, etiamsi communi errore sanæ mentis credatur. *Ibid n.* 38. & *seq.*

34. Parochus non peccat mortaliter omittendo verba: *Ego vos conjungo*, &c. neque similiter omittendo interrogationem de mutuo consensu contrahentium, quando ei aliunde constat *Ibid. num.* 42. & 43.

35. Quæcumque personæ doli capaces, cujuscumque conditionis & status, sunt legitimi testes in matrimonio. Excipe dor-

dormientes, amentes, ebrios, furiosos, quamdiu carent lucido intervallo: quia non possunt esse præsentes humano modo; sicuti nec Parochus & testes transeuntes, ob eamdem rationem *ibid. n.* 45. 46. & 49.

36. Contrahens matrimonium sine Parocho & testibus, non redditur inhabilis ad contrahendum aliud matrimonium *Ibid. num.* 50.

37. Matrimonium clandestinum nullam inducit obligationem cùm sit irritum, nisi fortè contrahentes habuerint animum obligandi se eo modo, quo possent. *Ibid num.* 51.

38. Ad faciendum validum matrimonium quod revera est invalidum defectu consensus interni, vel ratione gravis metus, sufficit si solùm consensus internus de novo præstetur ab eo qui consenserat fictè, aut per metum gravem; modò alter sponsus, qui anteà verè consenserat, non revocaverit suum consensum, quem signo aliquo externo exprimere non est necessarium. *Ib punct.* 9. *num.* 1. & 3.

39. Ad validandum matrimonium quod fuit invalidum ob impedimentum dirimens, necessarius est cessante tali impedimento novus utriusque consensus signo externo expressus, nec sufficit consensus ejus tantùm qui novit impedimentum. *ibid. n.* 6.

40. Validum est matrimonium cum falso errore impedimenti celebratum, si contrahentes intendant contrahere, quantum in ipsis est: sicut etiam validum est matrimonium eorum qui credunt adhuc vivere priorem conjugem, cùm mortuus sit, si ambo contrahant cum intentione quatenus possunt. *Ibid. num.* 8. & 9.

41. Ad validandum matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, non requiritur præsentia Parochi & testium, si impedimentum illis ignotum fuit: nec tenentur de novo benedictionem recipere *Ibid. n.* 10. & 11.

Matrimonium conditionatum.

42. Conditionum quæ in contractu matrimonii apponi possunt, alia est necessaria, cujus eventus non est expectandus, cùm habeatur pro impleta: alia turpis, & hæc irritat matrimonium quando est de futuro præstanda, & contra substantiam matrimonii, id est contra bonum prolis, fidei, seu fidelitatis: aliæ impertinentes, aliæ impossibiles, aliæ ho-

honestæ, aliæ de præterito, aliæ de præsenti, & aliæ de futuro. Unde patet matrimonium his conditionibus celebratum: *Duco te in uxorem, si cras sol orietur*, &c. aut, *contraham tecum si pater meus è vita migraverit*: aut, *contraho tecum si Antichristus nascetur: si es virgo* &c. statim validum esse. Hasce men rejicere debet Parochus in celebratione matrimonii. Invalidum verò est matrimonium his conditionibus: *Contraho tecum si filios occidas, aut abjicias ut moriantur*, &c. obtinenem jam dictam, aut contractum cum pacto numquam cohabitandi simul. *Ibid. punct.* 10 *n.* 3. *& seqq.*

43. Conditio impossibilis tam de præterito, quàm de futuro, non irritat matrimonium: ut si dicatur, *contraho tecum si montem istum in mare transtuleris*, & adsit consensus contrahentium absolutus. *Ibid num.* 16.

44. Matrimonium celebratum sub conditione honesta de præsenti, vel de præterito, validum est, si res ita est: ut *contraho tecum si dives es.* Si verò conditio sit de futuro, matrimonium non est validum ante conditionis eventum. Hinc futuris quis per verba de præsenti contraxit matrimonium cum duabus sub conditione de futuro, fiat maritus illius, cujus conditio prius adimpletur. *Ibid. n* 20 *&* 21.

45. Matrimonium contractum sub conditione impertinenti de futuro, non est validum, antequam verificetur conditio: validum verò est, ea verificata & adimpleta. *Ib. n.* 24.

46. Validum est matrimonium inter habentes impedimentum celebratum sub conditione, *si Papa dispensaverit*, *Ibid. num.* 23.

47 Ex his patet quid dicendum de sponsalibus sub conditione celebratis. *Ibid. num.* 26.

48. Matrimonium etiam non consummatum, est indissolubile jure naturali & divino: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, nec dissolvi potest propter adulterium: potest tamen Summus Pontifex dispensare in matrimonio rato, ad tollendas graves discordias, vel vitandum perversionis periculum. *Ibid punct* 11 *num.* 2 *& seq.*

Matrimonii impedimenta dirimentia.

49. Impedimenta jure naturæ dirimentia matrimonium, sunt defectus usus rationis, error circa personam, impotentia perpetua ad coeundum, &c. *Ibid. q.* 3. *punct.* 1. *n.* 1.

50. Ecclesia potest irritare contractus mediatè, reddendo personas inhabiles ad contrahendum; & immediatè, irritando contractum matrimonii, v g infidelium *ibid. num.* 2.

51. Per consuetudinem legitimè præscripram possunt nova impedimenta induci, & inducta auferri: consuetudo enim vim habet inducendi legem, & inductam abrogandi. *Ibid. n* 7

52. Impedimenta non solùm impedientia, sed etiam dirimentia secundùm jus antiquum sunt duodecim; secundùm verò jus novum sunt quatuordecim: nam Cõc. Trident. addidit *raptum*, & *defectum præsentiæ Parochi & testium*. Omnia sequentibus versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hic facienda vetant connubia, facta retractant.

Præterhæc, extant alia tantummodò impedientia, quæ paulò post occurrent. *Ibid num.* 10.

Impedimentum erroris.

51. Matrimonium contractum cum errore circa substantiam, est invalidum jure naturæ, tam inter fideles quàm infideles: errantis enim nullus est consensus; nec refert quod error sit comitans, nisi fortè errans intendat de præsenti contrahere cum tali persona, qualiscumque illa sit. *Ibid. punct.* 2. *num.* 2 *& seq.*

54. Matrimonium contractum cum errore qualitatis, non est invalidum: neque celebratum per dolum dantem ipsi causam; adest enim voluntarium simpliciter & consensus positivus. Intellige tamen hanc doctrinam cum duplici limitatione, scilicet ut qualitas circa quam erratur, non fuerit apposita per modum conditionis. ex. gr. si quis dicat, *Duco te in uxorem si es nobilis*: deinde ut error qualitatis non transeat in errorem personæ: tunc enim cum erretur circa personam, invalidum est matrimonium. *Ibid. n.* 5 *&* 6.

55. Tunc autem error qualitatis transit in errorem personæ, quando qualitas in qua erratur, respicit aliquam certam & determi-

terminatam personam, distinctam ab ea quæ præsens est *num.7.*

56. Validè contrahitur matrimonium cum eo qui se fa filium Regis, non explicans cujus Regis filius sit. Sim validum est matrimonium, quando non intervenit error p sonæ, sed qualitatis, *Ibid.num.*8.& 9.

Impedimentum conditionis, seu servitutis.

57. Matrimonium contractum cum errore conditio non est invalidum, quando persona cum qua contrahitur, æqualis, aut melioris conditionis; unde servus contrah cum serva, quam credebat liberam esse, validè contrahit. militer & liber contrahens cum serva, quæ contrahendo libera. *Ibid.punct.*3 *num.*1.& *seq.*

58. Error conditionis irritat matrimonium, quando cond tio errantis fit deterior, ut quando liber contrahit cum serv quam credebat liberam. Irritum etiam est, quando liber co trahit cum serva, cum qua adhuc contraheret, cognita serv tute. *Ibid.num.*4.& 5.

59. Matrimonium inter liberum & servam celebratum, validum, si liber cognito errore copulam habeat cum serv *Ibid.num.*6.

60. Servus potest invito domino matrimonium celebra cum serva, vel cum libera: non tenentur tamen domini co sentire; dubitaturq; an possint vendere servos in locis distan tibus, in quibus servi non possint reddere debitum, maxim quando servi sine eorum licentia matrimonium contrax runt; non posse sine peccato mortali, asserunt Theologi; f cerent enim contra jus illorum. *Ibid.num.*7.8.& 9

61. Filii sequuntur conditionem matris, id est servitute quando est serva, & è contra; nisi mater fuerit libera tempo conceptionis, vel partus, & postea non fiat serva jure bel Quando femina gravida se vendit, filius est liber, & non se vus, *Ibid.num* 10.& *seq.*

62. Uxor constante matrimonio non potest se vendere ad que viri consensu; secus dicendum de viro, qui non est subje ctus uxori, nisi ratione debiti conjugalis. *Ibid.num.*13.

Impedimentum voti.

63. Votum solemne est illud quod emittitur in susceptio-

ne sacrorum ordinum, vel in professione religionis : votum simplex est illud quod fit ad libitum cujuscumque. *Ibi. punct. 4, num. 1.*

64. Votum castitatis, emissum in professione valida religionis approbatæ, dirimit matrimonium, etiam consummatum, factum post ipsam professionem, consequenter religiosus professus invalidè contrahit matrimonium. Idem dicendum de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis JESU, peracto biennio. *Ib n. 2. & 3.*

65. Professio facta in approbata religione, dirimit matrimonium celebratum ante ipsam professionem, modò matrimonium sit tantummodò ratum, & non consummatum. Idem dic de professione Equitum militarium. *Ibid. num 4 & 5.*

66. Facta professione ab altero ante consummatum matrimonium, conjux manens in sæculo potest cum alio contrahere matrimonium. *Ibid. num. 5.*

67. Matrimonium consummatum celebratum ante professionem, non dirimitur per sequentem professionem; etiamsi fuerit consummatum intra bimestre. Sunt qui addant & per vim, sed malè *Ibid. num. 7. & 8.*

68. Alter conjugum post matrimonium consummatum, validè professionem non emittit altero inscio, vel consentiente per metum, dolum, &c. secluſa tamen causa perpetui divortii. Item, invalida est professio quam uterque conjux emisit credens alterum periisse. Adde, conjuges de communi consensu posse ingredi religionem post consummatum matrimonium, imò etiam unum, altero manente in sæculo, si provectæ sit ætatis, si emittat votum continentiæ, & Episcopus consentiat. *Ibid. n. 9. & seqq.*

69. Ingrediens religionem post consummatum matrimonium, committit adulterium, si cum alio copulam habeat. *Ibid. n. 13.*

Impedimentum cognationis naturalis.

70. Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem proximo stipite descendentium carnali propagatione contractum. *Ibid punct. 5. §. 1. num. 3.*

71. Consanguinitas distinguitur per lineas & gradus. Nomine *lineæ*, intellige seriem seu collectionem personarum, tam ascendentium, quàm descendentium. Nomine

gradus, intellige distantiam majorem vel minorem unius personæ ab alia. Linea duplex est, recta, & collateralis seu transversa. *Ibid. n.* 4 & 5.

72. Invalidum est saltem jure Ecclesiastico, matrimonium celebratum inter personas consanguineas intra quartum gradum inclusivè, tam in linea recta, quàm in linea transversali. Item matrimonium celebratum in linea recta consanguinitatis, invalidum est jure naturæ, in primo tantùm gradu. *Ibid. num.* 7. & 8.

73 Validum est matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradu consanguinitatis; cùm infideles non afficiantur impedimentis jure Ecclesiastico inductis, & matrimonium in illis gradibus non sit irritum jure naturæ. *Ibid. num.* 9.

74. Matrimonium contractum à fidelibus consanguineis in linea recta, extra quartum gradum, validum est. *Ibid. num.* 10.

75. In primo gradu lineæ transversæ, nempe inter fratrem & sororem, invalidum est matrimonium jure naturæ; & sicut Papa dispensare potest ut matrimonium celebretur cum filia fratris aut sororis qui sunt in secundo gradu, ita potest dispensare in tertio & quarto: nam in his gradibus matrimonium non est irritum jure naturæ *Ibid. n.* 12 & 13.

Impedimentum cognationis spiritualis.

76. Cognatio spiritualis est propinquitas, seu attinentia quarumdam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, aut Confirmationis, & propter susceptionem recipientis hæc sacramenta. Cognatio spiritualis in Baptismo contrahitur inter baptizantem & baptizatum, inter susceptorem & baptizatum, inter baptizantem & patrem ac matrem naturalem baptizandi, & inter susceptores & patrem ac matrem baptizati, dirimitq; matrimonium jure Ecclesiastico, non verò inter ipsos susceptores *Ib.* §. 2. *n.* 12 & 14.

77. Ad contrahendam cognationem in Baptismo, vel in Confirmatione requiritur ut teneatur infans in Baptismo, solemni, ut puer suscipiatur quando primò baptizatur, ut adsit intentio tacita vel expressa præstandi munus patrini, ut non adsit error personæ, ut baptizans aut suscipiens sit baptizatus quare infidelis nullam contrahit cognationem: deinde ut co-

pa-

pater & commater suscipiant puerum de manibus baptizantis statim ac baptizatus est, & si commater suscipiat tantummodò infantem de manibus compatris, non contrahit cognationem, eò quod non dicatur suscipere de Baptismo, seu de sacro fonte. Denique requiritur contactus, ita ut suscipiens, seu tenens, verè dicatur suscipere, seu tenere. *Ibid. num* 8. *& seq.*

78. Puer cujuscumque ætatis potest esse legitimus susceptor, modò usu rationis gaudeat. Similiter hæreticus & religiosus possunt suscipere alios in Baptismo, est tamen prohibitum religiosis *Ib n.* 17. 22. *&* 23.

79. Dubitatur, quinam contrahant cognationem, quando plures tangunt puerum in Baptismo? Respond. si omnes, etiam non designati, tangunt simul, omnes contrahunt cognationem; si successive, tantùm primus, vel prima mulier tangens contrahit. Quando plures designati sunt à parentibus, sed Parochus admittit unum tantùm & unam, cognatio contrahitur tantummodò ab admissis à Parocho: secus dicendum quando parentes designarunt tantùm duos, sed Parochus admittit plures ad suscipiendum, non enim ad illum pertinet designare, quando parentes designarunt; quando verò non designarunt, tunc designati à Parocho contrahunt cognationem. Ille ergo qui tangit baptizatum non designatus à parentibus vel saltem à Parocho, non contrahit cognationem [illegible] alii designati. *Ibid. n.* 24. *& seq.*

80. In Baptismo abhiberi possunt duo patrini, masculus & femina, in Confirmatione verò unus tantùm, estque peccatum mortale admittere plures: neque Episcopus dispensare potest, ut duo viri, aut duæ feminæ simul suscipiant infantem in Baptismo. *Ib. n.* 31. *& seq.*

81. Quando aliquis mittit procuratorem ad suscipiendum infantem, mittens contrahit cognationem, non autem procurator. *Ibid. n.* 34.

Impedimentum cognationis legalis.

82. Cognatio legalis est propinquitas quarumdam personarum, consurgens ex adoptione: adoptio verò est legitima assumptio extraneæ personæ in filium vel nepotem, &c. vel in filiam, &c. Adoptans debet esse sui juris, & major 25. annis, nec debet esse femina, (quæ adoptare non potest absque privilegio,) ut non sit impotens, ex defectu naturali, ut tam pro-

vectæ sit ætatis, ut excedat adoptatum 18. annis, & possit esse pater carnalis adoptati. *Ibid.* §. 3. *n* 1. 2. *&* 3.

83. Cognatio legalis contrahitur inter adoptantem & adoptatum, & adoptati descendentes usque ad quartum gradum: inter uxorem adoptantis & adoptatum, & è converso inter filios adoptantis & adoptatum; inter has personas cognatio legalis impedit & dirimit matrimonium quamdiu durat. *Ibid. n* 4. *&* 5.

84. Quando plures adoptati sunt ab uno & eodem, possunt adoptati inter se matrimonium inire. Potest similiter adoptatus celebrare matrimonium cum filia illegitima adoptantis. Denique validum est matrimonium ab infidelibus celebratum in cognatione legali; nam infideles non sunt subjecti jurisdictioni Ecclesiæ. *Ibid num.* 7. *& seq.*

Impedimentum criminis.

85. Crimen impedriens & dirimens matrimonium in foro Ecclesiastico, est homicidium & adulterium. Ut crimen solius homicidii inducat impedimentum dirimens, requiritur occisio conjugis, sive per se, sive per alium: neque sufficit habitabitio absque cooperatione: ut vir & femina qui matrimonium contrahunt, conspiraverint in mortem conjugis occidi, eo fine ut postea inter se matrimonium contrahere: deinde ut mors sequatur. Unde qui mandavit occidi, & postea revocavit mandatum, innotuitque revocatio mandatario ante mortem conjugis, non est reus hujus impedimenti, sicut nec ille qui tantùm consuluit. *Ibid. part.* 6. *n.* 1. *& seq.*

86. Ut crimen adulterii inducat impedimentum dirimens matrimonium, requiritur adulterium cum homicidio, cum matrimonio, & cum promissione matrimonii. *Ibid. num.* 8.

87. Promittens matrimonium celebrandum post mortem conjugis, & acceptans, peccat mortaliter, nam sic datur ansa captandæ mortis alterius conjugis: estque illicita & invalida hujusmodi promissio. *Ibid. n* 10. *&* 11.

88. Nullum inducitur impedimentum criminis, quando Titius copulam habet cum Berta, vivente ejus viro, post cujus mortem promittit matrimonium eidem Bertæ. Similiter non inducitur crimen, quando duo conjugati promittunt sibi matrimonium, sed postea pœnitentia ducti resiliunt à promissione, & postea sequitur inter eos copula. Præterea non indu-

inducitur crimen dirimens quando quis occidit uxorem, ut contrahat cum alia, quæ non fuit particeps homicidii, aut ob aliquem finem, aut animo ducendi aliam indeterminatam, aut quando quis occidit uxorem in flagranti crimine adulterii deprehensam. Denique occidens uxorem suam ut aliam ducat, potest matrimonium inire cum alia cum qua non peccavit. Hoc impedimentum criminis contrahitur solùm à fidelibus. *Ibid. n.* 12 *& seqq.*

Impedimentum disparitatis cultus.

89 Disparitas cultus reperitur inter fidelem & infidelem: unde matrimonium baptizati, seu fidelis contractum cum infideli, seu non baptizato invalidum est jure Ecclesiastico; sed non jure divino, vel naturali. Quando infideles conjugati convertuntur ad fidem, non sunt separandi, nisi infidelis nolit habitare cum fideli, aut vult habitare quidem, sed non absque injuria creatoris, id est, quando compellit fidelem ad peccatum. *Ibid. punct. 7 num* 1. *& seq.*

90. Matrimonium non solùm ratum, sed etiam consummatum dissolvitur per professionem infidelis conversi, factam in religione *Ibid. num.* 9.

91 Filii, quando unus parentum convertitur ad fidem altero persistente in infidelitate, sequuntur conditionem parentis fidelis, quando filii nondum sunt capaces doli, alioqui relinquendi sunt in propria libertate. *Ibid. num.* 11.

Impedimentum vis.

92. Metus intrinsecus, seu à causa intrinseca, distinguitur à metu extrinseco, qui fit à causa extrinseca libera. Vis & metus adhuc est duplex; unus, qui aufert omnino consensum & voluntarium; alter est, qui non tollit omnino consensum, sed solum tollit secundum quid. Præterea est adhuc metus cadens in virum constantem, & cadens in inconstantem. Ad metum gravem & cadentem in constantem virum revocatur metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, vel longi carceris, vel exilii diuturni, vel servitutis, vel stupri, vel amissionis status honorifici, omnium bonorum, vel saltem magnæ partis: similiter metus infamiæ, juris vel facti. *Ibid. punct. 8. num.* 1. *& seq.*

93. Ut metus gravis dirimat matrimonium, requiritur, ut malum quod timetur probabiliter immineat. *Ib. n. 7.*

94. Matrimonium celebratum per metum gravem, seu cadentem in constantem virum, est invalidum jure Ecclesiastico, modò metus sit injustè incussus a causa libera ad extorquendum consensum. *Ibid nu. 8.*

95. Stuprator validè contrahit matrimonium cum ea quam violavit, etiamsi contrahat ob metum excommunicationis, aut mortis à judice infligendæ; quia metus non incutitur injustè: similiter validè celebratur matrimonium ab eo, qui a judice cogitur sub gravi pœna stare sponsalibus, cùm justè ad ea implenda cogatur.

Validum quoque est matrimonium, quando quis cogitur illud celebrare per sententiam materialiter injustam; talis enim coactio est juridica & justa formaliter. *Ibid. n. 12 & seq.*

96. Validum adhuc est matrimonium celebratum ob metum justæ accusationis, aut carceris, aut mortis juridicè infligendæ: aut ob metum incussum à causa libera, non ad hunc finem, ut matrimonium ineatur, sed ob aliam causam; nec refert quòd sit aliquo modo involuntarium; nam illud involuntarium non censetur causa consensus.

Hinc infertur validum esse matrimonium, quod quis contraxit cum concubina metu inferni, vel infamiæ, vel ob periculum animæ, aut corporis ex sententia Medici nisi ducat uxorem. Similiter validum est matrimonium quod contraxit damnatus ad mortem, cui judex promisit liberationem, si propriam filiam aut aliam duceret: aut quod obsessus contraxit cum filia obsidentis, ut obsessionem evaderet, aut defloratur cum ea quam defloraverat, ut mortem evaderet: aut ægrotus cum filia Medici, à quo aliter curari non potuisset; nam in his casibus metus mortis non fuit incussus ad extorquendum matrimonium. *Ibid. num. 16 & seq.*

97. Matrimonium est invalidum, quando contrahens metu mortis cogitur, non solùm contrahere matrimonium, sed etiam per copulam illud consummare: deest enim consensus liber. *Ibid. num. 24.*

98. Si metus cadens in constantem virum incutiatur ad contrahendum, sive ab altero contrahente, sive ab alio, matrimonium est invalidum, etiam adjuncto juramento non contravenien di; neque opus est relaxatione talis juramenti, quia non obligat, nec peccat qui sic contrahit per metum. *Ibid. n. 25. & seq.*

99. Ma-

99. Matrimonium celebratum per metum non resolvitur in sponsalia: talis enim contractus est irritus jure positivo; & sponsalia cum gravi metu celebrata sunt similiter irrita, neque inducunt impedimentum publicæ honestatis. *ibid. num.* 28 31 & 32.

100. An sponsus qui alteri metum incussit, possit resilire à matrimonio, antequam alter, qui per metum consensit, ratificet consensum, sunt qui affirment, sunt qui negent; & utraque sententia est probabilis *ibid num.* 35.

101. Compellens alios ad matrimonium contrahendum, incurrit excommunicationem latam in Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 9. Excipe tamen dominos cogentes sua mancipia, & parentes suos filios. *ibid. n.* 34.

Impedimentum ordinis.

102. Ordines minores nullo jure dirimunt matrimonium; neque qui accedit ad illos, credens illis annexum esse votum solemne castitatis, tenetur servare castitatem ex voto solemni aut simplici: neque peccat clericus qui susceptis ordinibus contrahit matrimonium: & ne quidem venialiter, si justa de causa id fiat. *ibid. punct.* 9. *n.* 1. *& seq.*

103. Recipiens aut conferens primam tonsuram, vel minores ordines animo non ascendendi ad minores, aut cum intentione evitandi forum sæculare, non peccat. *ibid. n.* 5.

104. Ordines majores validè & sine gravi metu suscepti, dirimunt jure Ecclesiastico matrimonium subsequens. *ibid. num.* 8.

105. Validum est votum, & consequenter matrimonium invalidum, quando quis recipit sacerdotales ordines, nesciens illis annexum esse votum; quia qui vult statum aliquem, vult etiam ea quæ sunt annexa illi statui. *ibid. n.* 10.

106. Suscipiens sacros ordines cum intentione non vovendi, non tenetur voto castitatis ratione voti præcisè, sed ratione præcepti Ecclesiastici. *ibid. n.* 11.

107. Votum continentiæ est annexum ordini sponte suscepto, sicut etiam est annexum onus recitandi officium. *ibid. num* 12.

108. Græcis Sacerdotibus numquam licitum fuit contrahere matrimonium; permissum tamen est Græcis jam conjugatis suscipere sacros ordines, & uti matrimonio ante sacros ordines celebrato. *ibid. n.* 13.

109. Ordinatus ante rationis usum non tenetur voto castitatis, nisi ordines susceptos posteà ratificaverit. *ibid. n.14.*

110. Initiatus ordine sacro, incurrit excommunicationem & irregularitatem, si matrimonium contrahat. *ibid. n.17.*

111. Vir conjugatus potest licitè sacros ordines suscipere, si possit facere divortium quoad thorum & habitationem, etsi suscipiat cum libero & legitimo uxoris consensu: qui verò suscepit sacros ordines absque legitimo uxoris consensu, potest reddere debitum petenti mulieri, sed non petere. Imo potest vir conjugatus ad Episcopatum promoveri, si uxor consentiat, & ipsa religionem ingrediatur, & intra professionem emittat, si juvenis sit. *ibid n 18.19 & 21.*

112. Uxor quæ voto castitatis emisso, licentiam conjugi dedit suscipiendi sacros ordines, &c. non potest mortuo conjuge novum inire matrimonium, quia detinetur vinculo castitatis. *ibid. n. 22.*

Impedimentum ligaminis.

113. Polygamia dicitur, quando simul plures habentur uxores: bigamia vero, quando successivè, id est, quando mortua prima ducitur secunda. *ibid. punct. 10. n. 1.*

114 Ligamen est vinculum prioris matrimonii, quo durante posterius matrimonium est invalidum. *ibid. n. 2.*

115. Ligamen dirimit matrimonium posterius, non solùm jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali & divino. Quare Summus Pontifex nequit dispensare in pluralitate uxorum aut virorum simul, cùm non dispenset in jure naturæ, vel divino; dispensavit tamen Deus in lege veteri. Similiter primum matrimonium dirimitur per secundum consummatum. Item infideles nequeunt validè contrahere matrimonium cum pluribus simul, & si infidelis convertatur ad fidem postquam plures duxit uxores, debet permanere cum prima, si ipsa voluerit cum eo permanere absque Salvatoris injuria. *ibid num. 3 & seq.*

116. Certitudo moralis de morte conjugis requiritur ut superstes possit cum alio matrimonium inire, nec sufficit abfuisse per multos annos, aut talem esse famam, nisi fortè tanta sint indicia, ut nullus sit amplius dubitandi locus de ejus morte, ut si ingressus est prælium, nec posteà amplius comparuit, & fama est periisse: neque sufficienter probatur mors

conjugis

conjugis per unum testem, nisi urgeant aliæ conjecturæ. *ibid. num.* 12. *& seq*

117. Uxor quæ celebravit matrimonium cum secundo, credens priorem virum esse mortuum, tenetur recedere à secundo, si cognoscat priorem virum superstitem esse. *ib. n.* 17.

118. Validum est matrimonium contractum ab eo qui credebat superstitem esse priorem conjugem, sed revera mortua erat, si habuit intentionem contrahendi quantum poterat. *ibid. num.* 18.

Impedimentum publicæ honestatis.

119. Impedimentum publicæ honestatis ita appellatur, eò quòd æquum sit propter publicam honestatem & decentiam, ut matrimonium impediatur inter aliquas personas, quæ factæ sunt sibi propinquæ ob sponsalia, vel ob matrimonium. *ibid. punct.* 11. *num.* 1.

120. Ex sponsalibus validis & certis oritur jure Ecclesiastico impedimentum publicæ honestatis, dirimens matrimonium cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu. Oritur etiam ex matrimonio rato, extenditurque usque ad quartum gradum. *ibid. num.* 2. Hinc

121. Infertur primò impedimentum publicæ honestatis non induci, quando aliquis fictè consensit, aut sponsalia invalida sunt. Secundò, publicam honestatem non extendi ad infideles: nec cessare per dissolutionem sponsaliorum mutuo consensu factam; cùm impedimenta dependeant ab Ecclesia. *ibid. num.* 5. 6. & 7.

122. Concurrit aliquando publica honestas cum impedimento affinitatis; ex gr. qui celebravit sponsalia cum Berta, & posteà copulam habet cum sorore Bertæ, neutram potest ducere. *ibid. num.* 8.

123. Ex matrimonio rato invalido consurgit impedimentum publicæ honestatis, modò non sit invalidum defectu debiti consensus, ut est matrimonium amentium & puerorū, & matrimonium contractum per metum gravem, vel per errorem personæ, aut cum persona incerta & indeterminata, aut sub conditione de futuro, antequam adimpleatur conditio: aut inter impuberes, nisi malitia suppleat ætatem; secus dicendum de matrimonio contracto sine Parocho & testibus; non enim videtur deesse consensus *ibid. n.* 11. *& seq.* Ob eamdem rationem.

124 Ma-

124. Matrimonium celebratum cum impedimento dirimente, inducit impedimentum publicæ honestatis *Ibid.n.19.*

125. Impedimentum publicæ honestatis differt à cæteris impedimentis, quod cetera supervenientia sponsalibus dirimant sponsalia, publica verò honestas, superveniens non dissolvat illa *Ibid.num.21.*

126. Ad Summum Pontificem pertinet dispensare in impedimento publicæ honestatis: ad illum enim pertinet dispensare in jure communi. *Ibid. num.22.*

Impedimentum affinitatis.

127. Affinitas est vinculum seu propinquitas, vel attinentia quarumdam personarum proveniens ex carnali copula licita, vel illicita. *Ibid.punct* 12 *num.*1.

128. Consanguinei Caii qui copulam habuit cum Berta, non fiunt affines cum consanguineis Bertæ. *Ibid.n.*2.

129 Affinitas non generat affinitatem, ita ut Titius maritus Bertæ possit ea mortua ducere illam quæ fuit uxor fratris Bertæ. *Ibid num.*3.

130. Duplex est affinitas; alia dicitur in linea recta & æquali, alia in linea transversali. Vide dicta *de consanguinitate.ibid. num* 4

131. Stipes affinitatis sunt duæ illæ personæ quæ se carnaliter cognoscunt, suntque principium affinitatis. Affinitas dirimit matrimonium saltem jure Ecclesiastico (difficultas enim est de jure naturæ,) sive consurgat ex copula licita, sive ex illicita. *Ibid.num.*5. *&* 6.

132. Validum est matrimonium jure naturæ contractum cum concubina patris, cum uxore fratris mortui, & contractum in primo gradu lineæ rectæ. *Ibi d n* 8. *& seq.*

133. Ad contrahendam affinitatem requiritur seminis receptio intra vas debitum feminæ, quomodocumque recipiatur, sive copula habeatur cum femina invita, sive cum ignorante vel dormiente, vel insana, vel ebria, inde enim sequi potest generatio. Nulla oritur affinitas, quando sola femina semen emittit; secus dicendum quando solus vir. Nulla item oritur ex congressu spadonum, aut ex actu præpostero extra vas debitum; aut ex matrimonio tantummodo rato, sed non consummato. *Ibid.num.*12 *& seq.*

134. Contrahentibus scienter matrimonium cum affinibus vel

vel consanguineis, constituta est pœna excommunicationis ipso facto incurrenda *Ibid. num.* 19.

135. Uterque conjux privatur jure petendi debitum, quando uterque copulam habuit cum consanguineis alterius conjugis, aut unus tantùm, sed de consensu alterius. *Ibid. num.* 21.

136. Maritus contrahens affinitatem cum propria uxore innocente, tenetur reddere debitum: nam innocens non privatur jure suo ob crimen alterius. Item maritus, qui factus est affinis cum uxore ante matrimonium consummatum, non tenetur ingredi religionem, quia nullo jure probatur ad hoc teneri *Ibid. n.* 22 & 23.

Impedimentum impotentiæ.

137. Illa dicitur impotentia perpetua coeundi, quæ non potest removeri arte humana, vel absque probabili vitæ periculo. *Ibid punct.* 13. *n.* 1.

138. Illa est impotentia perpetua, quæ non potest auferri absque arte magica, vel peccato, vel miraculo; vel si aliter tolli possit, non potest tamen sine corporali periculo. Unde fit ut matrimonium contractum cum impotente, qui post matrimonium miraculosè liberatus est ab impotentia, non sit validum. *Ibid num.* 2. & *seq.*

139 Extriplici capite oriri potest impotentia perpetua. Primò, ex improportione naturali, ut quando femina ita est arcta, ut non possit à viro carnaliter cognosci: quod si femina arcta, fieri possit apta proprio viro per incisionem, tenetur eam pati etiam cum gravi dolore. Secundò, oriri potest ex nimia caliditate, vel frigiditate, quando nimirum copula propter frigiditatem consummari, & semen emitti non potest. Tertiò, ex maleficio perpetuo, facto ad impediendum congressum, & copulam maritalem. Perpetuum dicitur post experientiam triennalem, quando præmissis precibus & aliis remediis pro maleficio amovendo, amovere nequiverunt. *Ib. n.* 6 & *seq.*

140. Conjux non tenetur redire ad priorem conjugem, quando non constat an sublatum sit maleficium, secus dicendum si constet. *Ibid n.* 10.

141. Quando dubitatur an maleficium præcesserit matrimonium, præsumendum est maleficium fuisse factum ante matrimonium, & consequenter esse impedimentum dirimens matrimonium. *Ibid. num.* 11.

142. Im-

142. Impotentia perpetua coeundi antecedens matrimonium, dirimit matrimonium, non solùm jure Ecclesiastico, verum etiam jure naturæ ex quacumque causa proveniat. *ibid. num.* 12. Quare

143. Validum est matrimonium cum femina quæ potest semen recipere, quamvis ipsa non seminet, vel non retineat semen susceptum, cùm semen femineum non sit necessarium ad generationem. Validum adhuc est quando femina potest reddere debitum, sed non nisi cum gravissimo sanitatis periculo, vel vitæ periculo in partu, &c. non enim est affecta impotentia perpetua. Similiter validum est etiam intersteriles; intercedit enim vera copula apta ex sua natura ad generationem. Idem dicendum de matrimonio contracto à sene decrepito, non omnino impotente ad habendam copulam. Secus asserendum de eunucho perfecto, vel spadone, qui scilicet caret semine apto ad generationem. *ibid. n.* 14 *& seq.*

144 Conjugibus, quibus constat adesse impotentiam perpetuam, illicitum est petere debitum vel reddere, nec possunt delectari tangendo, osculando &c. *ibid. n.* 20

145. Triennium quo permittitur conjuges simul habitare ad probandum impotentiam, incipit à die attentatæ copulæ; incipit tamen pro arctatione, quando incipiunt remedia adhiberi. *ibid. num.* 21.

146. Quando unus conjugum ingreditur religionem ex præsumptione impotentiæ, sed postea cognoscitur error, non debet redire ad uxorem, si professus est ante consummatum matrimonium. Idem dicendum quando uterque conjux ingreditur religionem ob errorem impotentiæ præsumptæ ante consummatum matrimonium. *ibid. n.* 22. *&* 23.

147 Suscipiens sacros ordines ob præsumptionem impotentiæ, restituendus est uxori petenti, si cognoscatur error; tenebiturque reddere debitum uxori, sed non petere. *ibid. num.* 24.

148. Invalidæ sunt secundæ nuptiæ, quando unus illas celebravit, & alter religionem ingressus est, credens adesse impotentiam perpetuam, quæ tamen non aderat, si matrimonium consummatum fuerat: si non, validæ sunt secundæ nuptiæ, si eas post professionem alterius celebravit *ibid. n.* 25.

149. Hermaphroditus potest validè matrimonium inire juxta sexum qui in ipso prævalet: si vero sexus sit æqualis, potest secundum eum quem maluerit, contrahere matrimo-

nium.

nium: quod si semel contraxerit matrimonium juxta unum sexum, peccat, si mortuo conjuge juxta alium sexum matrimonium contrahat: si tamen contrahat, tenet matrimonium. Parochus non debet assistere matrimonio hermaphroditi, in quo uterque sexus est æqualis, donec hermaphroditus protestatus sit coram judice Ecclesiastico cum juramento quem sexum sequi velit. *ibid. num* 26. *& seq.*

Impedimenta non dirimentia.

Sunt hæc versibus sequentibus contenta:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

150. Per *Ecclesiæ vetitum*, intellige interdictum, quod est prohibitio, qua certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia, & contrahens cum hujusmodi interdicto, peccat mortaliter. *ibid. punct* 14 *num.* 1. 2. *&* 3.

151. Vetitum est per Trident *sess.* 24. *cap.* 10. celebrare matrimonium à primo die Adventus Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à quarta feria Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè; tamen de licentia Ordinarii possunt dictis temporibus celebrari sponsalia & matrimonium sine solemnitate. *ibid. num.* 4.

152. Aliud impedimentum impediens matrimonium contrahendum sunt sponsalia priùs celebrata cum alia persona, hinc qui uni promisit matrimonium, non potest alteri nubere, nisi dissoluta fuerint priora sponsalia. *ibid num.* 5.

153. Tertium impedimentum impediens est catechismus, qui est instructio fidei quæ fit solemniter ante januam Ecclesiæ super baptizando, vel jam baptizato ex qua tenens puerum contrahit cognitionem spiritualem imperfectam quæ impedit matrimonium; multi tamen volunt hoc impedimentum sublatum fuisse, nec videtur opus esse dispensatione petenda à Sede Apostolica, sed ab Episcopo. *ibid. n.* 6.

154. Quartum impedimentum est votum simplex castitatis, vel ingrediendæ religionis, vel suscipiendi sacros ordines, vel non nubendi. Vota simplicia Societatis Jesu ex motu proprio Gregorii XIII. irritant matrimonium. *ibid. n.* 7.

155

155. Uxor quæ vovit castitatem, non videtur posse adulterium condonare viro, ut liberetur vinculo voti, sed potius debet quærere media ut exequatur votum. *Ibid.n* 8.

156. Quintum impedimentum impediens matrimonium est crimen complectens plura delicta, quæ his versibus comprehenduntur:

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, aut Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

157. Vir qui scienter commisit incestum cum affine seu consanguinea uxoris usq; ad quartum gradum, non potest mortua uxore sine dispensatione contrahere matrimonium, quamvis incestus sit occultus. Idem dic de uxore. *Ib.n.9.&10*

158. Impedimentum incestus extenditur ad copulam habitam cum consanguinea sponsæ de futuro ob publicam honestatem. Contrahitur similiter impedimentum incestus ab eo, qui mortua propria uxore copulam habet cum consanguinea illius. *Ibid.num.*11 *&* 12.

159. Quando uxor occiditur in flagranti delicto adulterii, non inducitur per leges impedimentum impediens, licet sit peccatum *Ibid.num.*16.

160. Baptizans vel suscipiens proprium filium, contrahit impedimentum impediens: ita ut mortuo conjuge non possit matrimonium inire. *Ibid.num.*17.

161. Consuetudine receptum est, ut in impedimentis non dirimentibus possit Episcopus dispensare, excepto voto religionis & religionis absoluto & perfecto. Imo etiam in impedimentis dirimentibus in urgentissima necessitate, & quando impedimentum est occultum, & matrimonium publicum imminetque periculum scandali. Adde, posse adhuc Episcopum dispensare in impedimentis quæ superveniunt matrimonio, & impediunt petitionem debiti. *Ib punct.*15.*n.*3 *&seq.*

Confessarii munus circa impedimentum.

162. Quid faciendum sit à Confessariis quibus aliquando conceditur facultas dispensandi in impedimentis matrimonii vide tractat. *de matrim.q* 3 *p.*15.*n.*7.

163. Con-

163. Confessarius tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili & culpabili matrimonium invalidè contraxit. Duplex est ignorantia: una juris, quando ignoratur lex prohibens: altera facti, quando nescitur tale factum sub lege comprehendi. *ibid. punct. ult. n.* 1. & 2.

164. Confessarius non tenetur admonere pœnitentem qui invalidè contraxit matrimonium ex ignorantia invincibili juris vel facti, quando nullum sperat fructum ex admonitione; aut quando videt remedium difficillimum esse, & imminere periculum scandali vel notabilis infamiæ, vel damni, modò tamen non sit periculum damni communis. *ibid. nu.* 4.

165. Confessarius non potest absolvere pœnitentem ignorantem matrimonium esse invalidum, quando alia de causa non vult reddere debitum: nam hujusmodi pœnitens est in statu peccati, cùm credat se injustè denegare debitum: neque potest Confessarius in hoc proposito ei præcipere ut reddat. Ex quibus patet Confessarium non habentem spem emendationis, non teneri admonere pœnitentem, qui ex ignorantia invincibili injustè possidet primogenituram, aut exercet contractum illicitum, aut ignorat ea quæ sunt de jure divino, aut naturali. *ibid. n.* 5. & *seq.* Item

166. Confessarius qui novit in confessione aliquos contraduros invalidè matrimonium cum ignorantia invincibili impedimenti, non debet illos admonere, quando non sperat admonitionem profuturam. *ibid. n.* 8.

167. Confessarius potest cognoscere aliquem laborare ignorantia invincibili, curando intelligere prudenter an pœnitens credat se esse in bono statu, vel an habeat dubiam conscientiam: caveat tamen ingerere pœnitenti dubium aliquod malæ fidei *ibid. n.* 10.

168. Confessarius vel alius, tenetur aperire veritatem, quando pœnitens dubius interrogat ipsum de aliquo impedimento, quamvis credat se nihil profuturum, alioqui censeretur approbare errorem. *ibid. n.* 11.

169. Parochus, vel alius Sacerdos potest & tenetur negare matrimonium illi, quem scit extra confessionem irretitum esse aliquo impedimento etiam occulto, quamvis ille publicè petat matrimonium, aut neget impedimentum. *ibid. n.* 13.

170. Confessarius non tenetur petere licentiam à pœnitente, ut illum admoneat extra confessionem de impedimento dirimente, saltem si commodè nequeat petere, vel admonere. *ibid. n.* 14.

171. Parochus potest dissimulare, & conjungere illos matrimonium, quos novit obtinuisse dispensationem in conscientiæ qui quando nullus est, impedimentum ipsum denuntiet, *ibid. n.* 15.

Matrimonii usus licitus & illicitus.

172. Conjuges, regulariter, peccant mortaliter non reddendo debitum alteri conjugi petenti expressè aut tacitè nisi habeant justam causam denegandi debitum. Unde peccat ille conjux mortaliter, qui se mediis illicitis, aut immoderata vitæ asperitate & notabili jejunio reddit impotentem ad reddendum conjugale debitum: non potest etiam diu abesse sine alterius conjugis consensu, aut sine aliqua necessitate. *ibid quæst.* 4. *punct.* 1. *n.* 1. 2. & 3.

173. Obligatio ad reddendum debitum intelligitur, salva incolumitate personæ, seu salva subjecti consistentia: quare conjux laborans febri, non tenetur reddere debitum; sed nec statim post prandium, aut si unus sit sanus, & alter ebrius prorsus, estque periculum infectionis. Item nec femina quæ moreretur in partu, si conciperet, aut experta est se non posse filios vivos parere, & ipsa consequenter graviter periclitatur. *ibid. n.* 14 & *seq.*

174. Conjux per se loquendo non peccat non reddendo debitum alteri conjugi petenti tempore furoris vel ebrietatis: non enim censetur petere humano modo. *ibid. n.* 10.

175. Vir non peccat, petendo debitum ab uxore lactante sobolem; si tamen uxor advertat inde lac futurum perniciosum proli, excusatur si neget, maximè si sit pauper: non excusaretur tamen si id faceret ne multiplicentur filii; secus si decendum si præ paupertate non possit filios alere, & nullum sit periculum incontinentiæ in altero conjuge. *ibid. n.* 11 &

Conjux nocens tenetur transacto bimestri reddere debitum innocenti petenti, cum quo affinitatem contraxit; si etiam ante matrimonium fuit consummatum *ib. punct.* 3. *n.*

176. Baptizans vel suscipiens proprium filium ex Baptismo extra necessitatem, privatur jure petendi aut reddendi debitum *ibid. num.* 3.

177. Uxor committens incestum cum consanguineo viri in primo vel secundo gradu, sed à viro coacta, non privatur jure petendi debitum. *ibid. num* 5.

178. Is

178. Is qui factus est affinis, vel cognatus spiritualis alterius ex ignorantia pœnæ, non privatur jure petendi debitum, quamvis fortè haberet scientiam juris vel facti. *ibid. n.* 6.

179. Duobus modis petitur illicitè debitum conjugale, vel propter defectum tenentem se ex parte ipsius personæ petentis, v. g. si obstrictus sit voto castitatis, vel ob circumstantiam tenentem se ex parte actus, ut quando quis petit debitum in Ecclesia, &c. *ibid. punct.* 3. *num.* 1.

180. Conjux potest & tenetur reddere debitum alteri conjugi petenti illicitè ob solam circumstantiam personæ, modò petens habeat jus petendi; non potest tamen reddere ob circumstantiam actus reddentem ipsum actum illicitum, & consequenter non potest reddere jure petenti in loco sacro, extra magnam necessitatem. *ibid. num.* 3. 4. & 5.

181. Vir potest petere & reddere debitum uxori, quam scit obstrictam esse voto castitatis, etiamsi ipse voto consenserit; imo petitus adhuc reddere tenetur, etiamsi uterque habeat votum castitatis; modo uterque non intenderit renuntiare jure suo petendi, aut reddendi debitum *ibid. n.* 7 & 8.

182. Probabile videtur debitum reddendum esse petenti cum solo peccato veniali; secus si petatur illicitè modo indebito, aut tempore menstrui. Imo adhuc videtur probabile, reddendum esse debitum petenti illicitè quoad situm, intra vas tamen naturale, si adsit causa rationabilis, & justa. *ibidem num.* 9. & *seq.*

183. Uterque conjux potest petere & reddere, quando post matrimonium bona fide ab utroque contractum suboritur scrupulus ex levibus indiciis de validitate matrimonii: quia scrupulus non est sufficiens ratio ad privandum hominem jure suo *ibid. punct.* 4. *num.* 2. Vide v. *Divortium.*

184. Conjux, qui bona fide contraxit matrimonium, & postea dubitat de valore matrimonii, non potest petere debitum antequam adhibuerit debitam diligentiam ad assequendam veritatem: adde, dubitantem de invaliditate matrimonii, teneri reddere debitum non dubitanti. *ibid. n.* 3. & 4.

185. Dubitans de valore matrimonii potest petere & reddere debitum, etiamsi post diligentiam adhibitam veritas non sit comperta: non potest tamen uxor ante adhibitam diligentiam reddere debitum viro petenti, quando uterque dubitat de valore matrimonii. *ibid. num.* 5 & 7.

186. Conjux, qui mala fide contraxit, dubius de aliquo impedi-

impedimento dirimente, non potest petere debitum, nisi postea cognoscat, vel probabiliter opinetur, nullum subesse impedimentum *Ibid. num.* 10.

187. Non potest peti vel reddi debitum, quando uterque conjux mala fide contraxit matrimonium, dubius de matrimonii validitate. *Ibid. num.* 11.

188. Conjux, qui bona fide contraxit matrimonium, & postea incipit opinari matrimonium invalidum esse, non potest petere debitum, nisi fortè habeat opinionem probabilem pro utraque parte, scilicet validitate & nullitate: tenetur tamen conjux, qui opinatur matrimonium esse invalidum, reddere alteri conjugi bonæ fidei, quia non potest eum privare jure suo. *Ibid. num.* 13 & 15.

189. Conjux, qui certò moraliter novit adesse impedimentum dirimens, non potest petere, vel reddere debitum.

Similiter si sciat matrimonium esse invalidum, non potest reddere debitum conjugi ignoranti invaliditatem matrimonii. *ibid. nu.* 16. & 17.

190. Quando constat matrimonium esse invalidum, sed hoc non potest manifestari absque periculo; conjux conscius petat dispensationem impedimenti, si sit dispensabile, aut fugiat in locum ubi cessat scandalum, aut petat divortium, si adsit justa causa petendi, aut habiter cum conjuge, ac si esset soror, modò tamen non adsit periculum incontinentiæ. Conjux regulariter loquendo, non tenetur credere alteri dicenti matrimonium esse invalidum, etiamsi id asserat cum juramento, modò aliunde id sufficienter non constet. *Ibid. n.* 18. & 19.

191. Conjux non tenetur abstinere à matrimonio contracto, quando impedimentum adesse cognovit ab amico, vel à Parocho, si unus tantùm attestetur; tenetur tamen dubitare, consequenter non petere debitum. *ibid. n.* 20.

192. Non peccant mortaliter conjuges post contractum matrimonium omittendo benedictiones sine contemptu. Fieri debent à Parocho sponsi vel sponsæ, aut ab alio de illius licentia. In secundis nuptiis non videntur recipiendæ, absolutè tamen recipi possunt. *Ibid punct.* 6. *n.* 2. 3. & 4.

193. Conjunctio naturalis facta modo indebito, est peccatum mortale, quoties intervenit tanta inordinatio, ut sequi non possit generatio, quæ est finis copulæ, *Ibid. p.* 13. *n.* 2.

194. Ut actus matrimonialis licitus sit ac meritorius, hæc servanda:

Sit

Sit modus, & finis, sine damno, solve, cohære,
Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

Pro horum explicatione repete superius dicta, & consule quæ dicuntur. *ibid. punct. 6. num 7.*

195. Uxor non tenetur reddere debitum viro petenti tempore menstrui; habet enim tunc actus quamdam turpitudinem. *ibid. num. 10.*

196 Secluso abortus periculo non videtur illicitum accedere ad uxorem gravidam. Est autem periculum abortus, maximè tempore coagulationis & formationis fœtus, & proximè ante partum. Quòd si vir accedendo ad uxorem sit causa abortus fœtus animati anima rationali, incurrit irregularitatem. *ibid. nu. 13. & seq.*

197. Peccat mortaliter vir, qui copula incepta desistit à seminando, quando uxor jam seminavit; non tamen uxor, quæ potest se tactibus excitare donec seminet, quando vir postquam seminavit se retrahit ante illius seminationem. *ibid. n. 15. & 16.*

198. Senex quando habet probabilem spem seminandi intra vas femineum, potest coire, conando seminare; utitur enim jure suo, quamvis semen fortasse involuntariè fundatur extra vas debitum. *ibid. num. 18.*

199. Pollutio inter conjuges extra vas debitum habet speciem adulterii, quia non servant fidem mutuo datam de corpore sibi castè custodiendo. *iqid. n. 19.*

200. Uxor tenetur sequi virum, quando nullum extat pactum in contrarium, nisi causa alia legitima subsit. Non potest tamen vir, qui cum uxore fecit conventionem non transferendi aliò suam habitationem, eam aliò transferre. Quòd si pelleretur in exilium, uxor tali casu teneretur eum sequi; est enim infortunium & onus adnexum matrimonio. Tenebitur adhuc uxor eum sequi, si vir tempore matrimonii solebat vagari. *ibid. num. 21. & seq.*

201. Maritus non videtur posse abstinere à cohabitatione uxoris, propter dotem sibi promissam, sed non solutam; nam obligatio cohabitandi non oritur ex dote soluta. *ibidem num. 27.*

202. Die festo, vel tempore Quadragesimæ licitus est usus matrimonii. *ibid. nu. 30.*

An autem licitus sit eo die, quo sumenda est Eucharistia, vid. v. *Eucharistia.*

203 Motus sensualitatis primò primi, id est repentè ex surgentes, & omnem rationis considerationem prævenientes non sunt peccata, cùm in se ipsis non sint voliti, nec causa; motus verò sensualitatis secundò primi, id est qui succedunt primò primis, & prævideri ac caveri potuerunt, sunt peccata, si proveniant ex causa non habente ullam honestatem vel utilitatem; repugnant enim rationi, & incitant ad ulteriorem libidinem: quòd si causa sit tantummodo venialiter mala, motus erunt etiam tantummodo veniales; & ut hujusmodi motus sint peccata, requiritur advertentia, aut expressa aliqua dubitatio secundùm rationem malitiæ, & consensus directus & expressus, ut sint mortalia; & indirectus, venialia. *ibid. punct. 7 n 3. & seq.*

204, Major quantitas motuum requiritur ad peccatum mortale, quando consensus est virtualis, & interpretativus, quam quando est directus & expressus, *ibid. num. 8.*

ADDITIO.

Quocumque tempore, quocumque casu, etiam per vim, si matrimonium consummatum sit, non solvitur per professionem. Covar. *l. c. c. 7. §. 7. c. 4. num. 10.* Val. *l. c. vers. secun.* Sanchez *l. c. disp. 22. n. 4.*

Ad consummationem requiritur viri seminatio intra vas, etiam si id non rumpat. Vival. *l. c. d. 20. q. 5. p. 3,* Sanchez *lib. 2. disp. 21.* quidam tamen putant, semen etiam mulieris debere concurrere.

Si alter conjugum consentiat, & continentiam vovere, vel religionem ingrediatur, potest alter religionem ingredi, vel ordinem accipere. Non debet quidem fieri sine Episcopi auctoritate, sed sine ea tamen factum tenet. vid. *gloss. 27. q. 1. si vir.*

In dubio, an prior conjunx vivat, non est separandum matrimonium: Judicis enim arbitrio relinquitur, an mors prioris satis probetur, ut quis possit secundò contrahere. Leg. Sanchez *l. 2. d. 41.* Nav. *c. 22. n. 56.*

Vir uxorem potest leviter verberare, causa correctionis, atrociter non potest Nav. *l. c. nu. 18.* Sot, *l. 5. q. 6. art. 2.* Lopez *p. 1. cap. 53.*

Impedimenta dirimentia matrimonium sunt hæc:

Error

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Sisis affinis, si fortè coire nequibis.

Error personæ, non qualitatis, vitiat matrimonium.

Error conditionis respicit servos & liberos, & contrahentes deterioris melioriſve conditionis effectos, inter quos ut consistat matrimonium, vid. Tolet in Comp *pag.* 378.

Matrimonium contractum post votum solemne ordinis, aut religionis approbatæ, nullum est. Clericus & monachus contrahentes sunt excommunicati.

Cognatio triplex est, spiritualis, legalis, & naturalis: de quibus vid. Comp. Tol *pag* 379.

Matrimonium, post solemne votum irritum esse, est de fide. Conc Trid. *sess.* 24. *c* 9. *de matrim.* Ordini sacro, statuto Ecclesiæ, annexa est castitas, at solemne votum religionis matrimonium præcedens suapte natura illud irritat (leg. Sanchez *lib.* 7. *d.* 26.)

De consanguinitate vid. Com. Tol. *pag.* 380 ut & de cetetis impedimentis. *pag. seqq.*

Uxorum pluralitatem non posse ab Ecclesia permitti, docet Abul. *q.* 36 *in cap.* 19. *Matth. c. gaudemus, de divort.* & Aug. Triumphus. *q* 52. *art.* 3. *de pot. Papæ. Abul q.* 37. *l c.* Unam mulierem plurium uxorem esse non posse, Perer. *d.* 7. *in cap.* 29. Genes. & Sanchez *lib.* 7. *d* 80. *Abul. q.* 35. *l. c.* probabile putat, infideles plures uxores habentes amore prolis consequendæ, hoc tempore non peccare, quod alii negant. Matrimonium infidelium conjugum susceptione baptismi utriusque sacramentum effici, sine novo consensu, probabilissimum est, rationes & testimonia Doctorum recensentur à Victor, *in hunc locum.*

Si femina seminare nequeat, possit autem viri semen recipere, non adest impedimentum impotentiæ; secus, si tam arcta est, ut nulla ratione semen intra vas recipere queat. Qui penetrat vas muliebre, sed semen non effundit, aut si effundit, non potest in vas, ineptus est ad valide contrahendum, dum vitium perpetuum est. vid Sanchez *disp* 92. *lib.* 7.

Incestus cum consanguinea uxoris restrictus est usque ad secundum gradum, inclusivè: Concil. enim Trident. *sess* 24. *c.* 4 affinitatem ex copula illicita ad secundum gradum revocavit. Sanchez *lib.* 7. *d.* 15.

Quæ-

Quæres: An resp. Ethnica etiam statuere possit impedimenta matrimonii. Resp. posse, ut habet D. Thom. *in suppl. q.* 50. & Victor. *part.* 2, *relict. de matrim.* Ratio, quia ideo Ecclesia potest impedimenta matrim. statuere, quia reddere potest illegitimas personas ad matrim. at, &c. Minor probatur. Quia ad rectam gubernationem reip & pacem civilem pertinet, ut omnes contractus civiles, præsertim hi, cùm sint indissolubiles, certis legibus contrahantur.

Quæres: An magistratus Christianus civilis possit istiusmodi impedimenta statuere. Resp. Non posse. Rat. Quia illud prohibitum est in Can. ab Ecclesia, quæ sibi hanc dirimendi matrimonii potestatem reservavit, quia scil. matrimonium est sacramentum, judicium verò de sacramentis non pertinet ad remp. civilem, vid. S. Thom. *in suppl.* Palud. *cum.* & Victor. *l. cit.*

Quæres: An causæ matrimoniales pertineant ad magistratus politicos. Resp. Certum est causas matrimoniales, quæ sunt omnino politicæ, ut de dotibus, successionibus, pertinere ad politicum 2 Causas matrimoniales merè spirituales pertinere ad solam Ecclesiam.

Quæres: Ad quos judices Ecclesiasticos referendæ sint causæ matrimoniales. Resp. Olim ad Episcopos, abbates, archidiaconos, alioſque inferiores: *c. audita, de præscript.* Nunc autē ad Episcopos sunt referendæ, ut definit Conc. Trid. c. 14.

Quæres: An possint referri ad Vicarium Episcopi. Resp. Posse, si quis ac Episcopo generalem habeat commissionem.

Quæres: Quò referendæ sint Episcopo defuncto. Ad Capitulum, ut habet Covar. *p.* 2. *c.* 8. §. 12.

Quæres: An disparitas fidei sit matrimonium, & dirimat contrahendum. Resp. Impedire contrahendum, ita ut peccet mortaliter, qui contrahit cum hæretica, non tamen dirimere contractum, ut docet S. Thom. *in suppl. q.* 59. *art.* 1. & Covar. 2. *p. cap.* 6. §. 11. Probat etiam *ex can. decrevit, de hæretic. in* 6. 2. quia Ecclesia numquam talia matrimonia irritavit, sed tantum illicita esse declaravit, ergo sine peccato gravissimo iniri non possunt.

Habere rem cum conjuge propria, tamquam cum non sua, mortale peccatum est.

Cum uxore gravida, cum periculo notabili abortus, rem habere, mortale peccatum est, si cum nullo aut parvo, veniale,

niale, nisi id fiat, ad vitandam incontinentiam. Menstruatam cognoscere veniale crimen; in menstruo perpetuo, & periculo incontinentiæ, nulla culpa. Uxor menstruata non potest petere debitum, tenetur tamen reddere, conjuge de menstruo admonito. Non est tamen mortale, si petat.

Virum sodomiticam copulam cum uxore inchoantem, ut se excitet, vel ut majori voluptate fruatur, animo eam perficiendi in vase, venialiter delinquere, putat Nav. mortiferè Sanchez: & rectè, turpitudo enim illa neque ex se, neque ex viri intentione in conjugalem copulam referri potest. *lib.* 9. *d.* 17.

Quidam non improbabiliter dicunt, lethalem culpam esse, cognoscere uxorem succumbendo, vel præposterè in vase naturali, Sanchez & alii venialem, si generatio non impediatur. Leg. *disp.* 16. *l.* c.

Non est necesse, ut in actu conjugali, utriusque conjugis semen simul effundatur: unde vir citius effundens uxoris seminationem expectare non tenetur, & potest, si velit, non desistere à copula, donec uxoris seminatio accidat, & potest uxor peracta statim viri seminatione, tactibus seminis sui effusionem procurare, hoc enim actus conjugalis perfectio videtur. Ex Sanchez *d.* 17. *lib.* 9.

Dimittentes uxores, & vagantes, peccant, nec sunt absolvendi, nisi firmiter saltem proponant se sine mora ad eas redituros: interdum tamen possunt invicem separari: 1. ob adulterium, 2. cùm alter conjugum alterum ad peccatum trahit. 3. cùm alter infidelis, vel hæreticus fit, 4. cùm vicissim consentientes ambo castitatem vovent.

Copulam habere in loco sacro, mortale crimen, nisi conjuges coacti diu ibi morentur. Sylv. dicit licere copulam, ad vitandam incontinentiam, & tunc Ecclesiam non pollui, aliàs esse peccatum.

Tactus ante copulam inter conjuges nullum peccatum; sine copula, veniale, cùm timetur pollutio extra vas, vel cum fiunt in hunc finem.

Mendacium.

Vide v. *Iuramentum.*

1. Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fal-

fallendi, seu dicendi falsum. Contingere potest quatuor modis: quando quis affirmat aliquid esse quod verè non est, & ipse cognoscit esse; vel negat aliquid esse quod verè est, & ipse cognoscit esse; aut quando scienter dubium pro certo affirmat; aut quando affirmat certum pro dubio. Si mendacium consideretur ex parte finis ob quem committi solet, triplex est; jocosum, quod committitur causa delectationis; officiosum, quod committitur dum intenditur bonum utile alterius, vel fuga alicujus damni; & pernicioſum, quod committitur intentione nocumenti alterius; & illud est pessimum, & peccatum mortale ex suo genere, nisi excuset parvitas materiæ, vel indeliberatio. *tom.2. circa octavum Decalogi præceptum, disp.10.q.1.punct.1.n.1.& seq.*

2. Omne mendacium est peccatum intrinsecè malum, quamvis non semper mortale, ut patet de mendacio jocoso & officioso, licet multiplicetur & proferatur à viro gravissimo, secluso tamen gravi scandalo, & juramento. *Ibid. punct.2.nu.1.& 3.*

3. Femina non est rea mandacii, dum bonis artibus & mediis aliàs licitis defectum virginitatis tegit, & tamquam virgo matrimonium contrahit, tuetur enim illa jus suum; secus dicendum de hypocrita, qui vitæ sanctitatem fingit, peccatq; mortaliter dum proximo ex tali fictione notabile damnum sequitur *Ibid.num.8.& 9.*

4. Qui habitu & vestibus mentitur sexum præciso scandalo, aut malo fine aut aliis circumstantiis, non peccat mortaliter, quia hoc non est mendacium pernicioſum. *Ibid.n.10.*

ADDITIO.

Mendacium officioſum etiam in judicio veniale peccatum est, item quod fit in re parva etiam confessione, etsi nonnulli id quidam negent, dicentes esse mortale. D. Thom 2.2 q 10. Ita Azor *l.5 c 28.* Sot. *de rat. teg mem.2.quæst.7.concl 2.* Confessione) vid. Sot. *l c.& l 5.q.6.art.1.* Val. *dist.5.q.13.art.4.p 3.* Negat Cajet. *q.110 art.4.& q.69.art.1.*

Mentiri in concione in pertinentibus ad doctrinam ajunt semper esse mortale, alii non semper: quod intellige, si sit materia levis. Ajunt Cajet. *ver. mendacium* Syl. ver. *eod n.4.* vid. Fum. *eod.num.2.2.* Si id concionator sciens faciat in doctrina fidei, morum, miraculorum, vaticiniorum. Navar. *c.25 nu.14.*

Cajet.

Cajet. 2 2. *q.* 100. *art.* 4. *in fin.* D. Thom. 16. *ad* 1. ita de mendacio & doctrina.

Petenti quæ ei reddidisti, potes negare te accepisse, scil. sic ut ei debeas nunc; & petenti totum, cùm solum partem debeas, negare debere te, scil. quantum petit.

Quidam dicunt eum, qui non tenetur respondere ad intentionem rogantis, posse respondere aliquid, subintelligendo id non esse, sc. ita ut ei dicere teneatur, vel se non habere, sc. uti det. Alii id non admittunt. vid. Syl. *loc. cit.*

ADDITIO.

Metus.

Vide v. *Contractus.*

Metus justus, seu cadens in constantem virum, est, quo probabiliter quis sibi aut suis timet grave malum, excusatque fœminam minor metus, quàm virum. De metu multa Azor. *l.* 1. Syl. *vers. metus.*

Metus justus excusat à peccato mortali, in lege humana, & iis quæ requirunt consensum liberum, ut voto, & matrimonio; tollit obligationem, cùm ab aliquo ad hæc facienda incutitur. Quidam tamen putant, in voto manere obligationem si quis habuit animum se obligandi, ut maneat in juramento. *Peccato*) Fum. *excom.* 59. Syl. *eod.* 5 *q.* 14. Azor. *c.* 11. *q.* 1. & alii. Cajet. Adrian. & Canonum periti negant. *Voto*) *c. Prælatum, de iis, quæ vi, met.* Azor. *l. c. q.* 6. *cas.* 7. Syl. *metus nu* 8. *Matrimonio*) Azor. *l. c. q.* 5.

Juramentum metu extortum, servandum, vel petenda dispensatio. Azor. *l. c q* 12. *excom.*

Quicumque metus, etiam minor justo, est causa principalis actus, sine qua non fieret, illum annullat coram Deo, ut promissionem, votum, & matrimonium, secundùm quosdam, quod Em. Sa non omnino tutum videtur. vid. Azor *l. c. q.* 16. & 17.

Qui justè metum incutit, non dicitur vim facere, ut ideò contractus debeat censeri nullus. Vid. Azor *c.* 10. *q.* 11. Syl. *metus q.* 6.

ADDI-

ADDITIO.

Minor.

Vide etiam v. *Contractus.*

Minor ingressus religionem potest bona sua alienare, velut enim moritur, modò sit doli capax. Fum. *vers. minor.* 2. Syl. *eodem.*

Minor in spiritualibus agit, ut major, itaque tenet renuntiatio ab eo facta beneficii. Mol. *d.* 220. *colum.* 1024.

Minor ante vigesimum annum non potest accusare, nisi ob sui aut suorum injuriam, nec ante vigesimum quintum esse procurator in judicialibus, nec ante decimum septimum in extrajudicialibus.

Spurio non datur à lege tutor, pater aut mater, sed à judice naturali datur.

Missa.

Vide v. *Eucharistia.*

1. Missa, seu Missæ sacrificium est ceremonia sacra, qua res aliqua sacratur, aliquo modo consumitur, & soli Deo offertur in ipsius cultum, & recognitionem supremæ majestatis & excellentiæ. *tom.* 1. *de Sacramento Eucharistiæ, disp.* 4 *quæst. ult. punct.* 1. *num.* 3.

2. Missa quoad substantiam instituta fuit à Christo in ultima cœna; quoad ceremonias verò institituta fuit ab Ecclesia, ex Trident. *sess.* 22. *Ibid. num* 4.

3 Partes essentiales sacrificii Missæ sunt, consecratio, oblatio, & consumptio; unde non fit sacrificium, quando Sacerdos populo ostendit hostiam pridie consecratam, neque fit propriè sacrificium in feria sexta Paraseeves, cùm non adsit nova hostiæ consecratio. Secus dicendum, quando unus Sacerdos perficit Missam ab altero inchoatam, aut quando Sacerdos reposuit hostiam consecratam in sacrario, & ipse sumit hostiam ab altero consecratam. *Ibid. punct* 2. *n.* 1. *& seq.*

4. Ad essentiam sacrificii non videtur requiri sumptio & consecratio utriusque speciei, cum sacrificium Christi cruentum

tùm repræsentari possit per alteram tantùm speciem. *Ibid. n. 7.*

5. Effectus sacrificii Missæ sunt, conferre gratiam, & remittere peccata certo modo; impetrare nobis bona, quæ petimus & satisfacere pro peccatis: ex quibus constat sacrificium esse propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium. *Ibid. punct. 3. n. 2, 6. & seq.*

6. Valor sacrificii quatenus offertur à Sacerdote, non est infinitus intensivè, alioqui sequeretur uno sacrificio posse totum purgatorium exhauriri; valor tamen generalis Missæ est infinitus extensivè, id est, non tot prodest, quin possit prodesse pluribus, *Ibid. punct. 4. num. 3. & 5.*

7. Missa ut sacrificium est, valorem accipit ex opere operato, prodestque omnibus ex opere operato: prodest enim ultra meritum & dispositionem fidelium; non tamen omnes æqualiter participant fructus sacrificii, sed inæqualiter juxta majorem vel minorem cooperationem ad sacrificium, & uniuscujusque devotionem. *Ibid. num 7. & 8.*

8. Missæ sacrificium potest & applicari debet fidelibus in hac vita degentibus, sive justi sint, sive peccatores: potest similiter offerri pro infidelibus & paganis, ut convertantur: prodest etiam defunctis existentibus in purgatorio: ita habetur in Trident. *sess. 22. cap. 2* Beatis verò non prodest; nisi quatenus per ipsum coluntur, & honorantur: idcirco dicitur Missa de aliquo Sancto. *Ibid. punct. 5 num. 1. & seqq.*

9 Damnatis in inferno existentibus non prodest Missæ sacrificium, quia in inferno nulla est redemptio. Unde patet sacrificium non esse offerendum pro eo, quem constat mortuum esse in notorio peccato mortali: neque similiter pro parvulis cum solo originali ex hac vita decedentibus. *Ibid. n. 9 & seq.*

10. Quæres, cuinam prosit fructus sacrificii, qui fuit applicatus incapaci? Alii volunt hujusmodi fructum reponi in thesauro Ecclesiæ; & alii putant prodesse ipsimet oranti. *Ibid. n. 12*

11. Missæ sacrificium celebrandum est à Sacerdote habente intentionem celebrandi, valetque sacrificium celebrantis in peccato mortali, quatenus nomine Christi & Ecclesiæ offertur; & sub hoc respectu Missa mali Sacerdotis tam prodest aliis, quàm si à bono celebraretur: satisfacitque Sacerdos, qui pro celebratione stipendium accepit, celebrans in peccato; applicat enim fructum quem tenetur applicare, tamquam minister publicus; imò verò sacrificium factum ab excommunicato

to non vitando prodest aliis fidelibus ex opere operato; excusaturque interdum excommunicatus, vel irregularis, si celebret, quando alioquin incurreret gravem infamiam, vel mortis periculum, vel aliud grave detrimentum non celebrando *ibid. punct 6. num. 1. & seq.*

12. Probabile est simplicem Sacerdotem legitimè non impeditum mortaliter peccare, si numquam celebret toto anno, contra Cajetanum, asserentem Sacerdotem numquam celebrantem peccare solùm venialiter. *Ibid. punct 7. num. 1.*

13. Sacerdotes curam animarum habentes, tenentur per se, vel per alios celebrare, singulis saltem diebus, quibus populus tenetur Missam audire; non tenentur tamen illi sacrificii fructum semper applicare: secus dicendum de Capellano, qui tenetur juxta institutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris Missas celebrare; ita ut si Capellania instituta sit ad celebrandum quotidie, tenetur quotidie sub mortali celebrare, salva tamen honestate, decentia, & nisi adsit legitimum impedimentum. Huic obligationi celebrandi potest per alium suppleri: nisi mens fundatoris fuisset obligare ipsummet Capellanum *Ibid. n. 4. 5. 6 & 7. & §. 1. num. 1.*

14. Quæres, an Capellanus, qui per alium satisfecit, cùm ipse nondum esset Sacerdos, teneatur ad restitutionem? Respond. non teneri, quia tantum exhibuit per alium celebrando, quantum per se ipsum exhibuisset: & potest is, qui per se ipsum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, ob impedimentum Missas differre in aliud tempus, possuntque Missæ à Titio celebrandæ, ab alio celebrari, Titio ignorante. *Ibid. §. 1. n. 2. 3. 4.*

15. Accipientes plura stipendia pro celebratione, non posse unico sacrificio omnibus satisfacere, probabile est, quamvis plurimi dissentiant, quando stipendia simul sumpta non excedunt quantitatem necessariam ad strictam ipsius Sacerdotis sustentationem pro unico die; nec videntur tuti in conscientia, qui plures à pluribus colligunt stipes, illisque unico Missæ sacrificio satisfacere arbitrantur. Neque à fortiori excusantur ii, qui accepta stipe cum promissione sæpius celebrandi, unica Missa intendunt satisfacere; aut qui loco Missæ integræ applicant solùm collectam. Similiter non satisfaciunt Capellani, qui detinentur onere Missæ quotidianæ, si aliò se conferant ad celebrandum causa exequiarum aut anniversariorum, tenenturque ad restitutionem Missarum quas

non

non celebrarunt, cùm tenerentur: neque potest quis satisfacere oneri Capellaniæ, cantando Missam conventualem. *Ibid.* §. 2 *num.* 1. *& seq.*

16. An verò Sacerdos teneatur totam Missam illi applicare, à quo tenuem accipit stipem, v. g. quinque assium, gravis est dissensio inter Doctores. *Ibid. num.* 8.

17. Missas reducere, & ad minorem numerum revocare, pertinet ad Episcopos in Synodo diœcesana, quando stipendium est exiguum, & adest justa causa. *Ibid. num.* 9. *&* 12.

18. Capellanus tenetur quotidie Missam applicare fundatori, si constet de quotidiana obligatione, quamvis non constet de fundatione Capellaniæ, secus dicendum si clarè non constet. *Ibid. n.* 13. *&* 14.

19. Quod si Sacerdos duplici obligatione incompossibili tenetur, nec potest utrique satisfacere per se, vel per alium, priori satisfacere debebit: quia qui prior est tempore, potior est jure. *Ibid. num.* 18.

20. Infideliter ageret is, qui celebraret diversas Missas, si ex promissione, vel fundatione teneatur certas & peculiares celebrare, v. g. *de B. Virgine*, vel, *de Requiem. Ibid.* §. 3. *num* 4.

21. Missa conventualis, vel solemnis videtur graviori cum onere celebranda, juxta ritum in Missali præscriptum, quàm privata; cùm celebrans ex devotione possit quam velit Missam conficere. *Ibid n.* 3.

22. Qui suscepit onus celebrandi triginta Missas Sancti Gregorii, *pro defunctis*, non tenetur singulas *de Requiem* celebrare, iis præsertim diebus, quibus officium solemniter celebratur; neque similiter tenetur eas sine interruptione celebrare. In quolibet loco benedicto licitum est Missæ Sacrum facere, etiam in oratoriis Confratrum; peccaret tamen alibi celebrando, qui ex conventione, vel aliquo titulo tenetur in aliqua Ecclesia vel altari celebrare, etiamsi id faceret cum consensu heredum, qui non possunt voluntati testatoris derogare; quod si secus faciat, non idcirco tenebitur ad restitutionem *Ibid. num.* 6. 7. *&* §. 4. *num.* 1. *& seq.*

23. Potestne Episcopus facultatem concedere, ut alibi celebretur, quàm in loco constituto, quando justa causa id postulat? Respond posse. *Ibid.* §. 4. *num.* 4.

Quæres, an peccent Sacerdotes, qui accepta stipe notabiliter differunt celebrationem Missarum? Peccant, si dilatio vergat in damnum illorum, quibus applicandum est Missæ

Missæ sacrificium, ut contingit in patientibus graves pœnas in Purgatorio, &c. Hinc fieri potest, ut Sacerdos teneatur ad restitutionem, si accepit eleemosynam pro impetranda infirmi valetudine, & ipse celebrationem Missæ distulit in tempus, quo infirmus obierat. Caveant igitur Sacerdotes mercenarii, ne multa stipendia congerant pro multis Missis ad longum tempus duraturis. *Ibid.* §. 5. *n.* 1. & 2.

24. Sacerdos qui anticipatè celebrat Missas, & non suspendit effectum sacrificii, sed ex tunc applicat sacrificii valorem pro eo qui dabit eleemosynam, satisfacit, & potest accipere eleemosynam pro Missa jam celebrata. Idem dicendum de Capellano, qui per se loquendo satisfacit anticipatè celebrando Missas. *Ibid. nu.* 3. & 4.

25. Potest Sacerdos rationabili de causa bis in die celebrare juxta casus à jure permissos. *Ib. n.* 9. & 10.

26. Sacerdos pro celebratione Missarum potest absque labe simoniæ exigere mercedem per viam juris, aut illam in pactum deducere, etiamsi habeat pingue patrimonium, vel beneficium, quia Sacerdos non recipit eleemosynam tamquam pretium rei spiritualis, sed pro sua sustentatione, aut pro labore extrinseco, aut pro obligatione celebrandi hic & nunc. *Ibid. punct.* 8. *num.* 1. & *seq.*

27. Quæres, an Sacerdos possit suum valorem specialem, qui sibi debetur, alteri applicare, sicque duplicem stipem accipere? Respond. non posse. *Ibid. n.* 16.

28. Sacerdos qui modico temporis spatio, v. g. quindecim dierum infirmitate laboravit, non tenetur oneri quotidianæ celebrationis per alium satisfacere. *Ibid. num.* 17.

29. Qui plura colligit stipendia pro celebratione Missarum, potestne per alios Sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum, inscio dante, & insciis Sacerdotibus per quos pensum Missarum persolvitur? Respon. satisfacere, modò Sacerdotibus celebrantibus tantam tradat eleemosynam, quantam fert communis taxa; hoc tamen non est consulendum, cùm redoleat nescio quid negotiationis, & nimiæ tenacitatis. *Ibid. num.* 18.

Hora celebrandæ Missæ incipit ab aurora, seu quando aer incipit illustrari per primam Solis irradiationem, vel paulò antè, quamquam in necessitate licitum est ante auroram, aut post meridiem celebrare. Nec reus est lethalis culpæ, qui una hora cum dimidia Missæ sacrum facit ante Solis ortum, etiamsi

amsi nondum recitarit officium divinũ. *Ib. punct. 9. n. 1. & seq.*

30. Episcopus concedere potest facultatem, ut Missa celebretur in Capella domus privatæ, sed non in mari, vel flumine, ubi periculum imminet effusionis sanguinis; neque sine altari tam firmo, quàm portatili consecrato. Quod altare si notabiliter, seu enormiter frangatur, desinit esse sacrum: similiter si frangatur repositorium reliquiarum: nam tunc etiam amittit consecrationem: sicut etiam calix & patena, si ita frangantur, ut non possint inservire ad usum præfixum: aut si amisso auro per usum iterum postea deaurentur quoad superficiem, quæ tangit immediatè corpus & sanguinem Christi: secus dicendum de calice, si cupa separetur à pede absque fractione notabili, ut accidit in calice tornatili, qui non amittit consecrationem. Quare non potest tangi à laicis absq; peccato, sicut nec patena & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt corpus Christi, ut est palla, & corporalia, quæ quoad primam lotionem lavari debent à Diacono, & post lotionem non sunt iterum benedicenda. *Ibid. num. 11. & seq.*

31. Præterea requiruntur ad celebrationem duæ mappæ, vel saltem una duplicata. Item vestes sacræ, alba, cingulum, amictus, manipulus, stola, & planeta, quarum omissio præcisa inadvertentia, inducit peccatum mortale, etiam si tantùm una omittatur. Idem dicendum de lumine, quod etiam est necessarium, confectum ex cera; quamvis in necessitate satisfaciat cãdela sebacea, aut etiam lucerna ex oleo. Adhibendus est etiam masculus, qui ministret, cujus loco adhiberi non potest femina ad inserviendum proximè, etiam in necessitate celebrandi, potiusq; celebrandum est sine ministro. *Ib. n. 25 & seq.*

32. Quæres, an Missa celebrari queat materna & vulgari lingua? Resp. quòd non. *Ibid. nu. 37.*

33. Defectus, seu error contingens in Missa circa substantialia, id est, circa materiam, formàm, & intentionem, aut circa dispositiones Sacerdotis, supplendus est; sive advertatur ante consecrationem, sive post; alioqui sacrificium non perficeretur. Hinc Sacerdos quando sumpta hostia advertit materiam in calice positam non esse veram materiam, nec adest vinum præsens, curare debet, ut vinum deferatur, si fieri potest absque scandalo; si verò periculum sit gravis scandali, perficere poterit sacrificium in una tantùm specie. Quod si post sumptam hostiam repererit nihil esse in calice, vel esse solam aquam, vel alium liquorem distinctum à vino, debet accede-

re ad cornu altaris, simulando se velle purificationem accipere, deinde posito vino in calice, accedere ad medium altaris, ibique consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, & absque elevatione subjungere: *Unde nos memores Domine, offerimus*; sicque sumat species vini consecratas, neque oportet ut reliqua non necessaria suppleat, aut novam hostiæ consecrationem faciat, sed tantummodo vini. Quòd si Sacerdos noluit malitiosè hostiam consecrare ante sumptionem calicis, debet post sumptionem consecrare, ob integritatem sacrificii, poteritque materiam non sufficientem, aut non veram deglutire, & postea etiam non jejunus iterum consecrare. *Ib. part.* 10 *n.* 2. *& seq.*

34. Quid verò faciendum, quando animal, vel quid aliud in calicem decidit? Si decidit ante consecrationem, alia materia sumenda est; si post consecrationem, & Sacerdos non potest sine incommodo aut horrore sumere, extrahat, sumatq; species consecratas, si non sint veneno infectæ, animalisq; postea combusti cineres mittantur in locum sacrum. Imò verò potest Sacerdos vinum veneno infectum, & ex inadvertentia sumptum evomere in vas mundum. *Ibid. n.* 8. 9. & 11.

35. Sacerdos non tenetur barbam abradere, quoties super illam sanguis Christi cadit, sed sufficit, ut repetita lotione barbam sedulò lavet *Ibid. num* 10.

36 Eucharistia quam quis evomit, servanda est, donec corrumpatur; similiter si animal eam comedit, extrahenda erit, si fieri potest, & conservanda donec corrumpatur, & post consumptionem comburenda; sicut etiam ipsum animal comburendum est, & ipsius cineres mittendi sunt in piscinam *Ibid. n.* 9.

Quando Sacerdos advertit se aliquid spectans ad integritatem formæ omisisse, debet defectum supplere, ut validum efficiat sacramentum, nec satisfacit repetendo solum verbum quod omisit, sed debet totam formam repetere, si alia verba interjecta fuerant. Item debet similiter repetere verba consecrationis, quando dubitat de intentione sufficienti; si tamen prætermissum est aliquid, quod non est de substantia sacrificii, non est ex necessitate postea supplendum cum perturbatione ordinis ab Ecclesia præscripti. Ex quibus colligo posse Missam perfici absque alia iteratione, si hostia cadat in calicem dum frangitur, aut si species vini consecratæ congelentur, quæ tantùm calefaciendæ erunt admotis ad calicem lapidibus calidis, ut sumi possint per modum potus. Quod si Sacer-

cerdos moriatur ante consecrationem, non est obligatio perficiendi sacrificium; secus dicendum si moriatur, aut infirmetur, aut alio casu impediatur post consecrationem: tunc enim qui incipiet ab eo loco, ubi alter reliquit, excepta forma consecrationis, quæ tota ab uno & eodem proferenda est. *Ib. n.* 12. *& seqq.*

37. Quæres, quid faciendum sit, quando dubitatur utrum Sacerdos, qui inter celebrandum defecit, consecrarit hostiam? Resp. Sacerdotem supplentem debere etiam hostiam sumere, eamque consecrare, simul consecrando sub conditione eam, de qua dubium est an sit consecrata, vel posse novam hostiam consecrare; eam verò de qua dubitatur an sit consecrata, sumere post sumptionem utriusque speciei, antequam sumat purificationem. *Ibid. n.* 24.

38. Fideles omnes, adulti, baptizati, diebus festis tenentur ex præcepto Ecclesiastico Missam audire, nisi legitimo detineantur impedimento. Per auditionem Missæ, intellige eam actionem per quam quis interest Missæ humano modo, corpore scilicet & mente. Ex quo sequitur, amentes & ebrios existentes in Ecclesia, dum Missa celebratur, non audire Missam, quia nequeunt humano modo interesse. Similiter non dicitur Missam audire, qui sciens in Ecclesia tali tempore Missam celebrari, mentem suam circa mysteria Missæ applicat, quia non interest Missæ corporaliter; sicut nec is interest mentaliter, qui voluntariè vagatur, advertens se mente vagari. Hæc doctrina extendi debet etiam ad pueros fideles, qui completis septem annis obligantur hoc præcepto audiendi Missam; secus dicendum de infidelibus cùm illi non subsint Ecclesiæ. *Ibid. punct.* II. *n.* 1. *& seq.*

39. Quæres, an fideles teneantur tres Missas in die Natalis Domini audire? Respond non teneri, sed satisfacere præcepto, si Missam audiant; sive de Sancto, sive de mortuis, sive privatam, sive solemnem: peccarent tamen mortaliter, si partem Missæ notabilem diebus festis non audirent, aut si non interessent tribus partibus substantialibus sacrificii, scilicet consecrationi, oblationi, & sumptioni. Per partem notabilem intellige, à principio usque ad Epistolam exclusivè, quamvis nonnulli Doctores extendant etiam non improbabiliter usque ad Evangelium. Inservientes tamen

Missæ satisfaciunt præcepto; licet aliquando recedant à sacrificio, ut deferant necessaria ad sacrificium, modò non recedant ab Ecclesia longo temporis spatio. Idem dicendum de cœco, surdo, & illo qui Ecclesiam adit per metum sibi incussum ab alio, aut animo inspiciendi feminas, qui etiam audiunt Missam, modò assistant cum devotione. Neque tenetur is novam Missam audire, qui eam audivit, ignorans esse diem festum, aut qui unâ Missam nō attentè audivit, animo aliam audiendi. Satisfacit item præcepto Missæ audiendæ, qui tempore Missæ recitat horas Canonicas, aut peccata sua confitetur, modò tamen qui confitetur, habeat intentionem audiendi Missam: qua intentione qui carent, non satisfaciunt præcepto; sicut nec ii, qui notabiliter confabulantur, nugantur, vel dormitant tempore Missæ, aut tempore partis illius notabilis. *Ibid. num.* 10 *& seq.*

40. Missa cujusvis Sacerdotis licitè & validè audiri potest, quocumque in loco, sive in propria parochia, sive in Ecclesia Religiosorum, sive in oratoriis privatis, sive extra Ecclesiam, modò non adsit aliqua prohibitio in contrarium. *Ibid. punct.* 12. *n.* 1 *& seq.*

41. Quæres, utrum extraneus, qui pervenit ad aliquem locum, in quo celebratur dies festus, qui non celebratur in proprio territorio, teneatur Missam audire in eo loco, ad quem pervenit? Resp. non teneri, nisi habeat intentionem ibi manendi majori anni parte, aut nisi dies ille festus celebretur etiam in proprio territorio. *cit. num.* 5.

42. Excusantur fideles ab audienda Missa ob impotentiam audiendi, sive physicam, sive moralem; ob grave detrimentum spirituale, aut temporale damnum, proprium vel alienum, ob grave aliquod negotium. Hinc excusantur cursores, nautæ, muliones, iter facientes, si aliter commodè facere non possint, pastores gregis, custodientes domum, vel præparantes cibos in oppidis, ubi unica Missa celebratur: feminæ honestæ, quæ carent veste conveniente suæ personæ, aut socia, aut pedissequa. Similiter excusantur nutrices, quæ secum puerum ad Ecclesiam deferre nequeunt, & ii qui propter inimicos domo securi exire nequeunt. Famuli item aut uxores, timentes rixas & verbera, si ad Missam accedant. Excusantur præterea ii, qui ad Ecclesiam pervenerunt inchoata jam Missa, si non habeant copiam alterius Sacerdotis, aut non prævidérint fore, ut non pervenirent opportunè ad Ecclesiam. Excusantur item

tem, qui longiùs ab Ecclesia distant, si commodè nequeant Missam audire. Item qui vinculis detinentur, aut quibus domus loco carceris constituta est, aut qui domi per vim detinentur, licet in ea habeant oratorium approbatum. Excusantur etiam viduæ ob consuetudinem certo tempore domi se continentes, & puellæ nobiles, quæ domo non consueverunt exire; secus dicendum si soleant exire ad ludos, aut choreas, aut spectacula. *Ibid punct. ult. n. 1. & seq.*

43. Petes, an puella Missam audire teneatur, etiamsi credat se ab adolescente lascivo concupiscendam, dum ad Missæ sacrificium accedit? Resp. non teneri, sed potest audire, & uti jure suo. *Ibid, n. 15.*

44. Qui Missam audire non potest, non tenetur alias orationes recitare, aut alio die Missam audire; sicut nec tenetur partem audire quam potest, qui integram Missam audire non potest, est enim præceptum de audienda Missa, & consequenter de re individua. *Ibid. n. 16. & 17.*

45. Inculpabilis ignorantia & censura excusat fideles ab audienda Missa, & aliquando consuetudo regionis, ut patet in viduis. *Ibid. n. 18. 19 25. & 26.*

46. Quæres denique, an excusentur feminæ ob menstrua temporalia? Resp. non excusari, præcisa debilitate. *Ibid. n. 28.*

ADDITIO.

Hostiam oportet ex tritico confici. certè in alia specie frumenti consecrare non licet. An verò factum teneat, non conveniunt inter Doct. De Missa multa Azor. *lib.* 10. *à c.* 18. Suar. *to.* 3. *ad* 73. Tol. *l.* 2 vid Fum. *Euch.* 1. Syl. *Euchar.* 1. *n.* 2. Val. *de Euchar. à n.* 19.

Potest in necessitate consecrari in musto expresso ex uvis. Sot. *d.* 9 *q unic. art.* 5. Vival. *de Euchar. n.* 40. Suar. *l. c dist.* 45. *sect.* 1. *col.* 3.

Congelati vini consecrationem tenere quidam ajunt, alii negant: validam putat Sa. est enim vinum etiam cùm est congelatum. *Aiunt*) Syl. *Euch.* 2. *quæst.* 10. Ang. *v Missa. n.* 23 Sot. *dist.* 9 *q* 1. *art* 5; Vival *l c. de mat. sol. num.* 5. Suar *dist* 45 *sect.* 1. quitamen credit, non licere hujusmodi materiam consecrare, propter dubium *Negant*) Armil. *Euchar. n* 19. Ledesm *q.* 15. *art.* 1. *dub.* 1. Alan. *l.* 1. *de Euchar. c.* 11.

Præter corporalia, adhibenda linea duo, quamquam unum suffi-

sufficit, si sit duplicatum: potest & quis, juxta quosdam, necessitate uti profanis linteis, eaque reddere domino suo tenda. Suar. *l. c. dist.* 81. *sect.* 6. *col.* 1. Syl. *Missa*, 2 *Vienda*) neque enim necesse esse benedicta, *ibid.* De calice, & vestibus, Azor *l. c. c.* 28.

Calicem & patenam oportet saltem ex stanno esse, non plumbo Syl. *vers. calix* Suar *l. c sect.* 7.

Potest quis uti stola pro cingulo, & manipulo pro stola. Vide Suar. *d.* 82. *sect.* 2. Azor *c.* 28. *q.* 8. Nav. *c.* 25 *n.* 84.

Cingulum non est necesse esse benedictum, secundum Rich & Sot. apud Navarr. *c.* 24. *n.* 84. nec linteum, quo calix operitur. Suar. *l. c. col.* 3. ex Concil Rhemen. inter Sacerdotales vestes, cingulum etiam numerat, & *col.* 6 omnes benedictas esse oportere, ait ex *c. vestimenta, de cond. dist.* 1 & ex Romano Pontificali Navarr. *l.* 3 *cons.* 2. *de consec.* cingulum benedictum meminit, Sa sequitur Sylv. *Missa* 1. *n.* 2. & Rich. Cingulum benedicendum est. Nav. *c* 25. *n* 84. Azor *c.* 28. *q.* 9.

Ex duplicata stola, vel casula seu planeta, possunt fieri duæ, & ex stola cingulum, sine alia benedictione. Azor *l. c. c.* 28. *q.* 8. Suar. *d.* 83. *sect.* 3.

Cingulum fractum potest necti, si pars altera non sufficit. Si sufficit pars, adhibeatur: nam si nectatur post ruptionem, amittit benedictionem. Suar. *l. c.* ex Palud. *dist.* 13 *q.* 2. & *d.* 25. *q.* 3. & Syl. *Benedict. q.* 6. Si verò antequam omnino dividatur, reficiatur, vel aliquo modo connectatur, sufficiet ad usum. Suar *l. c.*

Celebrare sine calceamentis, si absit contemptus, non est mortale peccatum; est autem, si celebretur corporalibus valde immundis *Calceamentis*) Suar. *d.* 85. *sect* 6. *art.* 3 Tol. *l. c. c.* 2. *n* 11. *Est autem*) Syl. *l. c.* Suar. *d.* 81. *sect* 6. *in fin.*

Corporalia lavant Diaconi, vel Subdiaconi, itemque purificatoria, & prima ablutio in piscinam mittitur; semel verò inlota, possunt tradi Monialibus iterum lavanda, & reficienda. Suar. *l. c sect.* 7. *Monialibus*) Cajet. *vers. Mulier peccata.*

Potest quis ex causa operto capite celebrare, vel amictu, vel pileolo, saltem usq; ad consecrationem; vitandum tamen scandalum, & debet fieri de licentia Episcopi, *c. nullus, de cons. d.* 1. *Ex causa*) ut incommodæ valetudinis causa, Turrecr. *in cap. nullus. de cons.* 1. Nav. *cons.* 4 *de celeb. Miss* Azor *l. c. c.* 28. *q.* 16.

Non licet Missam celebrare sine ministro, juxta rubr. Missalis, & Ecclesiæ consuetudinem, *ibid.* Turrecr. *in c. hoc quo-*

quo

que, de consec. dist. 1. Azor c. 29. quæst. 3. Suar. dist. 87. sect. 1. si necessitatis aliquis casus, fortuitò & extraordinariè accidat, probabile existimat, posse fieri sine culpa. Et magis Sot. dist. 13. q. 2. art. 3. ad 12. Durand. l. 2. de ritib. cap. 15. Graff l. 2. c. 42 nu. 3. Sed quid femina? Remotè, ait Suar. l. c. posse interdum respondere Sacerdoti, ut ex choro, sed non proximè ad altare posse vinum debere ministrare, aquam & vinum præstando, & alia similia faciendo ex c. de cohabit. cler. & mul.

Celebrare in Parasceve non licet, etsi quidam licere putant; in die Cœnæ licet, & Sabbato sancto. Parasceve) c. Sabbato, de cons. dist. 3 Suar. dist. 80. sect 1 ex communi, potest tamen quivis Eucharistiam sumere, ex Amal. Dur Greg. M contra Erannum. Die Cœnæ) licere privatim celebrare, ait Nav. c. 25. n. 88. colu. Sot. l. c q 2. art. 2. Suar l c secretò, & sine scandalo, sed negat Francolin ob contrarium usum, idemque ferè docet Azor l. c. q. 5. Sabbatho) Concedit Sot l. c. Suar. l. c. in fin licere ob justam causam, amoto scandalo, eo die privatim celebrare; idem tradit Azor l. c qu. 9. dum venia à superiore petatur: at Francolin. l. c Nav l c. mortale id crimen arbitrantur.

Pollutio involuntaria non impedit celebrationem Missæ, eo die; pollutus autem voluntariè, si post confessionem celebret, peccat, sed non mortaliter Nisi ex congruentia) Sot. dist. 12. quæst. 1. art. 7. col. 1 D. Thom 3. p. quæst 80. a. 7. Azor c. 31. quæst. 12. lib 10. Si post) Sine justa causa, cum scandalo autem & temeritate, esset fortè mort. pecc. Sot. ibid col 10. vid. Azor. c. 31. quæst. 3.

Hostia ab animali comesta, si potest extrahi, servetur donec corrumpatur, animal verò comburatur, & in piscinam cineres mittantur: idemque videtur faciendum, si quis evomat Eucharistiam. vid. Azor. l. c. q. 8.

Si hostia calici hæret, aut palato, toties adhibeatur ablutio donec deglutiatur. Nav. l. c. n. 90.

Post ablutionem si apparent reliquiæ, aut particulæ consecratæ, quæ non possint facilè asservari; sumi possunt à Sacerdote, dum adhuc est in altari. vid. Navarr. l. c. ita Azor l. c. c. 30. in fin.

Si sanguis cadat super tabulam, lambatur hæc, & radatur; si super mappam, sugatur, & lavetur, deinde rasura, vel ablutio in piscinam mittatur. Tol. n. 6. Nav. n. 89 l c.

Missa sicca celebratur sine planeta, cum vestibus reliquis sacris, vel superpelliceo, cum stola in modum Crucis, & can-

candelis: non fit autem conversio ad populum, nec consecratio, nec ea, quæ ad oblationem pertinent.

De Missæ stipendio multa Suar. *dist.* 86. *sect.* 1. 2. 3. 4.

Cui datur certa summa pecuniæ pro Missis à se dicendis, potest alios pro minori pretio conducere, qui adjuvent, & reliquum sibi retinere; secus est, si accepisset, ut curaret dicendas per alios. Ita Sot *l.* 9. *q.* 3 *art.* 1. Suar. *l. c. sect.* 3. *in fin.* Contrarium placet Majol. 4. *dist.* 43. *qu.* 3. *dub.* 2. Nav. *cap.* 25. *n.* 91.

Missæ auditio.

1. Non potest Episcopus cogere ad audiendam Missam aut concionem in Parochia, aut ad discendam ibi doctrinam Christianam *Ex Congreg. Concil.*

De præcepto Missam audiendi Carbo. *de præceptis Eccles.* Azor *l.* 7. *c.* 1 Suar. *dist* 88 Nav. *c.* 21 *à nu.* 21. Tol. *l.* 6 *à c.* 6.

2. Satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui incipit Missam audire ab Epistola; & secundùm quosdam, etiam ab Evangelio: & qui post Epistolam vel Evangelium veniens, legit aut audita legente, quæ non audivit: & qui tempore Missæ discurrit pro rebus Missæ necessariis; & qui præsens est, etiamsi non audiat, modò reverenter attendat; & qui partem unius Missæ audivit, & reliquam alterius: & qui audiens Sacrum, simul dicit Officium, aut pœnitentiam injunctam, id tamen quidam non admittunt.

Satisfacit) ut non peccet mortaliter.

Epistola) etiam exclusivè Sot. *dist.* 13. *q.* 2. *a* 7. cum Ant. 2. p. 8. 9. *c.* 10. §. 1 Tabie *v. Missa, num* 10. Syl *v. Missa, q.* 1. Sandoval. *De offic. Eccle. p.* 6. *c.* 4. Suar. *d.* 88 *sect.* 2.

Evangelio) Lopez *p.* 1. *c.* 32. at Sot. *l.* 2. rutum non esse ait Evangelium non audire, & ita Nav. *c.* 2. Suar. *l. c.*

Legit) Ita Nav. *cap.* 21. *n.* 2. quam reprehendit Suar. *d.* 88. *sect* 3 *col* 2. practicè tamen tolerari ait in alio sensu, scilicet si is qui Evangelium omisit, audiat totam Missam reliquam usque ad Evangelium Joannis inclusivè.

Qui partem) Azor. *l. c. quæst.* 3. Sot. Nav. *l. c.* Tol. *l. c. cap.* 7. *n.* 8. Suar. *l. c.*

Simul dicit) Nav *l. c. n.* 8 Joan. Med *qu.* 49 *de confess.* Tol. *l. c. c.* 6. *nu* 5. Azor *l. c. q.* 3. *c.* 1. Suar. *l. c sect.* 4. *in fine.* Sot. *l. c.* Vide Carb *de audienda Missa, c.* 9.

Non admittunt) Ang *verf. Feria, n.* 46. Syl. *Missa* 2. § *ult.*

Post

Post Epistolam incipere audire Missam, & statim post communionem egredi, non caret scrupulo p.m. A principio autem usque ad communionem tantùm assistere, non erit p.m. Suar. *l.c.*

3. Excusat Missam non audientem legitimum impedimentum, & quævis rationabilis causa; ut si herus impediat, aut femina prodeundo est alicui peccati occasio; & consuetudo, ut puellarum quæ non solent domo egredi; & custodia domus; & pudor ob vestem non decentem; & Ecclesiæ distantia debilem.

De causis excusantibus vid Azor. *l.c.c.7.* Tol. *l.c. c.* 6. &c.

Monasterium.

Vide v. *Monialis, Religiosus.*

1. Nomine *monasterii*, cujus accessus interdicitur hic, non intelligitur monasterium materialiter sumptum, sed ipsæ moniales; accipitur enim contentum pro continente: accessus verò ad monasterium est ille actus, quo quis sese transfert aut transferri sinit ad monasterium: unde ille qui domum monasterio contiguam habet, & è fenestra suæ domus monialem alloquitur, non dicitur ad monasterium accedere, cùm ibi existat; & accessus indicet motum ad aliquem locum. *tom.* 1 *de Clausura, & pœnis violatoribus ipsius impositis, quæst.* 3. *punct* 1 *num.* 1. *& seq.* Hoc posito dicendum,

2. Omnibus tam laicis, quàm clericis & regularibus, (excipe eos qui in dignitate sunt constituti,) interdictum esse jure communi ad monialium monasteria accedere, & à fortiori illa frequentare, id est sæpius in mense accedere. Non est tamen interdictum universaliter jure communi literas monialibus scribere: & illi, quibus jure speciali interdictum est sub censuris litteras monialibus scribere, non incurrunt censuras, nisi ipsæmet litteræ ad moniales perveniant actu. *ibid. punct.* 2 *num.* 1. *& seq.*

3. Accessus ad monasteria monialium sine licentia & causa, videtur sufficiens ad lethalem culpam, nisi ratione parvitatis materiæ, vel alterius circumstantiæ v.g. necessitatis vel parentelæ, excusetur. Contra laicos sine manifesta & notabili causa frequentantes monasteria monialium fertur excommunicatio comminatoria, quam solo accessu non incurrunt, nisi ab Episcopo moniti ut desistant, nolint ab hujusmodi

modi accessu desistere, id est si post monitionem accedant. Item contra clericum frequentantem monasteria monialium, si ab Episcopo monitus corrigi noluerit, ferenda est pœna suspensionis, imò & excommunicationis & depositionis, si corrigi nolit: Item contra Religiosos accedentes ad monasteria monialium imposita est pœna privationis officiorum, vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut patet ex decreto sacræ Congregationis jussu Sixti V. edito anno 1590. quod decretum obligat sub mortali, modoid non faciant de licentia Summi Pontificis, vel sacræ Congregationis, vel Episcopi. Religiosi (etiam S. Joannis Hierosymitani) tenentur præfatas pœnas subire ante judicis sententiam. Adverte tamen Religiosos exemptos non subjici censuris latis ab Episcopo contra accedentes ad monasteria monialium absque sua licentia, cùm non sint subditi; quamvis hoc tempore Religiosi alloquentes monialem absque licentia puniri possint ab Episcopo ex constitutione Gregorii XV. in Bulla *de exemptorum privilegiis ibid. punct. 3. nu. 1. & punct 4. num. 1. & seq.*

4. Laici & clerici à culpa & pœnis jure communi impositis contra frequentantes monasteria monialium, triplici saltem de causa excusari possunt; parvitate materiæ, ut si quis una vel altera vice accedat: legitima consuetudine in contrarium, & licentia Superioris etiam verbali, cum causa rationabili & manifesta, quæ licentia ad accedendum vel ingrediendum absolutè concessa non finitur primo actu. *ibid. punct. 5 num. 1 & seq.*

5. Sola consanguinitas, per se loquendo, non est justa causa frequentandi monasteria monialium. Levior causa sufficit ad accedendum, quàm ad ingrediendum; cùm minus sit accedere, quàm ingredi. *ibid. num. 10. & 11.*

Ingressus monasterii monialium, quibus personis permissus, & quibus de causis.

6. Nomine monasterii intelligitur illud spatium quod intra monasterii januam semper clausum continetur, seu est locus in quo sistere debent moniales, & extra quem nequeunt nobrevi quidem spatio egredi, modo tamen ille locus clausuræ deputatus sit. *ibid. quæst. 4. punct. 1. n. 1.*

7. Omnibus personis cujuscumque generis aut conditionis

nis vel sexus fuerint, postquam ad eam ætatem pervenerunt quæ ad rationis usum requiritur, interdictus est in monialium monasteria ingressus. Adde, neque feminam posse ingredi absque licentia, etiamsi monialis sit, aut ingrediatur ut fiat Religiosa: secus si monialis sit ejusdem habitus & ordinis, licet non sit ejusdem monasterii. Imo probabile est Reges, Reginas & ipsorum filios & filias, non posse sine licentia monasteria monialium ingredi, & multo minùs ipsorum familias: quamvis contrariam opinionem multi non improbabiliter etiam defendant. *ibid. num. 2. & seq.*

8. Infantibus, qui rationis usum nondum adepti sunt, non videtur interdictus in monasteria monialium ingressus. Quando autem dubitatur an infantes rationis usum adepti sint, præsumendi sunt rationis usum adepti, si ad septennium pervenerunt. *ibid. num. 5. & 6*

9. Amens pubes in monasterium sine gravi peccato, introduci non potest. *ibid. n. 7.*

10. Facultatem ingrediendi monasteria monialium concedere potest Superior, qui monasterio præest, & cujus est clausuram monialibus indicere; exceptis tamen monasteriis S. Claræ, & Conceptionis. Unde sequitur Episcopum, Vicarium generalem, & Capitulum sede vacante, alioque jurisdictionem Episcopalem habentes, concedere posse licentiam ingrediendi monasteria sibi, & Sedi Apostolicæ subdita. *ibid. punct. 2. nu. 1 & 2.*

11. Superiores quoque religiosi possunt licentiam ingrediendi concedere in monasteriis sibi subditis. Item religiosus, aut alius, cui ex privilegio Papæ monasterium aliquod subderetur, posset facultatem ingrediendi concedere; quamquam Superiores præfati religiosi possunt contra ipsum requirere, an facultatem ultra casus licitos concesserit. Abbatissa non potest hanc licentiam concedere, nisi ei delegata sit facultas à legitimo Superiore. *ibid. n. 3. & seq.*

12. In monasteria S. Claræ, aut Conceptionis, nullus ingredi potest sine licentia Papæ, neque etiam Fratres Minores, nisi rogati sint à Prælatis monialium, ut sibi opem ferant. *ibid. num. 6 & 7.*

13. Superior qui alii licentiam ingrediendi concedere potest, non indiget licentia alterius in casibus necessariis, modo cum paucis ingrediatur, iisque senioribus & religiosis. *ibid. num. 9.*

14. Li-

14. Licentia ad ingrediendum claustra monialium debet esse specialis, id est in specie continere debet facultatem ingrediendi claustra monialium: deinde debet dari in scriptis, etiam in casibus ordinariis, etiam pro foro interno: consequenter taciturnitas, aut licentia oretenus non sufficit; & qui cum licentia verbis solùm concessa ingreditur, graviter peccat, & pœnas prædictas incurrit. *ibid. punct. 3. nu. 1. & seq.*

15. Privilegium quod alicui conceditur ad dandam alteri licentiam ingrediendi septa monasterii monialium, non indiget scriptura, quia jura non requirunt scripturam in hujusmodi privilegio, sed solùm in ipsamet licentia ingrediendi, & aliud est formaliter loquendo licentia ingrediendi, aliud facultas concedendæ hujusmodi licentiæ. *ibid. num. 4.*

16 Facultas ingrediendi monasteria monialium concedi non debet, nisi ob manifestam, id est, sufficientem & justam monasterii seu monialium utilitatem aut necessitatem, (quæ accipienda est moraliter, non autem physicè,) cui aliter commodè occurri non possit. *ibid. punct. 4 num. 1. & 2.* Hinc

17. Sacerdos causa confessionis, & aliorum sacramentorum, aut causa commendationis animæ aut sepulturæ, aut Missæ celebrandæ in valetudinario ingredi potest monasterium etiam cum socio, dum eo indiget ad præstandum ministerium, cujus causa monasterium ingreditur, etiamsi in licentia nulla fiat mentio socii. Idem aliqui putant de religioso quavis de causa ingrediente, sed hoc D. Bonacinæ non probatur. *ibid. num. 4.*

18 Similiter ingredi possunt chirurgus, barbitonsor, medicus, Superior causa visitationis, vel ad electionem Abbatissæ, bajulus aliquid deferens in utilitatem monasterii, hortulanus ad irrigandum hortum, & judex ad expellendum malefactorem, etiamsi fortè malefactor licitè ingressus sit. Item feminæ admitti possunt in obsequium monialium, dum in eo monasterio conversæ non existunt; & hoc verum est etiam, dum id exigit necessitas alicujus monialis particularis. *ibid. num. 5. & seq.*

19 Sutor & sartor, regulariter loquendo, ingredi non possunt sicut nec mater aut consanguinea causa visitationis, aut ad assistendum morti monialis; puellæ tamen admitti possunt causa educationis, modò monasterium consueverit hujusmodi puellas recipere; non autem feminæ conjugatæ, aut viduæ. *ibid. num. 11. & seq.*

20. Qui ingreditur prætextu vilis ministerii, quod re ipsa præstare non intendit, non excusatur: secus si id præstare intendat, etiamsi ingrediatur cum aliquo pravo fine. *ibid. n.* 18.

21. Non est licitus ingressus, si tempore ingressus cessavit causa ob quam data fuerat facultas ingrediendi: & is qui licentiam sine causa obtinuit, non potest licitè ingredi, etiamsi causa tempore ingressus superveniat. Et hoc verum est, licet Superior licentiam sine causa concedere voluerit. *ibid. num.* 19. 20. *&* 21.

22. Ingrediens monasterium monialium ex justa causa, & cum licentia, non afficitur excommunicatione, si statim non egrediatur; peccat tamen graviter contra clausuræ obligationem si diutiùs immoretur *ibid. num.* 22.

23. Ingredientes sine justa causa, & sine licentia speciali cœnobia monialium; item ingredi facientes, permittentes, vel admittentes prætextu facultatum obtentarum ante motum Gregorii XIII. *ubi gratiæ*, personas prohibitas, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt privationem dignitatum, & inhabilitatem ad illas. Ita Gregor. XIII. & Trident *sess.* 25. *cap.* 5. *ibid. punct* 5. *num* 1. *& punct.* 6 *num.* 1.

24. Prælati tam sæculares quàm regulares ingredientes ex causa necessaria, non afficiuntur excommunicatione, etiamsi ducant secum personas non religiosas, nec senes. *ibid. punct.* 5, *num.* 12.

25. Monialis quæ virum vel fœminam prætextu facultatis ingredientem admittere scienter præsumit in monasterium extra casum necessitatis, incurrit similiter ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, & privationem officiorum, ac inhabilitatem ad illa. Abbatissa & aliæ Superiores monialium eisdem pœnis afficiuntur admittendo aliquem in monasterium. Is autem dicitur admittere, qui directè vel indirectè cooperatur ingredienti, aut qui non impedit, cum teneatur ex officio impedire. *ibid. punct.* 6. *nu.* 8. 9. 11. 12.

26. Monialis privata, quæ alteri moniali mandat, vel consulit, ut aliquem ingredi permittat, non ligatur his pœnis, modo ipsa non concurrat ad alterius ingressum ex parte ingredientis. *ibid. num.* 13.

27. Ex dictis à fortiori patet, Prælatam, Abbatissam, vel alias Superiores non expellentes ingressum, dum commodè expellere possunt, ligari præfatis pœnis. *ibid. n.* 15.

De

De violatione clausura ob ingressum feminarum in monasteria religiosorum virorum.

28. Monasterium est spatium illud quod intra monasterii ambitum continetur. Hinc prædia, & domus rusticæ non sunt obnoxia clausuræ: consequenter religiosus potest feminas ad hujusmodi loca causa audiendi sacra admittere. Præterea chorus non est pars monasterii, sacristia verò, ad quam non patet aditus nisi per claustra monasterii, subjicitur clausuræ. Item infirmariæ, hospitia, & similia loca non comprehenduntur nomine monasterii: secùs dicendum de hortis contiguis monasterio, cùm intra monasterii ambitum contineantur. *ibid. quæst. 5. punct. 1. num. 1. & seqq.*

29. Omnibus feminis interdictus est ingressus in monasteria virorum, & non solùm conjugatis aut viduis, verum etiam puellis quæ rationis usum nactæ sunt, vel ad septennium pervenerunt. Item & fundatricibus, nisi fortè in regula ipsorum religiosorum habeatur, ut fundatrices decenter comitatæ admittantur: imò feminæ in dignitate constitutæ non possunt hoc tempore virtute privilegiorum ingredi monasteria monialium; probabile tamen est Reginas & ipsarum filias posse monasteria religiosorum ingredi, etiam absque peculiari privilegio. Religiosi igitur graviter peccant admittendo feminas in sua monasteria, quia cooperantur delicto feminarum, & feminæ quoque graviter peccant ingrediendo, etiamsi tunc temporis nullus in monasterio religiosus existat. *ibid. punct. 2. num. 1. & seqq.*

30. Nullus præter Romanum Pontificem, vel habentem ab ipso privilegium, potest extra mortis articulum absolvere ab excommunicatione, quam incurrunt feminæ ingredientes, & religiosi eas admittentes in sua monasteria. *ibidem punct. 3. num 3.*

Causæ excusantes feminas ingredientes monasteria virorum.

31. Privilegio Summi Pontificis obtento post constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. excusari possunt feminæ, monasteria religiosorum ingredientes; quamquam si in eo monasterio extet regula non admittendi feminas, & in privilegio non fiat mentio hujus regulæ, non potest femina virtute privilegii ingredi, *ibid. punct. 4. n. 1. & 2.* 32. Fe-

32. Femina alicujus dignitatis, quæ potest monasterium virorum ingredi, potest secum decentem familiam ducere. *Ibid. num* 3.

33. Femina licitè ingredi potest ob necessitatem, ex. gr. ad baptizandum infirmum, seu medendum, dum aliud remedium commodum non est. Item feminæ possunt adhuc ingredi monasteria virorum causa Missæ, funeris, concionis, sepulturæ, processionis, vel alterius divini officii, vel dum tantus est populi concursus, ut mulieres commodè ingredi Ecclesiam, aut egredi non possint: imò feminæ possunt ingredi monasterium causa audiendæ Missæ in capella claustri, modò ad alia loca non progrediantur. Item dum recitantur horæ Canonicæ, dum fit benedictio candelarum, &c. Item ingredi possunt, dum fit lotio pedum, modò tunc legatur Evangelium, vel alia oratio fiat: vel dum aliquis in claustro professionem emittit, cum solitis religiosorum ceremoniis: non autem dum habitum suscipit, neque similiter ingredi possint ad audiendam comœdiam, vel disputationem. *Ibid. num.* 4. *& seq.*

34. Quæres, utrum femina ingrediens monasterium tempore divinorum officiorum, seu concionis, &c. non animo audiendi divina, vel concionem, excusari probabiliter possit à peccato & pœnis contra clausuram? Respond. probabiliter excusari posse *Ib. n.* 13.

35 Femina non peccat contra clausuram, si ingrediatur occasione processionis, quam Prælatus indixit hoc fine, ut feminæ ingredi possint. Idem aliqua ratione dici potest de ipso religioso processionem ad eum finem indicente; quamquam hujusmodi religiosus peccet abusu potestatis, & sit aliqua pœna dignus *Ibid nu.* 14.

36. Femina quæ justa de causa ingressa est, tenetur statim moraliter egredi, non tamen afficitur excommunicatione, si statim non egrediatur, imò etiamsi ad ulteriora loca progrediatur Secus dic de religiosis eam admittentibus. *Ibid. nu.* 15. & 16.

Moniales, & pœnæ violatoribus clausuræ impositæ.

Vide v. *Confessio, Monasterium.*

37. Clausura est spatium, quod intra januam monasterii sem-

semper clausam continetur: seu est locus monasterii, ad quem moniales sistere debent, & à quo egredi nequeunt sine violatione præcepti, vel etiam voti, dum clausuram ex voto servare tenentur: unde monialis non potest ad domos monasterio contiguas accedere, etiamsi ibi degant feminæ colligendis eleemosynis deputatæ. Quòd si transeat ad alium tecti partem, vel transferat se extra januam distantia unius pedis, vel rota egrediatur, rea est violatæ clausuræ. Præterea sequitur monialem non posse transferre se ad Ecclesiam exteriorem, vel ad alium locum, ad quem sæcularibus pateat accessus. Item monialis monasterio egressa, si domo in qua constituta est, exeat, non violat clausuram, cùm domus illa non sit pars monasterii.

Omnes & singulæ moniales cujuscumque ordinis sint post professionem, tenentur onere clausuræ, modò in congregatione vivant. Hinc conversæ & tertiariæ post professionem tenentur clausura, etiamsi in illis monasteriis nunquam ante Tridentinum servata fuerit clausura; secus dicendum de novitiis nondum professis, aut de feminis quæ non sunt verè moniales, etiamsi aliquæ simplicia vota emittant. Imo ad clausuram non tenentur feminæ solemnem professionem emittentes, hac conditione, ut in domo propria remaneant; quia hic sermo est de monialibus in congregatione viventibus. *tom. 1. de clausura, & pœnis violatoribus ipsius impositis, q. 1. punct. 1. n. 1. & seq. & punct. 2. n. 1. &c.*

38. Clausura monialium, jure humano positivo, non autem jure naturali vel divino indicta est, ut patet *in c. periculoso, de statu regular. in 6.* Concil. Trid. *sess 25. c. 5. ib punct 3 n. 1.*

39. Moniales egredientes è monasterio, etiamsi parvo spatio extra januam procedant, dantes licentiam egrediendi, ac receptatores, excommunicationem ipso facto & alias pœnas incurrunt. Hac excommunicatione non afficitur monialis quæ justa causa egressa est, si finita egressus causa statim revertatur. *ibid. punct. 4. num. 1. & seq.*

40 Episcopus, vel Superiores religionum, qui sine justa causa licentiam exeundi moniali concesserunt, iisdem pœnis afficiuntur. Idem dic de comitantibus, vel receptantibus moniales injustè egressas, modò tamen sint causa egressus, & perseverantiæ in egressu: secus si causa urbanitatis, vel consanguinitatis comitentur, vel recipiant. *ib. n. 4. & 5.*

41. Nemo præter Summum Pontificem, vel habentem ab ipso

ipso facultatem jure communi potest à dicta excommunicatione absolvere, dum excommunicatio publica est Dicitur *habentem ab ipso facultatem*, quia habens privilegium à Summo Pontifice, potest absolvere in foro conscientiæ, etiamsi delictum sit publicum, vel deductum ad forum contentiosum Item religiosi habentes privilegium absolvendi, possunt absolvere in foro conscientiæ, etiamsi delictum ad forum externum deductum sit, quidquid in contrarium à multis asseratur. *ibid. punct. 5 n. 1. & seq.*

42 Onus cogendi moniales ad clausuram incumbit Episcopo auctoritate ordinaria, in suis monasteriis: auctoritate verò Sedis Apostolicæ delegata, in monasteriis Sedi Apostolicæ subditis, ut constat ex Trid. *sess. 25. cap. 5.* In monasteriis verò exemptis hæc facultas non competit Episcopo, sed Superioribus illorum ordinum, ex *cap. periculoso, de statu regular.* ex Trident. *sess. 25 cap. 9* Prædicti Episcopi, & alii Superiores implorare possunt Principum & magistratuum sæcularium auxilium; & magistratus tenentur sub excommunicatione ipso facto incurrenda opem ferre. Magistratuum autem nomine veniunt personæ publicæ, quæ jurisdictionem sæcularem exercent. Imò judices Ecclesiastici gaudentes potestate sæculari ligantur excommunicatione non præbendo Episcopo auxilium circa clausuram. *ibid. punct. 9 n. 1. 2 & punct 7. n. 4. & 5.*

43. Superiores non tenentur sub mortali decretum clausuræ quotannis publicare. *ibid. punct. 6. n. 3.*

Ad quem pertineat facultatem exeundi monialibus concedere, & quibus ex causis.

44. Ad Episcopum, vel ad ejus Vicarium generalem pertinet facultatem exeundi è monasterio concedere monialibus in monasteriis Episcopo aut Sedi Apostolicæ subjectis. Monialibus verò subditis religiosis concedunt Superiores religiosi, & etiam Episcopus, & quidem in scriptis, alioquin non tenet.

Hanc facultatem exeundi concedere non possunt Abbatissæ ipsarum monialium, quia etiam ipsæ clausuræ præcepto tenentur. *ibid. punct. 8 num. 1. & seq.*

45. Monialis excusatur à peccato & pœnis, si urgente necessitate exeat; tenetur tamen dum extra monasterium exi-

stit, causam sui egressus Superiori significare; quamquam materiæ parvitas excusat ubi non est perfecta clausuræ violatio; secus si adsit perfecta transgressionis causa, etiamsi monialis uno pede distet à janua clausuræ. Idem valet in ingredientibus claustra monialium. *ibid.n* 5. & 6.

46. Ut monialis è monasterio licitè egredi possit, requiritur facultas Superioris cum justa & gravi causa: tres autem sunt justæ exeundi causæ, incendium, infirmitas lepræ, & epidemiæ, & si quæ sint aliæ consimiles & urgentiores causæ, qualis est, v. g. belli: nam monialis potest monasterio exire, dum bellum geritur contra infideles, periculumque grave impendet ab infidelibus. *ibid. punct.* 9. num. 1. 2 & 7.

47. Abbatissa non potest exire, ut visitet monasterium cæmentarios vel sua monasteria, aut ut curam nepotum gerat, neque ut visitet parentes infirmos; potest tamen monasterio egredi, dum totus conventus in alium locum transfertur. Item Abbatissa exire potest ad præstandum juramentum fidelitatis sæculari domino feudi. Imò si ei constet licentiam à Superiori injustè denegari, adhuc exire potest, secus si dubitet. Similiter monialis exire potest ad reformandum monasterium ejusdem ordinis, vel ibi sit Abbatissa, vel januæ præfecta, vel magistra novitiarum, & finito monasterio potest reverti si velit, etiamsi socia redire nolit. Item monialis potest ad perfectiorem religionem transire, vel ad aliud monasterium transferri causa correctionis aut petitionis, in casibus, in quibus ita jura decernunt. *ibid. num.* 3. 4 5. & *seq.*

48. Monialis ejici potest in sententia nonnullorum, etiamsi emendatio non speretur: sed probabilius est, & ita censet D. Bonacina, monialem ob incorrigibilitatem ejici non posse. *ibid. num.* 14.

49. Moniales conversæ ob necessitatem petendæ eleemosynæ exire possunt servatis constitutionibus Pii V. & nihilominus possunt adhuc recipi & admitti ad professionem in monasteriis monialium. *ibid. num.* 15. & 16.

50. Monialis non potest exire monasterio ob infirmitatem non contagiosam, etiamsi alioquin mortalis sit; quamquam non sunt puniendi Superiores qui licentiam exeundi concesserunt moniali gravi infirmitate, sed non contagiosa laboranti. Sunt tamen multi, qui asserant licitum esse moniali egredi tempore infirmitatis periculosæ.

Monia-

Monialis quæ justa de causa egressa est, tenetur finita egressus causa redire quamprimum potest moraliter, non metaphysicè, *ibid. num.* 18. *& seq.*

ADDITIO.

De velatione monialium gloss. *in can. illud autem.* 20. *q.* 1. facit quadruplex velum, vel velationem monialium: 1. est professionis, in qua velum imponitur tam viduis, quam virginibus; modò compleverint 12. ann. ætatis, secundùm jus antiquum, *can. puellæ*, 20. *q.* 2 nunc autem, 16. 2. est consecrationis, in qua velum solum virginibus imponitur, idque anno ætatis 25. ut habetur *can. plus* 20. *q.* 1. 3. est ordinationis, in qua olim velum imponebatur diaconissæ, anno ætat 40. ut habet *canon sanctimonialis.* 21. *q.* 1. 4. velatio est prælationis, in qua velum dabatur abbatissæ, futuræ anno ætatis 60. Palud 4. *d.* 48. adjungit velum continentiæ, quod est viduatum, ut habetur, 27 *q.* 1. *c. vidua.*

Quæres: A quo possint velari, vel consecrari virgines, & quo tempore. Resp. viduas posse velari à quovis sacerdote, ut habet Palud. Syl & gloss 16. *q* 1 *c. vidua.* Resp. 2. virgines tantùm ab Episcopo, ut S. Thom. *in* 4 *dist.* 38. *a.* 1. Resp. 3. ordinariè debere hanc consecrationem, secund. Ostiens. Syl. Angel. institui in festo Paschatis, & per octavam, in Epiph. natali Apost. dieb. Dominicis, ut habetur 20. *q.* 1. *c. veland.* in necessitate autem, quovis tempore, *ibid. c.* 1.

Monitorium.

Vide v. *Denuntiatio.*

Monopolia.

Vide v. *Emptio & venditio.*

1. Quando mercatores inter se conveniunt de vendendo supra pretium rigorosum, peccant mortaliter contra justitiam, excedunt enim justum pretiũ. Idem militat in emptoribus conspirationem ineuntibus non emendi nisi pretio viliori: nam iis licitum est solum in tantum conspirare, in quantum monopolium venditorum perseverat contra illos. Et

quando unus vel pauci conveniunt emere omnes merces alicujus generis, ut eas ipsi asservent in tempus caritatis inopiæ, animo carius vendendi & lucrandi, graviter peccant saltem contra charitatem, vel contra justitiam legalem.

Potest tamen quilibet supprimere merces suas, usque ad tempus opportunum, quo eas majori pretio vendat, secluso monopolio; utitur enim jure suo quod habet consulendi sibi, & merces suas vendendi justo pretio. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. quæst. 2. punct. 5. num. 2. & seq.*

2. Qui vi vel fraude impediunt, ne merces aliunde advehantur, ut ipsi carius res suas vendant, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem. At qui justa de causa impetrat à principe privilegium quo solus possit certum quoddam genus mercium advehere & vendere, non videtur graviter peccare, modò justum pretium taxetur à Principe, vel à viris prudentibus, consideratis considerandis. *ibidem num. 8 & 9.*

3. Præter jam dicta monopolia sunt & alia, quæ ad licitum monopolium revocari possunt, ut patet quando multi conveniunt ut opus ab uno inceptum & inchoatum alter non perficiat; aut quando artifices conveniunt, ut non doceant artem, nisi soluto quodam pretio iniquo; aut quando aliqui rumorem disseminant, vel litteras confinguntur, quibus exprimitur naves submersas fuisse, quibus merces certi generis advehebantur, & hac de causa pretium mercium augetur; aut denique quando vendens sub hasta apponit fictum licitatorem qui plus offerat, ut ceteri emptores ascendant in pretio. Utrum vero mercator qui non exercuit monopolium, possit suas merces vendere pretio communi, quod per monopolium crevit, sunt qui affirment, sunt qui negent. *ibid. num. 10, & 11.*

4. Emptor qui emit pretio currenti sciens brevi futuram inopiam, potest reticere inopiam secuturam, & emere pretio currenti, utitur enim jure suo, & emit pretio justo. Item non peccat contra justitiam, qui ad suum lucrum utitur privata scientia, qua scit condendam esse legem, qua minuetur, vel augebitur pretium mercium, vel monetæ. Denique non peccat, neque tenetur ad restitutionem, qui sciens brevi diminuendum esse valorem monetæ, mutuat pecuniam alteri cum pacto ut sibi restituatur juxta valorem quem habebit tempore restitutionis. Neque refert, quod mutuatarius non fit

se pecuniam acceptam insumpturus, antequam pecuniæ valor Principis auctoritate diminuatur, quia mutuans utitur jure suo, & nihil accipit supra sortem. *ibid. nu.* 13. *& seq.*

Mons pietatis.

Vide v. *Vsura.*

ADDITIO.

Mons pietatis est pecuniæ, rerumve pecunia æstimabilium summa, in pauperum commodum reposita. Datur mutuo pecunia, ad breve tempus dantur pignora, ne pauperes solvere negligant, & mons deficiat: hæc vendi solent, nisi statuto tempore pecunia reddatur. Qui mutuo pecuniam accipiunt, singulis mensibus exiguum quid solvunt, ad alendos ministros. Tres conditiones necessariæ sunt. Prima, ut mons nihil lucretur; Secunda, ut quod mutuatarius solvit, pro montis indemnitate accipiatur; Tertia, ut nihil accipiatur ultra expensas, &c & id, quod pro obligatione montis ad mutuo dandum licitè accipi potest.

De aliis montibus, qui alibi in usu sunt.

Principes aliqui, vel Respublicæ summam annuorum reddituum vendunt, quæ summa Mons dicitur. Pro redituum varietate variis nominibus montes appellantur, ex quibus alii sunt perpetui, alii temporales, quidam sunt ad modum census, & reddunt decem pro centum Sunt autem liciti montes, 1. si reditus sunt veri, 2. si non plures pecuniæ accipiantur, quam reditus fuerant, 3. si cum reditus, temporis spatio minores fiunt, minus accipiatur, (si tamen obligatio præcessit, ut imminutis reditibus, imminuantur annuæ pensiones,) 4. si pereunte monte, pensiones pereant. 5. si mons temporalis majores reddat pensiones, quam perpetuus. 6. si Principes gravi aliqua necessitate adacti, hos montes erigant Hujusmodi pensiones aliquando pluris venduntur, quam emptæ fuerint, raritas enim reddituum emptibilium pretium auget, & hoc est licitum.

Moneta, vid. v. *Cambium.*

Mora.

Vid. v. *Debitum.*

Non tenetur quis ad interesse damni, aut lucri cessantis ante moram, si de eo non sit pactum Syl. *mora qu.* 4. Obligatus ex delicto, semper est in mora, qui autem sine delicto, & non potest, aut difficilè potest, aut alioqui causa justa excusatur, putant quidam non esse in mora, adeoque non tenetur ad interesse ratione moræ, nisi ex pacto, vel appositione pœnæ conventionalis, tali tempore non resisteret, aut impotentia culpa ejus accidisset. Alii putant, qui non solvit tempore debito, etiam sine culpa in mora esse, quæ opinio Emman. Sa videtur mercatorum usu recepta. *Obligatus*) Syl. *l. c. q.* 1.

Morosus non tenetur restituere, quando res apud dominum peritura erat. Syl. *l. c. q.* 4. Fum, *vers. commodatum, n.* 7.

Mortis articulus.

Talis est, qui prudentis judicio videtur, & juxta quosdam, cum quis febri continua laborat, aut est ætate confectus, aut iter facturus periculosum Syl. *vers. mors. n.* 4 Aug. *ibid. n.* 6. Nav. *in summ. c.* 2. *n.* 8. Nav. Syl. *confessio, 1 n.* 6 Fum. *l. c.* Suar. *tom.* 3. *d.* 69. *sect.* 3 *col* 2. articulum & periculum mortis pro eodem accipiunt, ut quis possit absolvi, Val. *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *p.* 2. cum Sot. *d.* 18. *q.* 4. *art.* alterum ab altero distinguit, vid. *Absolutio.*

Munera, Munerum largitio.

Vid. v. *Religiosus.*

1. Clemens VIII. in Bulla XXVIII. quæ incipit *Religiosi*, ut votum paupertatis integrè servaretur, & bonis religionum consuleretur, interdixit largitiones, seu donationes fieri, directè vel indirectè, injuncta tam largientibus, quam largitionem recipientibus, sive per se immediatè sive per alium, pœna: unde sequitur, religiosum peccare contra Bul-

lam

lum & votum, commodando vel mutuando aliquid alteri, animo illud amplius non repetendi, quia dicitur indirectè donare. Similiter religiosus vel monialis condonans consanguineo solutionem legati, vel alterius debiti, rea est violationis Bullæ; hæc enim remissio censetur donatio. Religiosus tamen non peccat contra hanc constitutionem, dum dicit volenti rem aliquam sibi vel monasterio tradere, vel rogare, rogat ut illam tradat suo consanguineo. Non violatur quoque hæc constitutio mutuando, locando, commodando, aut vendendo etiam infimo pretio. *tom. 1. de largitione munerum disp. 3. punct. 1. n. 1 & seq.*

2. Secunda actio prohibita in hac Bulla Clementis VIII. est erogatio pecuniarum quovis modo in honorem alicujus, etiam protectoris, benefactoris, vel ordinarii. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus licitum est regularibus aliquid largiri vel erogare, videlicet si fiat de consensu generalis Capituli, vel de levioribus poculentis & esculentis, (modò non sint quotidiana,) & munusculis ad devotionem pertinentibus, vel de pecuniis quæ in divinum cultum expenduntur, vel de eleemosynis ad sublevandas veras necessitates, vel de hospitalitate frugali præsertim erga pauperes & peregrinos. *ibid. n. 6. & seq.*

3. Omnes & singuli religiosi utriusque sexus, cujuscumque gradus & dignitatis existant; imò etiam Capitula tam generalia quàm provincialia, ordo, conventus vel religio prohibentur munera largiri ex bonis ad monasterium pertinentibus. Excipiuntur religiosi habentes beneficium Ecclesiasticum, aut certam quantitatem ad proprium usum assignatam à Prælato, de qua nullam rationem reddere debeant. Præterea non comprehenduntur in hac Bulla novitii, tertiarii, qui non militant in religione approbata; neque religiosi militares, neque Episcopi religiosi; secus dicendum de religiosis Societatis Jesu (cùm sint verè religiosi, etiamsi solùm tria vota simplicia emiserint,) & de ejectis è monasterio, dum expendunt ad libitum bona quæ acquirunt; liberam enim habent dum vivunt hujusmodi bonorum administrationem, licet aliunde peccent prodigè & supervacaneè illa exponendo. *ibid. punct. 2. num. 1 & seq.*

4. Potestne quis remunerationis vice aliquid accipere à religioso? Potest de consensu legitimi Superioris, & modò munera accepta non excedant merita. *ibid. punct. 3. n. 2.*

5. Pœ-

5. Pœnæ, quibus afficiuntur qui munera capiunt à regularibus, sunt quod absolvi nequeant, nondum facta reali restitutione, obliganturque restituere ante illam judicis sententiam : *ibid. punct. 4. num. 1. & 2.*

6. Religiosi largitionem facientes contra dispositionem Bullæ Clementis VIII, privantur dignitatibus, gradibus seu jure superioritatis & officiis : redduntur incapaces & inhabiles ad illa & alia in futurum obtinenda, sunt perpetuo infames, privantur voce activa & passiva, contra eos tamquam furti & simoniæ reos agi & procedi potest *ibid. punct 5. num.*

7. Quæres, utrùm quantitas sufficiens ad peccatum mortale sufficiat ad incurrendas pœnas in hac Bulla Clementis VIII. contentas? Resp. eam quantitatem sufficere, quæ à legitimo Superiore taxata fuerit. *ibid. num. 6.*

8. Prælatus religionis non solùm potest eleemosynas facere de superfluis, aut de non superfluis conventus : verum etiam alias donationes pro ratione administrationis, ex causa quam vir prudens sufficientem existimaverit. Intellige modo aliud non ferat consuetudo, vel statuta religionis seu conventus circa quantitatem, modum & dependentiam à majori parte Capituli. Non potest tamen Prælatus religionis aliquid in ludos illicitos, aut in vanas causas expendere, nec aliquid testamento relinquere, quia non est dominus sed administrator bonorum monasterii. *ibid. punct. 6. num. 1. & seqq.*

9. Religiosus subditus non potest ullas eleemosynas vel donationes facere absque Superioris licentia, & justa de causa. Per Superiorem intellige non solùm Generalem aut Provincialem; verum etiam immediatum monasterii Superiorem, & etiam Abbatissam respectu suarum monialium, dummodo tamen Abbatissæ vel Priorissæ facultas restricta & limitata non fuerit ex consuetudine aut constitutionibus illius religionis, aut ex præcepto Superioris Prælati. *ibid. n. 5. 6. & 7.*

10. Religiosi accipientes vel expendentes aliquid non petita expressa licentia, excusantur quoties in tali religione viget consuetudo illa accipiendi vel expendendi absque expressa licentia; tunc enim censetur adesse tacita voluntas & licentia Superioris per consuetudinem explicata, modo Superior non reclamet contra consuetudinem. Idem militat, quando religiosus aliquid accipit, vel expendit ad subvenien-

geniendum extremæ necessitati, propriæ aut alienæ: tunc enim non peccat mortaliter, quia Superior censetur consentire, & consensum præstare debet. *Ibid. num.* 15. & 16.

11. Religiosus qui extra monasterium ex debita licentia egressus, potest præciso præcepto, vel consuetudine in contrarium aliquid largiri in remunerationem obsequiorum vel munerum acceptorum, potestque religiosus in claustro, vel extra claustrum vivens, habensque assignatam sibi certam quantitatem ad suam sustentationem, de illa honestè disponere ad suum libitum; sicut & absens à monasterio causa studiorum, vel negotiorum, vel peregrinationis, potest eleemosynas & donationes facere juxta consuetudinem sui monasterii. Item Procuratores & Cellarii possunt eleemosynas & donationes facere juxta quantitatem administrationis & consuetudinem. *Ibid. num.* 17 18. & 19.

12. Monachus furans aliquid extraneo, potest restitutionem facere ex peculio, quod habet cum licentia disponendi, ut sibi placuerit. *Ibid. n* 20.

13. Religiosus non peccat accipiendo vel distrahendo aliquid Superiore videnti & non contradicente, aut ex tacita voluntate illius, qui licentiam daret, si peteretur; etiamsi illi displiceat modus accipiendi. Item, emens grana benedicta, scuticas, & his similia de licentia Superioris, non peccat ea distribuendo sine nova licentia. Non tamen excusabitur religiosus, si rem acceperit, vel expenderit cum licentia per dolum obtenta, aut si expenderit in profanos usus, non potest prætextu tacitæ licentiæ excusari. *Ibid num.* 21.

14. Religiosus, qui monasterii bona profanè expendit, seu insumpsit ad eos usus, ad quos licentiam non habebat, monasterioque damnum intulit, debet admonere recipientem ut restituat, si ex admonitione fructum sperat, nec gravis damni periculum timet. *Ib. n.* 32. Item

15. Religiosus, cui onus impositum fuerat conservandi bona monasterii, aut aliquorum usus concessus fuerat, ipse autem in iis conservandis debitam curam non adhibuit, ad restitutionem quoque obligandus est, si ex lata ipsius culpa res pereat, furripiatur, vel deterior fiat. *Ibid. num.* 33.

Mutilatio.

Vide v. *Irregularitas.*

Mutuum.

Vide v. *Vsura.*

1. Mutuum est contractus, quo rei dominium transfertur in accipientem, spe recipiendi similem in specie & bonitate. Hinc patet, mutuum celebrari de iis rebus, quæ recipiunt functionem, id est, quarum una dari & substitui potest loco alterius, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia, ita, ut una fungatur sufficienter vice alterius. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 3 punct 1. n. 1. & 2.*

2. Dividitur mutuum in expressum seu formale, & in tacitum, seu implicitum ac virtuale, id est, quod virtute includitur in aliis contractibus, & ob id palliatum dicitur. *Ibid. num. 4.*

3. Adverte, aliquos eximi ab obligatione mutui, ita ut ad mutui accepti restitutionem non teneantur; tales sunt Ecclesiæ, loca pia, minor, & filius familias, qui non habebat bona castrensia, vel quasi castrensia, nec credebatur esse sui juris: hic enim non tenetur pecuniam sibi mutuo datam solvere, saltem in foro externo, ante vel post mortem parentum; sicut neque Ecclesia, aut minor tenentur solvere, nisi mutuans probet mutuum esse conversum in utilitatem illorum. Videtur tamen filium seu filiam familias teneri ad restitutionem mutui accepti etiam ante mortem parentum, quando accepit pecuniam mutuo, ad ea, ad quæ insumenda erat pecunia à patre, ut si filius pecuniam accepit ad emendos libros, aut quando pecunia conversa est in utilitatem patris, aut eam accepit de consensu illius, aut quando juravit filius, se soluturum, quamquam potest juramenti relaxationem obtinere. Neque refert, quod renuntiarit privilegio *Macedonianum* nuncupato; cùm illud videatur principaliter concessum in favorem parentum, nullus autem cedere potest privilegio in favorem alterius concesso. *Ibid. num. 6 7 & 8.*

ADDITIO.

Mutuum repetens ante tempus, quia eget, non tenetur ad interesse, nisi mutuatarius aliunde, si ille non mutuasset, fuisset habiturus. De mutuo Mol *à d.* 298. Garz. *cap. 6. de usura in mutuo.* D. Tho. 2. 2. *q.* 78. Bannes *ibid. art. 2.*

Mu-

Mutuare cum pacto remutuandi, licere quidam ajunt, sed alii negant, quibus assentitur Emm Sà; obligare enim ad aliquid pecunia æstimabile ob mutuum, usura est. *Cov. de contr.* q. 37. pro remissione injuriæ accipere aliquid tamquam pretium, usuram putat, licitum tamen est, mutuare alteri cum pacto, ut privatam vindictam tibi condonet. Item, si exigat justam aliquam satisfactionem, pro fama vel honore violato, potes eum obligare, ratione mutui, ut condonet pacto amicitiæ, sed non justitiæ. Lessius. *l. c. c.* 20 *dub.* 7.

Renuntiandi) Licere putant Angl. *usura* 1. *n.* 4. Major. 4. *d.* 15. *q.* 29. *ad* 2. Bann. 2. 2. *q* 78. *art* 2. nempè, si commodè possit, idque impositâ obligatione non gratitudinis tantùm, sed & civili, juxta *Adrian. in* 4. *de restit.* sed contrà negant D. Thom. *l. c. ad* 2. Cajet. *ibid.* Sot. *l. c.* Gab. 4 *d.* 15. *quæst.* 11. *art.* 1. Nav. *c.* 17. *num* 223. Mol. *d.* 308.

Pecunia depositâ cum potestate utendi, fit mutuum, idemque est de quovis consistente in numero, pondere, aut mensura, sitque depositarius dominus.

Si quis det frumentum, recepturus oleum, mutuum videtur implicitum.

Mutuare mercatori cum pacto, ut reddat in mercibus; vel operario, ut in operis, est emere, anticipata solutione. Vid. Mol. *d.* 309 *n.* 6.

Mutui vexatio licitè redimitur. Sot. *l. c. art.* 2. *col* 3.

N.

Negotium.

NEgotium alterius potest quis agere, sine ejus mandato.

Nomen.

Nomen sibi quemque posse mutare, excepto servo, modo fiat sine fraude, & alterius præjudicio, quidam ajunt; Em Sa ad tempus, & ex causa id posse putat, alioqui acceptum in Baptismo, non posse, nisi fortè in Confirmatione.

Notarius.

1. Notarius habere debet scientiam, saltem mediocrem co-

eorum quæ ad proprium officium pertinent, debetque referre in scriptum ea, quæ á partibus asseruntur & fiunt, Peccatque graviter dum renuit instrumenta conficere, aut dum confecta occultat vel dum conficit instrumentum carentis ratione, teneturque ad restitutionem, & legata præsentia pia manifestare; neque potest quidquam ultra taxam accipere, dum pretium à lege taxatum est, alioquin tenetur ad restitutionem, quando est quid notabile. *tom. 2. circa octavum Decalogi præceptum, disp* 10. *q.* 3. *punct. ult n.* 1. *& seq.*

2. Clericus initiatus majoribus ordinibus, non potest tabellionis Cæsarei officium suscipere, potest verò si minoribus tantùm sit initiatus. *Ibid. num.* 8.

ADDITIO.

In Notario requiritur scientia, fidelitas, justitia. Scire debet necessaria ad suum munus, si omittat aliquid per insciantiam aut negligentiam, in instrumento, unde aliquis damnum patiatur, tenetur restituere.

Si conficiat falsum instrumentum, gravissimum patrat scelus, & tenetur restituere.

Si verborum puritatem non servet, malè agit: si in criminalibus præcipuè, rem aliter narret, quàm se illa habeat, graviter peccat, & tenetur de damno illato.

Joan. Med. *de reb. per usur. acquisit. q.* 4. excusat à peccato notarium usurarii contractus instrumentum conscribentem, si solùm conscribat veritatem, & nihil præterea agat. Azor *l.* 8. *c.* 22. *q.* 16. excusat, si vocetur à Christiano, non autem à Judæo. Toler. sequitur Nav *loc. cit. n.* 15. & Carbo *q. fi. de restit.* Medinæ opinio quibusdam non displicet.

Notarius in foro Ecclesiastico potest esse laicus.

Tabellio factus clericus, aut religiosus, non perdit officium ipso jure, interdicitur tamen communiter usus. Vid. Panorm. *c. sicut. ne cler. vel mon.* & Felin *in c. cum l. & A. de sent. & re jud.* vid Fum. *Tabellio* 34. Tabellionis, cùm haberi non potest, vicem supplent duæ personæ honestæ Fum. *l. c. n.* 2.

Notarius visitatoris si non est de familia ejus, nec habet salarium è publico, potest aliud accipere à visitatis, nisi statuto aut consuetudine prohibeatur. Vid. Sylv. *visitatio*, 2. 5.

Obe

O.

Obedientia.

OBediendum non est Superiori, cùm est certum præcipi malum; in dubio autem an malum sit, excusat obedientia credentem licere obedire. De hac Tolet 1. *de 7. pecc. mort. à c.* 14. *usque ad* 22. vide Nav. *c.* 23 *n.* 38. Syl. *obedientia n.* 2.

Mortale est, nolle obedire in re gravi, sine causa, aut nolle aliquid facere, quia juberur: est enim id contemnere superiorem. Quidam tamen putant, famulos non teneri obedire sub peccato mortali, ex vi præcisa obedientiæ, id quod probabile est. Nav. *l. c. n.* 36. Syl. *l. c. n.* 1. Tol. *c.* 19. *n.* 5.

Non tenetur obedire, qui credit Superiorem per errorem præcipere, &, si veritatem sciret, non fuisse præcepturum; & quidem per edictum generale non intendunt Superiores obligare, cum damno gravi Nav. 38. *n.* 38. Tol. *n.* 5.

Oblatio.

Obligat consuetudo aliquid offerendi in Ecclesia, si per devotionem liberam fiat; sufficit verò, cùm obligat, majorem partem populi offerre. Vid Fum *oblatio n.* 3.

Oblata celebranti in Ecclesia, cedunt Rectori, itemque quæ offeruntur Ecclesiis ditionis ejus. Fum. *l. c. n.* 4.

Obses.

Vid. v. *Bellum.*

Obsidem dare potest Papa clericum, vel religiosum, & Abbas monachum, pro monasterii utilitate. Vid. Syl. *verf. obser. num.* 2.

Observatio vana.

Vide v. *Divinatio, Superstitio.*

1. Vana observatio contingit, quando ex consideratione alicujus eventus casualis conjicitur aliquid prosperi, vel adversi. Nomine *vanæ observationis*, venit magia, veneficium, male-

maleficium, &c. Est autem vana observatio, superstitio, qua media inutilia adhibentur ad præstandum vel omittendum aliquid, ad quod illa media nec à Deo, nec à natura virtutem ullam habent, ut contingit, quando quis mediis inutilibus conetur acquirere bona temporalia, ut sanitatem, scientiam &c. aut quando aliquibus verbis intendit alligare dæmonem illumque includere in annulo, in vase; aut quando quis mittit chirographum animalibus noxiis, vel cum ipsis litem movet, ut illa expellat, &c. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3 quæst. 5. punct. 4 num. 1. & seq.*

2. Vana observatio alia dicitur ars notoria, qua quis credit se consecuturum scientiam absque labore, per quædam jejunia, orationes, inspectiones figurarum, &c. hæc est peccatum mortale; alia observatio sanitatum, qua adhibentur aliqua inania & inutilia, ut verba, signa, &c. ad sanandos morbos hominum, qua ex consideratione alicujus eventus conjicitur quid futurum sit, ut si quis ex eo quòd aliquid casu evenit, aliquid sibi prosperi vel adversi promittat, indeq; actiones suas moderetur, observans loca, verba, audita, tempora, occursus hominum, aut animalium, &c. & hæc observatio est etiam peccatum ex genere suo. *Ibid. n. 4. & seq. item n. 21. & 23.*

3. Petes, an sit licitum uti ea scientia quæ semel acquisita fuit ope dæmonis? Resp. affirmativè, modò conservatio illius non pendeat à dæmone. *ibid. num. 6.*

4. Superstitiosus est effectus ad quem aliqua vana circumstantia adhibetur ut necessaria, & quando is superat activitatem causæ naturalis applicatæ, ut constare potest exemplo curandi infirmos vulneratos in loco distanti; deinde quando effectus fit sine motu locali, ut si quis faciat mensam, aut flumen statim apparere; item quando effectus statim evanescit, & non permanet *Ibid. n. 8. & 9.*

5 Superstitionem committit adhibens imagines, vel characteres sacris verbis inscriptos, aut signo crucis ut effugiat certa cum fiducia inimicorum manus, vel morbum evitet, &c. nam adhibentur ad hos effectus, ad quos vim non habent. Caveri tamen potest superstitio in hujusmodi scripturis adhibendis, & ad collum portandis, si nihil falsi vel contra Ecclesiam contineant, si in his nihil reperiatur quo dæmon invocetur, si non inscribantur nomina ignota, vel alii characteres præter signum crucis, si non ponatur spes in modo vel tempore scribendi, si in ipsis non adnotentur verba indican-

na

rialis morbi, vel mali, vel periculi evitationem. *Ibid. num.* 10 & 11.

6. Consuetudines colligendi herbas in tali die festo, hauriendi aquam, venam aperiendi animalibus, rescindendi ungues, & similes, sunt tamquam superstitiosæ damnandæ, nisi id faciant homines ut se magis excitent ad Deum precandum propter diem Sancto dedicatum, quamquam adhuc sit improbanda hæc consuetudo, cùm excedat modum Ecclesiæ consuetum honorandi Deum vel Sanctos. Committitur quoque superstitio, dum in publicis supplicationibus imago alicujus Sancti projicitur in flumen, ut pluat, aut dum existimatur tot orationes prodesse, & non pauciores: non videtur tamen superstitiosa ars inveniendi aquam latentem adhibita virga talis vel talis generis, id enim fieri potest naturæ viribus *Ibid num.* 12. *& seq.*

7. Non est superstitiosum, si dum colliguntur aliquæ herbæ, aut curantur morbi, recitantur aliquæ orationes, modo hæ nihil vani contineant: neque damnandus est tamquam superstitiosus usus triginta Missarum S. Gregorii, qui triginta diebus curavit orari pro defunctis, modo aliquæ circumstantiæ vanæ non misceantur. *Ibid. num.* 15. & 16.

8. Damnandus est modus curandi vittis, gladio, &c. infirmos vulneratos existentes in loco tam distanti, ut ex principiis philosophiæ, aut activitate causarum, concludatur illum effectum non posse naturaliter à causa tam distanti provenire; quia agentia naturalia agunt per contactum formalem, & habent determinatam sphæram suæ activitatis. *Ibid. n.* 17 & 18.

Odium.

Vide v. *Charitas.*

ADDITIO.

Officium.

Officium Relp. si viliori detur, non digniori, quidam putant esse mortale, alii sufficere, si detur idoneo. Vid. Val. *to.* 3 *d.* 59. 7 *p.* 2. *de accept. pens. in off secul.* Bannes *q.* 63. *art.* 2. *prop. fin.* ait peccare contra justitiam distributivam dignioribus non

non distribuentes. Idem Salon 2.2 *q.63.art.2 cont* 9. sitis cum administratione conjuncta *Idoneo*) Cajet. *vers. lectio.*

Officia Reip. vendere, illicitum quidam negant, quidam ajunt, certè non expedit. *Illicitum*) *Adrian in* 4. Negant) Fum. *v. officium*, D. Thom. Sot. & alii citati à Bann. *l.c.* vid. Mol. *d.* 1. Salon. *q.* 63 *art.* 2. *contr.* 8. qui putat licere vendere officia. *Adrian. l.c.*

Potest princeps compellere subditum ad suscipiendum officium publicum. Vid. Thom. *ep.* 4. & 21. D. Thom. *ad Diœcss. Brab.* Fum. *v. officium* 1.

Officium divinum, seu horæ Canonicæ.

Vide v. *Clericus, Distributiones, Orare, Parochus.*

1. Divinum officium materialiter sumptum, seu horæ Canonicæ per se sumptæ, nihil aliud sunt quàm quædam laudes & preces ab Ecclesia institutæ ad orandum & ore laudandum Deum singulis diebus certis ac definitis horis. *tom. 1. de iis, quæ ad privatam Divini Officii recitationem ab Ecclesia prescriptam pertinent, disp* 1 *q.* 1 *punct.* 1 *n* 1.

2. Horæ Canonicæ formaliter consideratæ, ut sunt actus orationis, nihil aliud esse videntur quàm actus quidam religionis, vel obedientiæ, aut etiam justitiæ, quo non solum Deus laudatur, verum etiam explicatur desiderium Ecclesiæ & à Deo vel à Sanctis petuntur res decentes, juxta ejusdem Ecclesiæ præscriptum. *Ibid n.* 6.

3. Horæ Canonicæ non sunt de jure divino, sed Ecclesiastico, quia neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione, neque ex sanctorum Patrum testimonio colligitur eas jure divino institutas fuisse; quando autem institutæ fuerint, constat quoad substantiam divinum officium originem à temporibus ipsis Apostolorum traxisse. Actor. 3. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, quamquam si consideretur quoad formam & numerum horarum, non constet quando nam fuerint institutæ. Certum tamen est illas ab initio aliquam formam habuisse, & postea in hunc qui modo existit modum redactas fuisse, ut patet ex Bulla Pii V. *Ibid. punct.* 2. *num.* 1. & *seq.*

4. Summus Pontifex (non verò Cardinales, aut Episcopi) potest cum beneficiario, vel clerico sacris initiato dispensare circa

illâ obligationem divini officii recitandi, etiamsi aliud onus ilion injungat, nam Papa potestatem habet dispensandi in ju- te Ecclesiasti o *Ib n 5.*

5. Horæ Canonicæ sunt septem, institutæ ab Ecclesia *cap. 1. de celebrat. Missar.* videlicet Ma utinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completori m; quamquam multi Doctores velint esse octo, distinguentes Matutinum à Laudibus, eo quod possint diverso tempore persolvi (quod tamen fieri non potest absque peccato veniali, nisi adsit aliqua causa) sed unitas vel distinctio Canonicarum precum non est desumenda à tempore quo ipsæ recitantur, ut patet ex nocturnis antiquitus diversis temporibus recitari solitis, quæ tamen diversas horas non constituebant.

Septem tantùm esse Horas Canonicas ad exprimenda septem præcipua passionis Christi mysteria, innuunt etiam hi quinque versus, qui passim recitantur in hoc modum:

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis,
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipertit.
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.
ibid. punct. 3. nu. 1. & seq.

Qui teneantur ad divinum officium.

6. Omnes religiosi choro deputati ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis tenentur post professionem ad persolvendum divinum officium, etiamsi non sint sacris initiati. *Ibid. quæst. 2. punct 2. num. 1.*

7 Religiosus qui in priori religione tenebatur recitare divinum officium, non tenetur ad illud recitandum, si transeat ad aliam religionem, in qua consuetudo recitandi officium introducta non sit. Item religiosus qui compellitur ad triremes, vel per sententiam ejicitur à monasterio, non tenetur ad horas Canonicas recitandas, modo religiosus nondum promotus fuerit ad sacros ordines, quia tunc tenebitur titulo sacri ordinis. Præterea monachus habens facultatem & dispensationem vivendi in perpetuum extra monasterium, non tenetur ad recitandum divinum officium. *ibid. n. 2. & seq.*

8. Moniales professæ choro deputatæ, tenentur ad divinum

officium persolvendum juxta consuetudines & regulas ipsorum. *Ibid, n. 5.*

9 Monachus fugitivus, aut ejectus à monasterio ad tempus vel in perpetuum, non tenetur ad divinum officium, neque idcirco dicendus est reportare commodum ex suo delicto, nisi per accidens, quatenus constituitur in statu, in quo non est consuetudo persolvendi divinum officium. In praxi tamen oppositam sententiam consulerem contra fugitivum. *Ibid. n. 6.*

10. Religiosi qui professionem emiserunt in ea religione quæ non est addicta choro, non tenentur ex vi solius professionis ad pensum diviri officii ; tales sunt Patres Societatis JESU. *Ibid n. 7.*

11. Superior potest cum religiosis circa obligationem recitandi officium ex consuetudine religionis ex justa causa, utcumque causa studiorum, aut negotiorum, dispensare. *Ibid. num. 9.*

12. Clerici majoribus ordinibus initiati jure Ecclesiastico tenentur ad recitandas Horas Canonicas, etiam post degradationem, vel postquam inciderunt in aliquam censuram excommunicationis, vel suspensionis, aut missi sunt ad triremes vel ab hostibus capti, nisi ob impotentiam, vel aliam justam causam excusentur. Tenentur etiam clerici Psalmos quos Episcopus in ordinatione injungit, recitare. Nec refert, quod in statu peccati mortalis existant ; nam adhuc tenentur officium divinum recitare, si ordinati vel beneficiati sint. *Ibid punct. 3. num. 1. 2 3. 4 & 6.*

13. Clericus qui de consensu Summi Pontificis duxit uxorem, tenetur ad pensum horarum Canonicarum, nisi forte in hoc fuerit à Papa dispensatus *Ibid. n. 5.*

14 Recitans divinum officium ob malum finem, ex. gr. ut aliquem in re gravi decipiat, satisfacit præcepto, modo recitet cum debita attentione. *Ibid num. 6.*

15 Habentes beneficium Ecclesiasticum, etiamsi non sint sacris initiati, tenentur, regulariter loquendo, ex institutione Ecclesiæ ad recitandas horas Canonicas, sive beneficium sit simplex, sive curatum, sive sit aliqua præbenda tituli clericalis, imò etiamsi manuale sit, quamquam ad istius titulum ordinari non potest. Ratio est, quia jure beneficium dicitur dari propter officium. *Ibid. punct. 4. num. 1.*

16 Habens beneficium integre in commendam, tenetur ad divinum officium, unde Equites Hierosolymitani, & alii gaudentes commendis Ecclesiasticis tenentur ad pensum officii divini

divini, quia dicuntur habere beneficia. *Ibid. num. 2. & 3.*

17. Qui per metum gravem sibi à parente incussum accepta vit beneficium, tenetur ad horas Canonicas, etiamsi non habeat animum perseverandi in statu Ecclesiastico. *Ibid. nu. 4.*

18 Dantur aliqua beneficia, v. g. quædam simplices præposituræ, vel personatus, &c. quæ ex sua institutione non obligant ad horas Canonicas; clericus tamen habens Capellaniam, tenetur ratione illius divinum officium recitare, modo Capellania sit collativa, seu Ecclesiastica, id est, auctoritate Episcopi erecta etiam ex bonis laicorum. *Ibid num. 5, 6. & 7*

19. Pensionarius percipiens pensionem ut clericus, tenetur B. Virginis officium persolvere; percipiens verò pensionem titulo sæculari, ut causa belli, vel ob tintinnabula pulsanda, vel propter aperiendas fores Ecclesiæ, &c. non tenetur ad recitandum magnum vel parvum officium. Pensionarius tamen qui ut clericus percipit pensionem, non ita tenetur ad recitandum officium Beatissimæ Virginis Mariæ, quin oneri suo satisfaciat recitando horas Canonicas, quod *officium magnum* vulgo nuncupatur; clericus enim sacris initiatus, simulque pensionem habens, unica magni officii recitatione oneri suo satisfacit. *Ibid. num 8 & 9.*

20. Qui cessit pensioni solum in partem, non remanet immunis & exemptus ab obligatione divini officii; secus si in totum cessit, quamvis cesserit anticipatis solutionibus. *Ibid. n. 11.*

21. Coadjutor beneficiarii non tenetur ratione coadjutoriæ præcisè persolvere divinum officium; tenebitur tamen ratione sacrorum ordinum, vel alterius beneficii, si quod habet. Similiter Capellanus seu Sacerdos, qui conceditur alicui Parochiæ, ut suppleat vices Parochi in Sacramentorum collatione, & in externa Ecclesiæ administratione, non tenetur ex vi coadjutoriæ præcisè ad horas Canonicas recitandas: sicut nec is, qui privilegium Canonicatus obtinuit cum futura successione, aut qui fructus aliquos percipit per modum stipendii, modo non sit pensio propriè accepta. *Ibid. n. 13. & seq.*

22. Beneficiarius tenetur divinum officium recitare, etiamsi beneficium sit adeò tenue, ut non sufficiat ad sustentationem; quamquam non desint multi graves DD. aliter sentientes, & asserentes non teneri, saltem quotidie, recitare divinum officium. Hinc colligè à fortiori, habentes plura tenuia beneficia, ex quibus omnibus colliguntur fructus competentes, teneri ad pensum Canonicarum precum. Neque beneficiarius, seu Ca-

Capellanus eximitur ab onere divini officii recitandi, dum majorem fructuum & reddituum partem tradit Sacerdoti substituto ad peragenda & persolvenda beneficii onera. *Ibid. num.* 17. 18. & 19.

23. Tenetur ad divinum officium recitandum, qui post collationem ineptus reperitur ad munus beneficii exercendum etiamsi compellatur coadjutorem assumere, illique omnes aut ferè omnes beneficii fructus pro munere obeundo tradere. Item, impendens omnes beneficii fructus loco pensionis illi, qui sibi beneficium renuntiavit, tenetur quoque ad divinum officium, quandoquidem ipse retineat titulum, possessionem & administrationem beneficii, & per ipsum statut fructus capiat. Idem dicendum de Canonico, etiamsi primo anno fructus beneficii non recipiat, & fructus cedant, vel Canonicis antiquioribus, vel hæredibus Canonici defuncti. *Ibid. num.* 20. 21. & 22.

24 Beneficiarius juxta probabiliorem sententiam, tenetur ad recitandum divinum officium, quoties fructus beneficii in alios pios usus ex consuetudine, vel Ecclesiæ statuto impenduntur. Idem dicendum de beneficiario, qui capta possessione, fructus pro aliquo tempore non percipit, spem tamen habet alias percipiendi. Idem valet de eo, qui ob delictum, aut alia justa de causa privatur fructibus; non autem, si fructibus privetur ex bello, aliave actione injusta; secus si jam fructus accepit, & postea injustè subtrahuntur. *Ibid. n.* 23. & *seq.*

25. Litigiosi circa idem beneficium, non tenentur ad divinum officium, modo bona fide litigent, nec alius pacificè possidere inceperit. *Ibid. num* 26.

26 Justè possidens plura beneficia, non tenetur pluries in die officium recitare; quamquam qui plura inique possidet, teneatur ex jure naturæ plura officia recitare. *Ibid. n.* 27. & 28.

27. Beneficiarius ad divinum officium recitandum obligatur solum post captam beneficii pacificam possessionem, quia ex eo tempore acquirit titulum beneficii. Et qui per litem impeditur ne possessionem capiat, non tenetur ad officii recitationem. Similiter, qui pensionis titulum obtinuit, sed pensionem non percipit, nec illius percipiendæ spem habet, non tenetur officium recitare. Idem dicendum antequam pensionarius litteras, vel instrumentum pensionis expediri curaverit. *Ibid. punct* 5. *num.* 1. 2. 4. 6. & 7.

28. Coadjutor cum futura successione, non tenetur ad divinum officium, vivente coadjutore. *Ib. n.* 5. 29. Be-

29. Beneficiarius non tenetur ad restitutionem fructuum, dum officium prætermisit, nisi elapsi sint sex menses à capta possessione. *Ibid. num.* 8.

30. Qui beneficium vel ordinem Subdiaconatus suscepit, vel professionem in religione emisit, non tenetur integrum officium eo die recitare, sed pro rata temporis, id est, horas respondentes horæ in qua beneficii possessionem accipit, vel ordinem Subdiaconatus, pro eo, qui absque beneficii titulo ordinatur. Et qui divinum officium recitavit antequam beneficii possessionem, vel collationem, vel sacrum ordinem recipiet, tenetur iterum accepta possessione, vel collatione, vel ordine recitare pro rata temporis, & horæ qua possessionem, collationem, vel Subdiaconatum obtinuit. *Ibid. num.* 10. & 11.

Qua forma recitanda hora Canonica, seu officium divinum.

31. Officium recitandum est juxta ritum Breviarii Romani reformati à Pio V. Excipiuntur habentes privilegium, vel consuetudinem aliter recitandi à ducentis annis ante Pii V. constitutionem, quamquam hi possunt Breviarium Rom. recipere, & eo recepto ad prius Breviarium redire nequeunt: particulares tamen homines non possunt, regulariter loquendo, eo uti non solum in publica, verum etiam in privata recitatione, antequam Breviarium Rom. communiter recipiatur. *Ibid. quæst.* 3, *punct.* 1, *n.* 1. & 2.

32. Habens privilegium utendi Breviario non Romano, regulariter loquendo, uti non potest Romano, juxta probabiliorem sententiam. *Ibid. n.* 3.

33. Ordinatus ad titulum patrimonii, non potest quodlibet Breviarium adhibere, quia debet se suæ Ecclesiæ conformare. quamquam multi non improbabiliter oppositum sentiant; & non sit improbabile aliquem posse, relicta consuetudine propriæ Ecclesiæ, Romanum Breviarium adhibere, modo non extet decretum in contrarium; quale extat Mediolani, videlicet ut clerici Mediolanenses divinum officium juxta ritum Ambrosianum recitent: quamvis possit clericus Mediolanensis dum Romæ existit Breviario Romano uti, juxta commune & tritum axioma: *Si fueris Romæ, Romano vivito more, &c. Ibid. num.* 4 *& seqq.*

34. Extraneus, qui ad alienam diœcesim accedit animo ibi ma-

manendi majori anni parte, tenetur adhibere Breviarium juxta ritum loci ad quem se transfert, secus si ad eum locum accedit intentione ibi brevi commorandi: nec refert, sive justè vel injustè in eo loco existat. *Ibid. num.* 8. Hinc

35. Qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis, quæ diversis utuntur Breviariis, uti debet Breviario illius Ecclesiæ in qua residet. Item, qui beneficium habet, sed in alia diœcesi commoratur, tenetur officium recitare juxta ritum loci ubi commorarur. Et scholares possunt officium recitare, juxta ritum loci, ad quem se studiorum causa transferunt. *Ib n.* 9. 10. & 11.

36. Qui utuntur Breviario Romano Pii V. non tenentur extra chorum ad recitandum officium defunctorum vel Beatissimæ Virginis, aut Psalmos pœnitentiales, excepto defunctorum die, ut expresse decernitur in Bullis Pii V. & Clem. VIII. quæ in principio Breviarii Romani continentur. Excipe Ecclesias, in quibus ex consuetudine recitatur officium Beatissimæ Virginis. *ibid. nu.* 12.

37. Sacerdotes & beneficiarii, qui tempore Litaniarum & Rogationum non intersunt processionibus quæ publicè fiunt, tenentur privatim Litanias in Breviario vel Calendario descriptas & designatas sub mortali recitare, alioquin tenentur ad restitutionem pro rata divini officii. Qui processionibus præfato Litaniarum & Rogationum tempore intersunt, sed Litanias vel preces omittunt, vel ad illarum partem non attendunt, satisfaciunt recitando preces & Litanias quas absentes recitant. *Ibid. num.* 13. & 14.

38. Recitans officium lingua Hebraica, vulgari, aut alia, non peccat graviter, præcisis aliis circumstantiis, consequenter præcepto satisfacit quoad ritum substantialem, nec tenetur ad restitutionem fructuum, quia quoad significationem & substantiam est idem officium. Similiter satisfacit voto, quo orationes promissas vulgari & materna lingua persolvit, præsertim si hoc faciat majoris devotionis causa. *Ib. num.* 15. & 16.

39. Qui sponte & cum advertentia permutat horas Canonicas recitando de Sancto, dum sunt recitandæ de feria, vel de uno Sancto, dum sunt recitandæ de alio, vel de Dominica, peccat mortaliter, consequenter præcepto non satisfacit. Et qui sponte vel advertenter recitavit officium brevius unius diei, loco officii alterius diei multo longioris, debet supplere omissa, modo advertat ad mutationem, seu errorem, antequam dies elapsus sit. *Ibid. num.* 17. & 18

40. Epi-

40. Episcopus non potest dispensare cum aliquo, ut relicto proprio Breviario recitet officium juxta formam alterius Breviarii, vel ut recitet officium alio die præscriptum; quia non potest dispensare in lege Superioris, videlicet Summi Pontificis. *lib n.* 19.

41. Episcopus non solùm curare potest, ut Breviarium Romanum recipiatur, verùm etiam illud recipere potest cum consensu universi Capituli. *Ibid. n.* 20.

42. Non licet quicquam addere Breviario tamquam partem divini officii; secus si aliquid addatur, tamquam aliquid extrinsecum, seu concomitanter ad majorem solemnitatem. *Ibid. num.* 21.

43. Dum recitatur officium de Sancto, de quo nulla in Breviario mentio habetur, recitandum est juxta rubricas Breviarii Romani, ita ut in Ecclesia cujus est patronus, recitetur officium duplex cum octava, vel sine octava, de consensu tamen Episcopi *lib. num.* 22.

Requisita ad officium studiosè & devotè persolvendum.

44. Ut officium studiosè recitetur, requiritur, ut verba non omittantur, vel mutilentur, sed omnia proferantur, nec syllabæ abscindantur, sed recitentur sine syncopa; propterea omittens verba divini officii in notabili quantitate, peccat mortaliter. Item recitans cum sociis ita festinanter, ut nondum expletis versiculis à sociis, versiculos sequentes recitare incipiat, suæ obligationi non satisfacit. Abscissio syllabarum in recitando officium, non mortale, sed veniale peccatum continet. *Ibid. punct.* 2 § 1. *n.* 1. *& seq.*

45. Recitans cum socio satisfacit præcepto, qui recitantes sibi commune faciunt quod alternatim recitant: & hoc valet, etiamsi is, cum quo recitat, non teneatur officium recitare, aut recitet sine attentione. Idem valet non solùm in oratione debita ex præcepto, verum etiam in oratione facta ex devotione. *lib. n.* 5. *& seqq.*

46. Ille oneri chori satisfacit, qui suos versus alta voce canit, & alios qui ab alia parte canuntur, submissa voce recitat. Item satisfacit præcepto, qui suos versus alta voce recitat, & aliquem ab alia parte canentem audit, licet omnes audire nequeat. *Ibid. n.* 8 & 9.

47. Dum plures duobus officium simul recitant, alternatim

tim recitandum est facto inter recitantes solum duplici choro, sive plures sint ex una parte, sive pauciores.

Satisfacit præcepto qui non recitat, sed attente audit responsoria, lectiones, &c. Item satisfaciunt clerici audientes versiculos, qui per organum canuntur, servata tamen Ecclesiæ consuetudine. *Ib. n.* 10 *& seq.*

48. Deferentes ex officio, vel libros, vel candelabra, & satisfaciunt quidem assistentiæ & obligationi chori, consequenter possunt distributiones accipere, non verò satisfaciunt simpliciter obligationi divini officii, nisi illud posteà privatim recitent, vel saltem nisi attendant ad ea quæ interim recitantur. *Ibid. nu.* 13.

49. Canonicus qui domi privatim recitat officium, ut in choro suam præstet operam in servitiis Ecclesiæ & chori, percipere potest distributiones, modo ita ferat consuetudo, vel privilegium. *Ibid. num.* 14.

50. Qui choro interest, auditque tantummodo socios canentes, non satisfacit obligationi. Item qui socios canentes suam partem audit, sed ipse suos versus submissa voce recitat, satisfacit obligationi divini officii, non autem debito chori servitio. Recitans submissa voce aliis canentibus, distributiones percipere non potest. Hoc tamen intelligendum est de illis qui per se ipsos canere, non autem de illis qui officium per mansionarios canere possunt. Tenentur præfati Canonici attendere, & in defectum mansionariorum publicè recitare. *Ibid. num* 15. *& seq.*

51. Qui recitat suam partem, sed alteram quam alter chorus profert, percipere non potest, quamvis attendat, non satisfacit oneri divini officii recitandi, licèt à debito chori excusetur, & recitato privatim officio distributiones percipere possit. Item recitans officium cum aliis, tenetur illos audire, nec potest recitationem prævenire, ut posteà liberè evagari possit. *Ib. num.* 20. *&* 21.

52. In recitatione divini officii mos & consuetudo servanda est: hæc enim est Ecclesiasticæ obligationis interpres, & legem inducere potest.

Recitans cum aliis non debet esse sollicitus in ea parte tunc temporis repetenda, quæ ab aliis prætermittitur, quia materia levis est, & ob sollicitudinem illius repetendæ facilè fieri potest, ut novus error committatur.

Recitans divinum officium privatim, non tenetur seipsum audire, contra nonnullos contrarium sentientes: qui

verò cum alio recitat, ita recitare tenetur, ut ab aliis audiatur *ibid num.22.& seq.*

53 Ut officium studiosè recitetur, non solùm persolvendum est sine deminutione verborum & concisione litterarũ & syllabarum, verùm etiam sine interruptione, quæ in partibus unius & ejusdem horæ contingit; ut si quis inchoato Matutino usque ad Lectiones vocetur ab amico ad ludum, ad negotia, &c.

Hæc interruptio divini officii non caret culpa veniali, si absque justa causa contingat; est enim contra unitatem moralem uniuscujusque horæ, habetque adjunctam quamdam indecentiam. *ibid num.26.& 30.*

54 Interrumpens officium animo repetendi jam recitata, satisfacit præcepto, etiamsi posteà eadem non repetat, sed reliqua solum absolvat: sicut & Missam audiens in die festo animo non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ adhuc satisfacit, quia Ecclesia præcipit simpliciter Missam audiri. *ibid, num.31,& 32.*

55. Vovens se iterum officium recitaturum dum illud recitaret, non tenetur ad restitutionem fructuum, si officium posteà non recitet, quia non ex præcepto Ecclesiæ, sed ex voto tenebatur iterum recitare. *ibid. n.33.*

56. Ut officium devotè recitetur, non solùm requiritur intentio illius recitandi saltem implicita & virtualis, sed requiritur adhuc attentio, sive illa sit ad verba, sive ad sensum verborum, sive ad Deum, vel ad Christi passionem, vel ad aliam rem piam cum intentione laudandi Deum, vel ad rem quam petimus, vel ad Sanctos ad quos orationem dirigimus, & hæc conditio necessaria est ut præceptum impleatur. Idem dicendum est de aliis orationibus ad quas recitandas tenemur ex voto, vel ex pœnitentia à Confessario injuncta, vel alia ratione: quamobrem recitans coronam ex devotione, tenetur attendere; secus si eam recitet recreationis vel memoriæ causa. Item recitans absque attentione orationes ex præcepto vel aliter debitas, v.g. confabulando, vel dormiendo, graviter peccat posita gravitate materiæ, vel nisi habeat intentionem formalem, aut virtualem repetendi *ibid. §2. num.3.& seq.*

57. Recitans horas Canonicas sine attentione, non percipit distributiones; & qui differt recitationem horarum Canonicarum, v.g Completorii usque ad tempus quo som-

no præoccupabitur, graviter peccat. *ibid. num.* 16. &

58. Satisfacit præcepto, qui dum horas Canonicas recitat detinetur in aliqua re externa non incompossibili cum attentione. (Idem valet in eo qui inadvertenter detinetur in aliqua actione incompossibili cum attentione,) propterea possumus eodem tempore satisfacere præcepto Missæ, & horarum Canonicarum. *ibid. num.* 12. *& seq.*

59. Ad recitandum officium sufficit attentio tacita & implicita; virtualis, non vero habitualis: actualis autem non est necessaria. Attentio includitur in intentione orandi, unde intendens in genere officium modo consueto recitare, sufficientem habet attentionem, sicut & intendens Deum laudare, vel muneri suo satisfacere sufficientem habet intentionem, isque præcepto satisfacit qui recitat officium cum proposito faciendi opus consuetum. Denique accedens ad Ecclesiam de more, ibique recitans officium, sufficientem habere videtur intentionem ad recitandum officium, & attendendi ad illud, quamvis posteà recitet involuntariè distractus. *ibid. num.* 15. 17. 19. *& seq.*

Quo tempore recitanda sint horæ Canonicæ.

60. Tempus recitandi divinum officium (quod singulis diebus recitandum est jure Ecclesiastico,) incipit à media nocte antecedentis diei, & perseverat usque ad mediam noctem sequentis inclusivè Propterea ille non satisfacit præcepto qui pridie recitat officium pro sequenti die, excepta tamen recitatione Matutini officii, quæ permissa est post Vesperas antecedentis diei: & qui intra hujus temporis intervallum, nimirum à media nocte, &c. privatim recitat officium, satisfacit præcepto, quamvis peccet venialiter invertendo notabiliter tempus horarum absque justa causa; justa autem causa videtur esse major devotio, vel periculum probabile superventuræ occupationis Adverte tamen, eum qui divinum officium intra hoc tempus recitavit differendo aut recitando ante horam præscriptam, non teneri repetere, ut si Vesperas, v.g recitavit mane *ibid. punct* 3. *n.* 1. *& seq.*

61 Recitantes officium in choro extra horas præscriptas, præciso scandalo, aliave circumstantia, satisfaciunt præcepto quoad substantiam, licet non satisfaciant obligationi quoad circumstantiam horæ, quæ pluris facienda est in oratione

tione publica quam in privata, nisi habenda esset concio aut processio. *ibid. num.* 7.

62. Ut peccatum veniale vitetur, saltem in privata recitatione, recitandum videtur officium divinum hoc modo: videlicet Matutinum post occasum Solis diei præcedentis, vel post Vesperas ejusdem diei, usque ad ortum Solis sequentis. Prima ante Solis ortum, vel paulò post. Tertia aliquantum post ortum. Sexta paulò post. Nona prope prandium. Vesperæ & Completorium post prandium. Vel hoc modo: Prima cum Tertia, Sexta, & Nona, simul duabus vel tribus horis post Solis ortum, &c. est enim moderata postpositio, vel anticipatio temporis. *ibid. n.* 8. *& seq.*

63. Possunt excusari ab omni peccato, qui in Vesperis recitant Matutinum subsequentis diei, etiamsi Laudes differantur usque in sequentem diem: imò & nocturna possint separatim recitari justa concernente causa. Idem valet in Matutino juxta ritum Ambrosianum. Cavendum tamen ne Matutinum sequentis diei dicatur ante Matutinum præsentis diei absque causa. *ibid. n.* 11. *&* 12.

94. Finito Matutino privatim recitato seorsim à Laudibus, laudabile est dicere, *Benedicamus Domino*, & ea quæ in fine horarum recitari solent, nullum tamen extat ea de re præceptum. *ibid. num.* 14.

65. Matutinum pro ratione temporum, seu longitudinis & brevitatis diei aliquando recitari potest hora vigesima, vigesima prima, & aliquando vigesima secunda, id est, tribus horis post meridiem, aut duabus aut tribus horis ante Solis occasum. *ibid. num.* 17.

Ordo servandus in recitatione horarum Canonicarum.

66. Qui ordinem horarum non servat recitando, ex. gr. Primam ante Matutinum, aut Vesperas ante alias horas, peccat quidem venialiter, dum hoc facit advertenter & sine justa causa, quia non observat consuetudinem & modum præcepti, non tamen peccat mortaliter, nec tenetur repetere; imò nec venialiter dum hoc facit ex justa causa, ut dum invitatur ab amico vel à Superiore ad recitandum Primam, cum ipse nondum recitavit Matutinum; nam potest tunc cum eo Primam recitare, & postea Matutinum. Item recitans Tertiam, si recordetur se nondum recitasse Primam,

potest

potest Tertiam prosequi cum intentione recitandi postea Matutinum, vel Primam. *ibid. punct 4. num. 2. & seq.*

67. Peccatum mortale non committitur, secluso contemptu & scandalo, non solùm dum pervertitur ordo horarum Canonicarum inter se, verùm etiam dum pervertitur ordo ejusdem horæ, dicendo Psalmum ante Hymnum, aut unum Psalmum ante alium; imò si fiat ex justa causa, excusatur ab omni peccato. *ibid. num. 5.*

Qui ex oblivione dixit officium de Sancto quod dicendum erat de feria, satisfacit repetendo omissa, quamvis non repetat illa, in quibus utrumque officium convenit. Item qui aliquem Psalmum, vel aliquam horam ex oblivione omisit, non tenetur recitare totum officium, ut Psalmum vel horam suo loco dicat, sed satisfacit supplendo omissum. Item qui inter recitandum advertit se aliquid omisisse, potest prosequi usque ad finem, & posteà omissum recitare. *ibid. num. 6. & seq.*

68. Qui in choro aliquid omisit culpabiliter vel inculpabiliter, non debet omissum repetere durante officio in choro: sed potius debet illud reservare, post expletum officium, aut si pars illa parva sit, non debet de ea curare. *ibid. num. 9.*

69. Qui recitans divinum officium non amplius meminit an Psalmum antecedentem recitaverit; tenetur Psalmum repetere, nisi dubium practicè deponat. *ibid. n. 10.*

70. Celebrans Missam nondum recitato Matutino, mortaliter non peccat; imò neque venialiter justa concurrente causa; quia quod justa de causa fit, rationabiliter & prudenter fieri dicitur. *ibid. n. 11.*

Quo loco recitandæ sint horæ Canonicæ, & quo corporis habitu & situ.

71. Canonici ceterique choro deputati divinum officium in Ecclesia juxta institutionem beneficiorum & consuetudinem persolvere debent, nisi aliud cogat necessitas, consuetudo vel fundatoris institutio: qui verò ad chorum, seu ad officium in Ecclesia persolvendum deputati non sunt, divinum officium ubique recitare possunt, modo non recitent in loco indecenti, aut ubi impediatur attentio, v. g. frequenti hominum conventu, clamore, tumultu & strepitu profano. *ibid. punct. 5. num. 1. 5. & 6.*

72. Cor-

72. Consuetudine immemorabili induci potest, ut Canonici qui habent tenues reditus, non teneantur singulis diebus choro interesse. *ibid. num.* 14.

73. In privata oratione non committitur peccatum, per se loquendo. dum recitans officium sedet, dum standum, vel genuflectendum est; in publica tamen oratione facilius ineniri potest culpa stando vel sedendo dum genuflectendum est, *ibid punct.* 6 *nu.* 1 & 2.

74 Canonici cogi possunt ad recitandum officium in proprio stallo, & cum decenti habitu sub pœna amissionis distributionum. *ibid. n.* 3.

Fructus & effectus recitationis officii.

75. Ut officium nomine Ecclesiæ recitetur, opus est, ut verba proferantur cum intentione & attentione, atque ut recitans non sit evitandus; ut autem officium nomine proprio celebratum prosit ipsi recitanti quoad satisfactionē & meritum, vel etiam quoad satisfactionem aliis, opus est ut in statu gratiæ recitetur, cùm oratio facta in peccato prosit tantummodò si spectetur quatenus nomine Ecclesiæ offertur, Ecclesia supplente tunc defectum recitantis; & licet oratio peccatoris non sit meritoria de condigno, neque satisfactoria, tamen est impetratoria, quia Deus peccatores aliquando exaudit, & plurima bona confert, ut patet in Publicano. *ibid. quæst.* 4 *punct.* 1. *num.* 2. *& seq.*

76. Recitatio divini officii quoad fructum infinita est extensivè, prodestque omnibus fidelibus, si fiat ab eo qui ex Ecclesiæ præcepto vel consuetudine divinum officium recitare debet; quòd si divinum officium ex mera recitantis voluntate recitetur tamquam à persona privata, prodesse solum videtur ipsi recitanti, & iis quibus ipse officii fructum applicare intendit, instar aliarum precum quæ ex privata devotione funduntur. Dicendum ergo officiū prodesse omnibus, si recitans pro omnibus orare intendat, modò illi pro quibus orat, nondum sint in termino, ut sunt beati, sed illum assequi possint, ut sunt fideles viatores, quod facere non possunt damnati & reprobi. *ibid. punct* 2, *num.* 2 *& seq.*

77. Recitatio divini officii non prodest ex opere operato, sed operantis, quia non prodest ultra meritum Ecclesiæ cujus nomine offertur. *ibid. num.* 11.

Præ-

Prætermittens horas Canonicas quam gravitè delinquat, & ad quid teneatur.

78. Qui ad horas Canonicas recitandas tenetur, mortaliter peccat eas non recitando, aut omittendo partem illarum notabilem, v.g horam parvam, non verò tertiam partem, vel medietatem horæ parvæ. *ibid quæst. 5. punct. 1. num.*

79. Qui ratione ordinis sacri & beneficii divinum officium recitare tenetur, plura specie peccata committit contra obligationem ordinibus adnexam, alterum contra obligationem ex beneficio consurgentem: imò quilibet clericus adstrictus onere divini officii committit etiam peccatum contra specialem obedientiam: ita ut pœnitens qui divinum officium prætermittit, teneatur in confessione titulos suæ obligationis aperire, an videlicet teneretur officium ratione beneficii & ordinis recitare *ibid. num. 4 & 5.*

80. Beneficiarius aut initiatus ordine sacro prætermittens aliquo die horas Canonicas, non tot numero peccata committit, quot sunt horæ omissæ, præcisis actibus voluntatis moraliter interruptis. Dico, præcisis actibus voluntatis, &c. nam omittens divinum officium tot peccata committit, quot sunt actus moraliter interrupti. Ideò qui manè statuit non recitare divinum officium, & postea sæpius in die repetit voluntatem non recitandi; toties peccat, quot sunt actus peccaminosi voluntatis moraliter interrupti. Quodsi quis uno die divinum officium omittat absque repetitione & multiplicatione similium actuum voluntatis, & absque oppositione ad varias virtutes, ex quibus ipse tenetur recitare horas, committet unum tantummodo peccatum externum omissionis consummatum: unde omittens divinum officium, vel ipsius partem, tenetur in confessione exprimere partem quam omittit, & numerum actuum voluntatis moraliter interruptorum, quibus quis decrevit divinum officium omittere. *ibid num 6. & seq.*

81. Beneficiarii habentes onus recitandi divinum officium titulo beneficii, tenentur etiam ante sententiam judicis ad restitutionem fructuum pro rata omissionis officii, si elapsis sex mensibus post obtentam beneficii possessionem, officium culpabiliter non recitaverint, etiamsi alio die pensum prætermissum supplere conentur, nisi fortè pars omissa levis

levis sit: secus dicendum de iis qui titulo patrimonii aut alia ratione ad divinum officium recitandum nullum habentes beneficium obligantur; nam si divinum officium prætermittant, nihil restituere tenentur. Idem dic de prætermittente divinum officium inculpabiliter, ex. gr. bona fide, vel ex oblivione, aut ex legitimo impedimento; nam hic ad nullam tenetur restitutionem. *ibid, punct 2, num. 1. & seq.*

81. Qui pensum divini officii alio die persolvit, loco officii alias omissi, juxta probabiliorem sententiam, obligatur ad restitutionem. *ibid. num. 5.*

83. Confessarius non tenetur pœnitenti in satisfactionem officii prætermissi æquivalentem officii recitationem injungere, alioqui sequeretur, ei qui Missam die festo audiens prætermisit, injungendam esse novam Missæ auditionem, *ibid. num. 6.*

84. Beneficiarius qui divinum officium prætermisit post sex menses beneficii adepti, tenetur ad fructuum restitutionem etiam ante judicis sententiam pro rata officii omissi post illos sex primos menses, non vero ratione officii omissi intra primos sex menses, nisi fortè pars omissa levis sit. v. g. Psalmus, aut versiculus, &c.

Non solùm qui totum & integrum officium, verùm etiam qui partem illius notabilem prætermittit, tenetur ad restitutionem, etiamsi parti omissæ modica fructuum quantitas respondeat; imò obligandus videtur ad restitutionem, qui paucos versiculos singulis horis omittit. Et qui sæpius partem notabilem omisit, tenetur ad restitutionem, etiamsi singulis omissionibus modica fructuum quantitas respondeat. *ibid. num. 7. & seq.*

85. Qui ad chorum in choato officio accedit, non semper privatur distributionibus. *ibid. n. 12.*

86 Habens plura beneficia tenetur ad restitutionem pro rata singulorum beneficiorum, quoties divinum officium culpabiliter prætermittit. Similiter qui divinum officium recitat sine attentione, tenetur ad restitutionem non solùm fructuum, verùm etiam distributionum, *ibid. n. 16, & 17.*

87. Recitans in peccato mortali, acquirit fructus. Idem dic de recitante in excommunicatione, quidquid dicant alii Doctores *ibid. num. 18 & 19.*

88. Qui nondum finito officio choro egreditur, obligatur ad restitutionem fructuum, nisi privatim suppleat, aut habeat

habeat intentionem supplendi. *ibid. num.* 20.

89. Pensionarius qui tamquam clericus recipit fructus, parvum Beatissimæ Virginis officium omittit, tenetur ad restitutionem eo modo quo tenetur beneficiarius. *ibid. nu.*

90. Omittens divinum officium privari potest beneficio si elapsis sex mensibus adhuc officium post admonitionem recitare negligat. Ita Conc. Lateranense sub Leone X. *ibid. num.* 23.

91. Restitutio fructuum ob omissionem divini officii, facienda est eo pacto, quo à jure præscribitur: quo autem pacto præscripta sit, constat ex constitutione Pii V. videtur tamen hæc Pii V. constitutio posse moderationem aliquam recipere, ita ut beneficiarius omittens divinum officium, non teneatur ad restitutionem omnium omnino fructuum, sed solùm respondentium oneri divini officii, v. g. Parochus aut Episcopus debet restituere tertiam vel quartam partem fructuum *ibid. punct.* 3 *num.* 1. 2. & 3.

92. Restitutio fructuum ob officii omissionem facienda est fabricæ beneficii, vel pauperibus; neque necessariò facienda est in utilitatem Ecclesiæ beneficii, sed fieri potest in meliorandis agris, non tamen in fabricis aliarum Ecclesiarum, vel locorum piorum, nisi fortè illa restitutio in pauperes, etiam alterius loci, redundet. Idem fieri potest in celebrandis Missis, vel in aliis suffragiis offerendis pro defunctis, cum & ipsi sint indigentes. *ibid. punct* 4. *n*1. *& seq.*

93. Pensionarius eo pacto tenetur ad restitutionem quo beneficiarius; & beneficiarius qui novit pensionarium non recitasse divinum officium, non potest sibi pensionis fructus respondentes omissioni divini officii retinere, cum debeantur fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus; imo beneficiarius qui novit pensionarium excommunicatum, pensionem tempori excommunicationis respondentem retinere non potest; quamquam si beneficiarius sit pauper, possit sibi fructus restitutioni obnoxios titulo paupertatis retinere; modo contrarium non constet de voluntate Summi Pontificis, aut modo fructus certæ personæ non debeantur. *ibid. nu.* 5. *& seq.*

94. Beneficiarius qui divinum officium non recitavit, potest facta fructuum restitutione retinere sibi fructus, cum iterum sibi titulo donationis traduntur ab eo cui facta fuerat restitutio. Similiter distributiones quæ Canonicis interessentibus accreverunt, illisque traditæ sunt ob alterius absentiam,

sentiam, jure communi retineri possunt, si ab iisdem titulo donationis sine fraude seu collusione absenti restituantur. *ibid. num.* 10. & 11.

Causa excusantes à recitatione horarum:

95. Infirmitas gravis, ob quam pronuntiatio verborum valdè noceret valetudini corporis, excusat à recitatione divini officii. Quando dubitatur an infirmitas gravis sit aut levis, standum est judico Medici; qui si dubitet an infirmitas gravis sit aut levis, non est obligatio recitandi officium *ibid. quæst.* 6. *punct.* 1. *nu.* 1. 4. & 5.

96 Infirmus transacta infirmitate non tenetur officium omissum repetere, *ibid num.* 6.

97. Qui per se ipsum divinum officium recitare nequit, non tenetur per alium; neque tenetur alias orationes substituere, aut alium recitantem audire *ibid. nu.* 7. & 8.

98. Peregrinatio ad loca pia non eximit à privata officii recitatione, etiamsi peregrinus alium in sui locum substituerit; nam onus divini officii est personale. *ibid. num.* 9.

99. Faciliùs quis potest ab assistentia in choro quàm à privata recitatione excusari. *ibid. nu.* 3.

100. Gravis occupatio, honesta & necessaria, quæ in aliud tempus commodè differri non possit absque scandalo, vel peccato, vel detrimento sui vel proximi, (hoc titulo aliquando excusantur Concionatores, vel Confessarii) excusat ab onere divini officii; tenetur tamen gravi occupatione detentus divinum officium anticipatè persolvere, quoties occupatio anticipatam recitationem permittit. Et beneficiarius aliusve divini officii onere detentus, non potest sine justa & rationabili causa voluntariè suscipere negotium cum officii recitatione incompossibile; modò non adsit gravis aliqua necessitas, seu modo actio suscepta non putetur hic & nunc majus bonum *ibid punct.* 2. *nu* 1. & *seq.*

101. Impotentia (qualis est carentia inculpabilis Breviarii, aut impotentia loquendi,) excusat à recitatione divini officii, servatis impotentiæ terminis & limitibus: propterea cœcus aliusve simili defectu obstrictus divinum officium recitare non tenetur, dum ob cœcitatem officium recitare nequit. Idem aliqui censent, etiamsi aliquam partem recitare valeat, non verò totum officium, aut integram horam: sed

sed contrarium probabilius videtur. *ibid. num. 4 & seq.*

102. Qui divinum officium sine ope socii recitare non potest, tenetur illum adhibere, modo commodè adhiberi possit, & non sit surdus; imò beneficiarius debet illum pecunia conducere, dum illius opera gratis non conceditur, si reditus sufficientes habeat. *ibid. num. 8.*

103. Qui choro interesse debet, & potest, tenetur interesse, etiamsi surdaster sit. Item cæcus choro deputatus satisfaciet muneri chori, recitando partem quam memoriter tenet; & quam cum aliis recitare potest. Præterea cæcus ex defectu memoriæ nihil discere potest, tenetur audire officium omnia dicentem, & cum eo dicere versus ad se pertinentes, si commodè potest *ibid. num. 12 & seq.*

104. Infans, cui facta fuit beneficii aut sacrorum ordinum collatio ante rationis usum, non tenetur ad horas Canonicas; imò neque in adolescentia, nisi ordinis susceptionem ratificaverit, postquam ad rationis usum pervenit. *ibid. n. 16.*

105. Dispensatio Summi Pontificis etiam concessa sine causa; carentia fructuum, quando scilicet beneficiarius non percipit, nec percepturus est fructus beneficii per se, aut per alium; ignorantia probabilis legis, naturalis oblivio, seu inadvertentia, excusant omissionem divini officii. Addi potest etiam pro causa excusante, metus gravis incommodi. *ibid. punct. 3. num. 1. 3. 6. 8. 9 & 12.*

106. Qui ordinem sacrum vel beneficium habet, tenetur ea parare quæ ad officium recitandum necessaria sunt, alioquin peccat exponens se periculo faciendi contra proprium officium. *ibid. num. 10.*

107. Dubitans an Psalmum, Antiphonam, vel quid simile recitaverit, non tenetur iterum recitare, quia via infinitis scrupulis aperiretur, & semel repetita sæpius repeteretur. *ibid. num. 12.*

An extet obligatio recitandi officium in choro.

108. Clerici Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum obligantur ad officium in choro singulis diebus persolvendum, nisi aliud ferat consuetudo vel Ecclesiæ institutio: fieri enim potest, ut ex beneficiorum institutione Canonici non teneantur singulis diebus interesse. Idem valet in casu necessitatis. *ibid. disp. 2. quæst. 1. punct. 1. num. 2. 3. & 6.*

109. Cle-

109. Clerici Ecclesiarum non Collegiatarum, absolute loquendo, non tenentur officium in choro canere, licet cantare possint, quia de his non extat in jure obligatio. *ibid. n. 7.*

110. Religiosi choro deputati tenentur quoque officium juxta proprias religionis suæ regulas & institutiones in choro canere: strictius tamen tenentur beneficiarii ad officium in choro celebrandum quàm religiosi, quia beneficiarii tenentur ex officio, consequenter ex justitia, quæ ex suo genere obligat sub mortali, religiosi vero tenentur solùm ex vi regulæ. *ibid. n* 9. & 10.

111. Quæsitum fuit ab eximio D Bonacina, an liceret in Ecclesia S. Mariæ trans Tiberim Canonicis singulis annis eadem die, qua miraculosa quædam Beatissimæ Virginis imago manifestata fuit, recitare integrum Beatissimæ Virginis officium, acceptis lectionibus ex aliis officiis, quæ alias in anno celebrari consueverunt? Et respondit præfatus dominus Doctor, licere. *ibid. n.* 12.

112. Qui ultra tempus à Concilio permissum à choro notabiliter absunt, mortaliter per se loquendo, peccant, cum faciant contra justitiam, id est, contra officium: excusari tamen possunt si absint justa de causa. Similiter peccat per se graviter, qui abest frequenter à Capitulis, seu legitimis Congregationibus capitularibus; nisi etiam legitima de causa absit. Canonicus vocatus ad Capitulum tempore divino-rum, debet potius divinis interesse, nisi aliud cogat necessitas. *ibi. punct. 2. num* 1 & *seq.*

113. Licitus est cantus, & usus instrumentorum musicorum non solùm in publica, verùm etiam in privata officii recitatione, præciso tamen scandalo, aliisque circumstantiis extrinsecis *ibid. punct. 3. num.* 1. & *seq.*

114. Canonici aliique choro deputati, tenentur divinum officium canendo, & alta voce recitando persolvere, juxta Ecclesiæ usum & consuetudinem: quamquam legitima consuetudine præsertim immemorabili induci potest, ut quis per alium chori assistat, & munus chori obeat, maximè si ille alius sit ejusdem Ecclesiæ. *ibid. n. 5. & punct. 5. n.* 1.

115. Circa conditiones requisitas in eo qui ad distributiones admitti cupit, vide verb. *Distributiones.*

ADDITIO.

Oleum.

Oleum non sacrum additum sacro fit sacrum, modò quantitas non sit minor, vel certè non sit notabiliter major. Vide Sylv. *verbo Aqua benedicta quæst.* 3. Oleum paulatim, & in minori quantitate miscendum esse, ait Coron. 4. *extr. unction. nu.* 7. non fieri benedictum ait, additum oleum, nisi ad invicem fiat identificatio, id est, nisi omnes minimæ partes se contingant. Vid. text. & gl. *cap. quod in dubiis, de consecr. Eccles. vel altar.*

Oleo chrismatis potest æger de licentia Episcopi ungi. Vide Innocent. *l. ep. 1.*

Opinio.

Vide v. *Dubium.*

Opinio est assensus cum formidine de oppositio.

Quæres: An confessario inter duas opiniones probabiles liceat sequi minus probabilem. Cajet. & Sylv. *in v. opinio*, & Sot. *l. 3. de jure & just. quæst. 6. art. 3.* docent, eam tantum sequendam, quæ judicio DD. probabilior est, alioqui non fore tutum in conscientia. Ratio Cajet. est, quia qui sequitur opinionem minus probabilem, cum sequatur regulam dubiam & incertam, exponit se periculo errandi. Nota primò, non agi hic de opinionibus speculativis, sed de practicis tantum & moralibus: & quatenus non in scholis exercitii causa tractantur, sed quatenus extra illas executioni mandantur. Nota secundò, aliud est, esse probabiliorem opinionem, & aliud, esse tutiorem. Resp. ergo cum Nav. *cap. 27 nu. 180 & 288.* Fum. *in v. opinio*, & aliis, Confessarium posse eligere minus probabilem sententiam, relicta probabiliori, modo judicet eam esse veram; nam si falsam judicaret, ageret contra conscientiam. Prob. primò. Quia confessarius, ut ipse Soto fatetur, relicta sua opinione probabiliore, potest, & aliquando tenetur sequi opinionem pœnitentis probabilem; ergo & potest eam sequi opinionem probabilem, quam ipse probabilem putat & veram; secundo, si probabilior

semper

semper sequenda esset, id esset, quia magis videtur inclinare in veritatem, vel quia esset securior. Hæc Busæus.

Quæres: Quæ opinio dicatur probabilis & tuta. Resp. Opinionem illam ordinariè probabilem esse, quæ à multis gravibus & peritis viris defenditur, & veris fundamentis, & firmis rationibus nititur, quibus argumenta contraria facile diluantur, etiamsi opposita habeat plures auctores, & optimas etiam argumenta. Dixi *ordinariè*. quia aliquando est probabilis sententia; quæ unius quidem vel alterius auctoritate nititur, sed rationibus tam claris ac solidis, ut recta ratio dictet, hos verum attigisse: & praxis ipsa hoc verum esse confirmat, nam nullus est celebris novus Doctor, qui non novas aliquas habeat opiniones, quæ antiquioribus jam sint probabiliores. Busæus.

Quæres: Liceatne opinionem sequi duorum aut trium Doctorum, relicta communi. Resp. Licere aliquando. Ratio, quia tam firmis potest niti fundamentis, ut recta ratio dictet, hos paucos potius attigisse veritatem, quam plures. Inde apud Rosell. Sylv. & Angl. in *v. opinio*. Panorm. dicit, inter plures opiniones eam sequendam, quæ meliori nititur ratione. Resp. 2. licitum esse, aliquando sequi unius celebris Doct. opinionem, relicta communi, in casu aliquo particulari. Resp. 3. Semper licere sequi opinionem celebris Doctoris, quando non pugnat cum communi sententia DD. Et Canonistæ dicunt, ut habet Sylv Rosel. Angl. quando cum gloss. in jure est aliquis plenius, vel classicus Doctor, licitum esse sequi ejus opinionem, etiamsi cum communi pugnet; imo dicunt, hoc ipso, quod cum gloss' aliquis consentiat, opinionem esse communem, ut habet Sylv. Hæc Busæus.

Quæres: An liceat sequi opinionem propriam, relicta communi Resp cum Sylv. Angl. Rosell. ordinariè non licere, nisi quando valde firma & certa ratio oppositum suadeat, & evincat, qualis ratio non facilè excogitari potest, nisi ab hominibus ingeniosissimis. Busæus.

Quæres: An liceat sequi opinionem recentiorum, relicta antiquorum, & opinionem Scholasticorum, relicta opinione SS. Patrum; & denique Canonistarum, relicta Theologorum. Resp. 1. cum Sylv. & Angl. ordinariè quidem sequendam opinionem antiquorum, eo quod temporis diuturnitas videatur eis reconciliasse aliquam auctoritatem, quia tamen, inquiunt, intellectus recentiorum aliquando est perspica-

spicacior, sequenda potius ipsorum auctoritas, quàm aliquorum. Resp. 2. Licere etiam aliquando sequi opinionem Scholasticorum, relicta opinione communi SS. Patrum. Resp. 3. etiam aliquando licere sequi opinionem Canonistarum, relicta opinione Theologorum. Busæus.

Oratio, Orare.

Vide v. *Officium divinum.*

Quælibet natura rationalis orare potest, quia oratio est quædam locutio seu petitio, qua cum subjectione petitur a superiore quod desideratur; & defectu hujus subjectionis oratio activa nulli personæ divinæ convenit, quia Deus superiorem non agnoscit, à quo aliquid cum subjectione petere possit: convenit tamen oratio Christo secundum humanam naturam considerato. Item convenit Angelis, qui sunt naturæ rationales superiorem habentes; & Sanctis in cælo existentibus, qui non solum pro nobis, verum etiam pro se ipsis orare possunt, petendo ea quæ pertinent ad beatitudinem ipsorum accidentalem, ut revelationes aliquarum rerum quas ignorant, felicitatem suorum corporum, &c. Similiter viatoribus, utpote naturis rationalibus, convèniens est oratio, etiamsi peccatis obstricti sint: fieri enim potest ut media oratione exaudiantur & convertantur: & etiam animabus in Purgatorio existentibus, quæ non solùm possunt orare pro se ipsis petendo ut ab igne liberentur, sed etiam pro viatoribus, quia in statu gratiæ existunt, & fieri potest ut intuitu petitionis ipsarum Deus viatoribus bona conferat: singuli fideles postquam ad rationis usum pervenerunt, tenentur ad orationem jure divino naturali & etiam ex præcepto religionis, aut aliarum virtutum, aliquoties in vita, v. g in articulo mortis, & quando tentationes ingruunt cum periculo succumbedi *tom* 1 *De iis, quæ ad privatam Divini Officii recitationem pertinent, disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 1. *& seq.*

ADDITIO.

Qui orat ex obligatione, tenetur attendere, alioquin non satisfacit Fum. *Oratio* 1. Nav. *cap.* 25. *num* 97. 105. 107. Vide Tol. *l* 2. *c.* 13 *num.* 9.

Non

Non peccat, qui pro propria morte orat, aut pro aliena, ad vitandum peccatum. Collige ex iis, quæ docet Nav. *c.* 15. *n.* 10. de aliena morte optanda.

Oratio peccatoris & temporalia impetrat, & dispositio-nem ad gratiam, non tamen ex justitia, sed ex pura Dei misericordia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 16. Palud *in* 4. *dist.* 15. *concl.* 4. Gabr. *lect.* 63. *super Canones.* Navar. *de orat. cap.* 20. *num.* 76.

Ordo.

Vide v. *Clericus*, *Matrimonium*, *Sacramentum*.

1. Ordo est sacramentum, quo specialis potestas traditur ad conficiendum corpus & sanguinem Christi. Ordines sunt septem: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. De Episcopatu, an sit ordo, gravis est difficultas inter Doctores; dicendum videtur non esse ordinem propriè distinctum à Sacerdotio; & hinc sequitur Episcopatum non posse validè conferri alicui non Sacerdoti, vel infanti: cùm Episcopatus non sit ordo distinctus ab ordine sacerdotali, sed illum extendat & supponat. Similiter Archiepiscopatus & Papatus non sunt propriè ordines; neque prima tonsura, per illam enim non datur aliqua potestas specialis ad conficiendam Eucharistiam, sed est tantum dispositio ad ordines. *tom.* 1. *de Sacramento Ordinis*, *disp.* 8. *quæst. unic. punct.* 1. *num.* 1. *& seq.*

2. Sacramentum ordinis fuit institutum in ultima cœna Luc. 22 *Hoc facite in meam commemorationem ibid. n.* 7.

3. Non solum ordo sacerdotalis, verum etiam alii singuli sunt sacramenta. Ita Trident. *sess.* 23. *cap.* 3. *ibid punct.* 2. *num.* 2.

4. Materia remota sacramenti ordinis est res illa quæ traditur suscipienti ordines scilicet calix cum vino, & patena cum hostia: materia proxima est traditio materiæ remotæ. Validè tamen confertur ordo sacerdotalis, si ex oblivione tradatur vas cum una tantum specie.

Materia { Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus, Episcopatus } est { Liber Evangeliorum. Calix vacuus patena. Traditio urceolorum. Liber exorcismorum. Liber lectionum Cymbalum & claves. Impositio manuum. *ibid. punct. num. 1. & seq.*

5. Contactus materiæ ita est de essentia, ut non censeatur ordinatus, qui materiam realiter & physicè non contigit, ut fit in Baptismo, &c. Non est tamen necesse tangere materiam, dum verba proferuntur simultate mathematica, sed morali. *ibid. num. 11. & 12.*

6. Forma sacramenti ordinis sunt verba quæ ab Episcopo proferuntur imperativo modo cum expressione potestatis quæ confertur: hæc forma substantialiter variari nequit. *ibid. num. 13 & 14.*

7. Forma sacramenti ordinis adhibetur imperativo modo, quia per illam constituitur minister & persona publica. *ibid. num. 15.*

8. Episcopus proferens formam, debet etiam exhibere materiam tangendam. *ibid num. 16.*

9. Valet ordinatio, quando plures initiantur ordine sacerdotali, & Episcopus prolata semel unica forma in plurali, præbet materiam pluribus successivè tangendam, quia materia & forma censentur esse simul moraliter. *ibid. nu. 17.*

Ordinis minister.

11. Ordinarius minister sacramenti ordinis est proprius Episcopus, possunt tamen ordines, saltem minores, conferri ab aliis ex facultate Summi Pontificis; modo ii sint Sacerdotes: nullus enim, licet Episcopus, non Sacerdos, potest valide

validè ordines conferre. *Ibid. punct. 4. num. 1. 3. & 5.*

12. Episcopus non potest subditis alterius sine licentia proprii Episcopi ordines conferre. Per proprium Episcopum intelligè Episcopum originis, vel domicilii, vel beneficii. *Ibid. n. 7. & 8.*

13. Episcopus domicilii est Episcopus loci, in quo quis habitat actu, & animo manendi; ut excludantur scholares, milites & alii qui in civitatibus habitant, sed non animo manendi. *Ibid. n. 9. & 10.*

14. Episcopus originis est Episcopus loci, in cujus diœcesi natus est non fortuitò is, qui ordinandus est, & in quo parentes habent domicilium. *Ibid. n. 13.*

15. Episcopus beneficii est Episcopus loci, in quo quis habet beneficium, præsertim residentiale, quamvis tenue, licet fortè non resideat ex dispensatione. *Ibid. n. 14.*

16. Observa tamen, Episcopum ordinarium, & non Titularem, posse ex privilegio Tridentini *sess. 23. c. 9.* conferre omnes ordines suo familiari non subdito, qui per triennium commoratus sit cum Episcopo; ad titulum patrimonii, vel pensionis; etiamsi triennium inceperit antequam esset Episcopus. Limita tamen hanc doctrinam, modo adstiterit præsens ipsi Episcopo circa ipsius obsequia; nam Episcopus non potest sine nosse mores absentis. *Ibid. num. 15 & seq.*

17. Episcopus non solum potest per seipsum ordines conferre, verum etiam potest facultatem conferendi alteri Episcopo concedere, concedendo litteras commendatitias & dimissorias, quæ non extinguuntur morte concedentis *Ib. n. 21. & 22.*

18. Capitulum potest Sede vacante litteras dimissorias concedere in duobus casibus, quando Episcopatus vacavit per annum, & quando quis est arctatus, v. g. perderet beneficium receptum vel recipiendum, si tunc temporis non promoveretur ad ordines. Et licet Capitulum extra hos casus nequeat concedere dimissorias, potest tamen dare testimoniales. *Ibid. num. 23. & 25.*

19. Accipiens ordines ab alieno Episcopo absque Summi Pontificis auctoritate, aut dimissoris sui ordinarii, incurrit pœnam suspensionis, & ordinatio est irrita quoad executionem: quæ suspensio potest ab Episcopo auferri ex Trident. *sess. 24. c. 6.* Et hæc suspensio extenditur etiam ad conferentem & recipientem primam tonsuram. *Ibid. n. 26. & 27.*

20. Obtinens à Summo Pontifice privilegium, quo possit quolibet Episcopo ordinari, non indiget novis litteris dimissoriis, sed testimonialibus proprii ordinarii de vita & moribus *Ibid. n* 28.

21. Episcopus qui in aliena diœcesi cum licentia confert ordines, potest ordinare tantum suos subditos, & subditos illius diœceseos in qua confert ordines. Limita, nisi ordinet habentes litteras dimissorias cujuscumque sint diœcesis. *Ibid. n* 29.

22. Episcopus qui confert primam tonsuram alieno subdito sine licentia sui ordinarii, incurrit suspensionem. Item & qui furtivè suscipit ordines, *Ib. n.* 30. *&* 31.

23. Excommunicatio ab Episcopo lata in accedentes furtivè contra ipsius prohibitionem ad ordines, non solùm cadit in subditos ipsius Episcopi, verum etiam in exemptos: nam ordinandi quatenus ordinandi, videntur ordinario subditi. *ibid. nu.* 32 *&* 33.

24. Episcopus examini subjicere non tenetur ordinandum, qui ad ipsum accedit cum dimissoriis, modo sciat ipsum non esse indignum ut promoveatur. *Ibid. num.* 34.

Ordinis subiectum.

25. Omnis masculus baptizatus est subjectum capax ordinis, quamvis sit infans carens usu rationis, aut insanus, aut hæreticus. *Ibid punct* 5. *num.* 1.

26. Initiatus ordine sacro antequam ad rationis usum pervenerit, non tenetur vi voti ad servandam castitatem, postquam pervenerit ad usum rationis, nisi tunc votum ratificaverit *Ibid. num.* 2.

27. Pueris usu rationis carentibus validè conferri possunt ordines, etiamsi illos numquam expetierint: illis verò qui post usum rationis inciderunt in amentiam, nec prius expetierunt, non item. *Ibid. num.* 3.

28. Episcopatus videtur validè conferri posse ante rationis usum. *Ib n* 4.

29. Feminæ ordinari non possunt, sicut nec hermaphroditus, nisi prævaleat sexus virilis. *Ib. n.* 5 *&* 6.

30. Ad validam ordinum susceptionem diversæ conditiones requiruntur. Primò ut suscipiens sit baptizatus. Secundo, ut sit confirmatus, ut patet ex Trident. *sess.* 23. quamquam validè, sed non licitè conferri possit sacramentum ordinis non con-

confirmato. Tertio, ut susceпturus ordines, initiatus sit prima tonsura, valida tamen est ordinatio ante primam tonsuram. Quarto, ut sit in legitima ætate, id est, sit saltem septem annorum completorum ad primam tonsuram & minores ordines; ad Subdiaconatum viginti duorum inchoatorum; ad Diaconatum viginti trium inchoatorum, ad Presbyteratum viginti quinque, etiamsi per medium tantum diem inchoati sint. Initiari ordine sacro mala fide ante legitimam ætatem, afficiuntur suspensione, donec absolvantur. Dies bissextilis computandus est pro ætate legitima, quam jura in promovendis ad ordines requirunt. Quinto, ut ordinandus habeat scientiam sufficientem ad usum uniuscujusq; ordinis. Sexto, testimonia morum. Septimo, titulum sufficientem: nam recipiens sacros ordines absq; ullo titulo, suspenditur ab executione ordinum ex *cap. neminem, dist.* 70. Idem dicendum de ordinato cum pacto non petendi sustentationem, vel quid aliud ab ordinante vel præsentante; aut ficto matrimonio *Ibid. num.* 7. *& seq.*

31. Subdiaconus ordinatus sine titulo, & obtenta suspensionis absolutione, iterum incurrit suspensionem, si ad Diaconatum vel Sacerdotium sine novo titulo promoveatur. *Ibid. num* 22.

32 Ordinatus sine titulo, duplicem incurrit suspensionem, si ficto titulo litteras dimissorias obtinuit, incurritque irregularitatem exercendo functiones ordinis antequam absolvatur. *Ibid. n.* 23. *&* 24.

33. Ordinatus cum vero patrimonio, non incurrit suspensionem si suscepto sacro ordine patrimonium retrodonet & renuntiet: hic enim non dicitur suscipere ordines sine titulo, cum illa renuntiatio & retrodonatio irrita sit, ex Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *ibid. num.* 25.

34. Ordines suscipiens assignato sibi patrimonio cum pacto restituendi patrimonium donatario, seu non petendi quidquam, aut non fruendi bonis donatis, non videtur affici suspensione, modo non restituat ante ordinationem, & non mierit hoc pacto cum ordinante, vel præsentante ad ordines *Ibid. num.* 26.

35. Ordines minores suscipiens sine titulo non ligatur suspensione: sicuti nec is qui ordinatus est ad titulum patrimonii, vel pensionis. *Ibid. n.* 27. *&* 28.

36. Ordinatus ad titulum beneficii quod actu non possidet, sed solum in potentia, incurrit suspensionem. secus probabi-

babiliter dici posse videtur de eo, qui beneficii collationem obtinuit, sed ejus possessionem nondum cepit. *Ibid n.* 29.

37. Coadjutor cum futura successione, incurrit suspensionem suscipiendo sacros ordines absque alio titulo. *Ib. n.* 30

38. Titulus ad quem aliquis ordinari potest, triplex est: videlicet beneficii Ecclesiastici, patrimonii seu pensionis, & professionis in religione. *Patrimonii* nomine intelligitur bona immobilia propria arte vel hereditate, quam donatione acquisita, modo donatio sit vera, & non ficta *Ibid. nu* 31. & 32

39. Patrimonium alicui assignans hoc pacto, ut ordinatus illud restituat adepto beneficio, non videtur graviter peccare, ad id tamen requiritur consensus Episcopi *Ibid. n.* 33.

40 Ordinatus ad titulum patrimonii, ligatur suspensione, si ære alieno ita gravatus sit, ut solutis debitis non remaneant illi bona ad titulum sufficientia, & patrimonium ad cujus titulum promoverur, hypothecæ subjectum sit pro debito; sit enim non habet legitimum titulum *ibid. n.* 34.

41. Ordines suscipi non possunt ad titulum cujuslibet beneficii, pensionis, vel patrimonii; sed requiritur sufficiens ad sustentationem. *Ibid. n* 37.

42. Ordines suscipi non possunt sub titulo doctoratus, literaturæ, vel alicujus gradus; ut patet ex supra dictis. *Ib. n.* 36.

43. Ordines suscipi possunt ad titulum conflatum ex beneficio & patrimonio simul, quando alterum eorum non est sufficiens ad sustentationem. *Ibid. num* 39.

44 Titulus ad quem aliquis ordinatur, perpetuus esse debet; neque alienari potest absque licentia Episcopi, etiam obtento beneficio *Ibid. n.* 40. & 41.

45. Vicaria temporalis, aut beneficium manuale, non est sufficiens titulus ad quem aliquis promoveri possit. *Ib. n* 42.

46. Ordinans religiosum nondum professum vel alienum absque titulo, suspenditur per annum à collatione talis ordinis. *Ibid. n.* 43.

47. Episcopus non tenetur eum alere, quem sine titulo ad sacros ordines promovit, si ordinatus patrimonium habeat quo se valeat sustentare; secus dicendum si eum ordinavit sub titulo beneficii quod ei mala fide contulerat, & beneficium postea evictum fuit *Ibid. n.* 44 & 45.

48 Ordinatus sine titulo de licentia proprii Episcopi, alendus est ab eo qui licentiam dedit promovendi eum in particulari, & mortuo Episcopo ordinante, alendus est à successore. *Ibid. n.* 46. & 47.

49. Ab-

49. Absolutio suspensionis contractæ suscipiendo ordines absque titulo, impendi potest ab Episcopo, si ordinatus non fecerit pactum cum ordinante vel præsentante non petendi quidquam: nam tunc absolutio conferenda est à Papa, nisi fortè delictum esset occultum: nam in occulto dispensat Episcopus post Tridentinum, *sess. 24. c. 6 de reformat. ib. n. 48.*

50. Confessarius generalem habens facultatem absolvendi à censuris, valide potest absolvere à suspensione contracta ob defectum tituli, vel ob malam ordinum susceptionem. *Ibid. num. 49.*

51. Interstitia in ordinibus servanda sunt, id est, annus computandus moraliter inter susceptionem cujusque ordinis non solùm majoris, verum etiam minoris, nisi aliter Episcopo expedire visum fuerit: qui dispensat etiam respectu religiosorum ob causam attestatione Superiorum sibi manifestatam. *Ibid. num. 50 & seq.*

52 Suscipiens ordines non servatis interstitiis, nullam incurrit censuram, vel irregularitatem, cùm non sit in jure expressa *Ibid num. 53.*

53. Irregularis non potest ad ordines promoveri; (consequenter arcentur ab illis, spurius, carentes debita membrorum integritate, &c.) neque irretitus aliqua censura, præsertim excommunicatione. *Ibid. num. 55 & 56.*

54 In adulto suscipiente ordines requiritur intentio: at in carentibus usu rationis sufficere videtur intentio Ecclesiæ. *Ibid num. 57.*

55. Ordinatus per metum validè recipit ordines: nam cum involuntario mixto subsistit intentio sufficiens: secus dicendum si recipiat ordines per vim absolutam. *Ib. n 58. & 59.*

56 Debet præterea is, qui ordinatur, esse in gratia per contritionem. *Ibid. n 60.*

57. Sex vestibus indui debet Sacerdos qui ad sacram ordinationem accedit, aut Missæ sacrum facit, alba videlicet, cingulo, amictu, manipulo, stola & casula, qui numerus est senarius, ad indicandum hujus orbis creationem sex diebus factam: & redemptionem, quæ sexta ætate contigit *Ib. n 62.*

58. Prima tonsura conferri potest quolibet die, ut constat ex generali consuetudine Ecclesiæ: ordines verò conferendi sunt in Sabbatis quatuor Temporum, vel in Sabbato ante Dominicam Passionis, vel in Sabbato sancto tempore Missæ. Ut dispensetur in interstitiis, requiritur Ecclesiæ utilitas & necessi-

tas

tas, non extraordinaria, aut publica. *Ibid punct.6 num.1.&*

59. Effectus Sacramenti ordinis est gratia habitualis, & character, ex Trident. *sess* 23. *c.*4. *ibid.n.*3.

ADDITIO.

An omnes ordines sint sacramenta, non convenit inter scholasticos Doctores, quos tamen Emm. Sa omnes esse putat, vid. Sot, *d.*24 *qu* 1 *art.*4. Val. *d.*9. *qu.*1. *p.*4. Syl *ordo.*1, *num.* 1.2. Navar. *cap.*22 *num.*18. Cum Sa consentit etiam Pet. à Sot. *l.*4. *de ord* Bellarm. *lib.*1. *de ord. c.*2.6.7. vid. *c. cler.* Val *l.*

Cùm dubitatur, num aliquid essentiale omissum sit, omnia sunt iteranda, aliquin solùm id quod omissum est; nec prius ordine utendum Fum 8. Syl 10. 11. *l. c.*

Ordines non dantur post prandium, nec ordo sacer sine Missa, vid. Syl. *l c.*

Episcopus non potest dispensare super ætate ad ordines.

Ordinatio per vim non tenet, per metum tenet, sed non obligat, si sit metus grandis, ad castitatem, nec ad officium, Sot *d.*25. *q.*1. *art.*2. Majol. *lib.*4 *cap.*16. *de irregul.*

ADDITIO.

Ornatus.

Ornari potest femina ad tegendam turpitudinem: quod si fiat ad vanitatem, ad fingendam pulchritudinem, mortale non est, etiam in religiosa, si moderatè se ornat. Navar. *c.*23. *n.* 18. Quod si quis alius inde sumat occasionem peccandi mortaliter, tunc mortale esse quidam aiunt, sed melius alii negant. Navar *c.*23 *n.*23. Illud verum, si in eo expendatur quod esset necessario dandum pauperibus, peccari mortaliter. De Ornatu D. Thom. 2.2 *q.*169. *art* 2. & Cajet. *ibid.* Nav. *ca.*23. *nu.*10. Cajet *vers. ornatus. Quidam ajunt*) Sylv. *ornatus num.*4. *Sed melius,*) Cajet. *l. c.* Nav. *c* 14. *num.*37. *Illud* Syl. *l. c. n* 5.

Feminam nudum pectus gestare, sine mala intentione, quidam negant. Emm. Sa talem difficilè absolvendam putat, Cajet. *v. ornatus, c.*4. & 2.2. *q* 1. *art.*2.

Mulier diaphana veste ita utens, ut nuda videatur, lethali crimine se obstringit, Cajet. *l. c.*

Oscu-

Oscula, tactus, turpiloquium, & aspectus.

Vide v. *Matrimoniam.*

1 Oscula & amplexus licite fiunt, quando fiunt causa amicitiæ secundum consuetudinem patriæ. Imò delectatio ex ipsis sequens non est illicita, modo non sit periculum consensus in motus sensualitatis inde consurgentes. Unde qui osculatur consanguineam animo fruendi delectatione venerea, peccat mortaliter peccato incestus. Dicendum ergo, oscula, tactus & amplexus qui fiunt causa delectationis sensus quæ percipitur in ipsis, esse peccatum mortale, nisi fiant inter conjuges, in iis enim excusantur, modo non adsit periculum pollutionis extra vas. Similiter sunt illiciti si fiant inter eos qui non sunt sponsi. Imò illicitum est tangere propria pudenda cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis: secus dicendum si adsit justa causa, ut v. g. medendi, nam tunc licitum est tangere non solùm propria, sed & aliorum. *tom* 1. *De iis, quæ pertinent ad usum matrimonii, quæst* 4. *punct.* 9. *n.* 1 *& seq.*

2. Femina mortaliter peccat, quando adnuit se ab alio libidinosè tangi, & se non retrahit, vel non impedit contactum. *Ibid, num* 10.

3. Levis tactus manuum, vel pedum feminæ, aut vellicatio aut digitorum intorsio non videtur facilè excusandus à peccato, cùm hæc materia sit valde periculosa & lubrica. *Ibid n.* 11

4. Aspectus feminæ vel aliarum personarum ob curiositatem pulchritudinis, non est peccatum mortale, etsi fiat propter delectationem, modo non adsit periculū luxuriæ *Ib. n.* 13.

5 Cernere concubitum viri cum femina, etiamsi fiat ex sola curiositate, est peccatum mortale. *Ib num.* 14

6. Circumstantia personæ, circa quam habita fuit delectatio moralis in aspiciendo, aperienda est in confessione; est enim ejusdem malitiæ cujus esset actus consummatus. *Ib n.* 16.

7. Graviter peccat puella, quæ data opera se præbet conspiciendam adolescenti, à quo se credit turpiter concupisceadam. *Ibid. num.* 17.

8. Turpiloquium si fiat animo oblectandi se rebus ipsis turpibus narratis & objectis imaginationi, est peccatum mortale, & veniale tantum, si fiat absque alia prava intentione, & absque venereo affectu. *Ibid. num.* 18. 9. In-

9. Interesse comœdiis turpia repræsentantibus est peccatum mortale, si ex rebus turpibus narratis capiatur delectatio aut immineat periculum delectationis. Et clerici assistentes comœdiis secluso scandalo vel alio peccato, non peccant quidem mortaliter, est tamen illis prohibitum interesse, *extrav. 2 de vita & honestate cleric. Ib. n. 21. & 22.*

10. Componentes & repræsentantes comœdias continentes res valdè turpes & libidinosas, peccant mortaliter, quia dant causam ruinæ proximi, quamvis illam non intendant. *Ibid. n. 23.*

11. Choreæ ex se non sunt illicitæ, nisi illicitæ reddantur ex aliqua circumstantia peccaminosa. *Ibid. num. 24.*

12. Fucans faciem etiam absque rationabili causa, non peccat mortaliter, nisi hoc faciat ex fine moraliter malo. Idem dicendum de utente alienis capillis, aut vestibus pretiosis, &c. *Ibid. n. 26.*

ADDITIO.

Quæres, an oscula, tactus, amplexus, choreæ, aspectus feminarum, secundum se sint peccata. Resp. 1. secundùm se non esse peccata, quia sæpè sunt symbola charitatis, pacis, benevolentiæ, non solùm secundùm mores quarumdam nationum ac gentium, ut in Belgio, sed etiam secundùm usum Ecclesiæ Romanæ, in mysteriis sacris, & primorum Christianorum, ut liquet ex epist. Pauli. Unde sequitur, nec delectationes, quæ hujusmodi actus honestos sequuntur, esse illicitas. Resp. 2. idem actus tantum existant in delectatione quæ sensu percipitur, tangendo, osculando, &c. sine ullo alio fine, non committi aliquod peccatum, nisi forte veniale quando plus æquo quæritur illa delectatio carnalis.

Resp. 3. Eosdem actus multis modis posse fieri peccata mortalia; primus est, si exerceantur ad excitandam pollutionem nocturnam; 2. si ad excitandam copulam carnalem illicitam; 3. si ad oblectandum se formaliter in copulatione, vel pollutione illicita, etiam cogitatu tantùm. 4. Si usurpentur, quoties probabile est periculum consentiendi libidini. 5. Si fiant in corporis partibus, quas natura contexit, & si litteræ, vel munuscula amatoria mittantur, vel si choreæ instituantur, ad excitandum turpem amorem. Busæus.

Quæres: quid faciendum cum his, qui in fornicationes tur-

turpes contactus, &c. sæpius recidunt, eo quod domi occasiones habeant, an tales absolvi possint, antequam peccati occasio sit remota.

Resp. Si occasiones illæ sunt veniales, ut quarumdam choreārum, colloquiorum vanorum, & amplexuum, posse eos absolvi semper, etsi non proponatur in posterum cavere illas occasiones.

Resp. 2. Si occasiones illæ peccandi sunt moraliter remotæ, & generales tantùm, posse etiam eos absolvi, antequam peccandi occasio amoveatur, modo duo observent.

1. Doleant de lapsu, 2. proponant firmiter, cùm occasio se obtulerit non consensuros. Resp. 3. si occasiones peccandi moraliter sunt proximæ & tolli posse videantur sine scandalo, infamia, & magno incommodo, non posse dari absolutionem; si verò aliquo modo possint tolli post 3. vel 4. impartitā absolutionem, deinceps absolutionē esse differendam, donec occasio ablata sit; si verò occasiones illæ nullo modo tolli posse videantur, posse quidem absolvi, si adsint duæ conditiones allatæ id deinceps tollendi. Deinde aliquando sociis criminis dicant sibi negandam absolutionem, nisi abstineant. Suar. *l.* 3. *man.* Rusæus.

P.

Pallium.

PAllio, quo significatur plenitudo officii Pontificalis, utitur Archiepiscopus, in Missa solemni, in provincia, non autem extra Ecclesiam, ut in processionibus, aut aliis, nec id potest alteri commodare. Syl. *v. pallium c. pallium d.* 100.

Antequam pallium accipiat, non debet ordinare, aut consecrare, nec Ecclesiam dedicare, nec concilium vocare, Syl. *l. c.* vid. Cucum. *l.* 1. *Inst. canon.*

Debet cum eo sepeliri, Syl *l. c.*

ADDITIO.

Papa.

Nulla excommunicatio aut censura impedit Papæ electionem. *Ex Pio V.*

Tractans de eligendo Papa, Papa vivente, est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata. *Ex Paulo IV.*

Papæ subditur omnis potestas, etiam sæcularis, quatenus exigit salus animarum, vid. Sot *d.* 25 *q.* 2. *art* 1. Alb. Pigh. *hierarch. Eccl.* Sander. *l.* 2. *c.* 2 *de visib monarch.* Nav. *in c. vit. de ind. not.* 3. Dried *l.* 1 *de lib. Eccles.* 15. 16. Walden. *l.* 3. *doct. fid. art* 3. *à cap.* 76. Bellar. *tom.* 1. *lib.* 5 *de Summ. Pont.* 6 7. Mol. *tom.* 1. *d.* 29. *col.* 153.

Quidam Jurisconsulti tamen putarunt, Summum Pontificem suprema civili potestate pollere, vid. Nav. Mol *l. c.* Bellar. *cap.* 2. 3. *l. c.*

ADDITIO.

Parentes.

Vid. v. *Charitas, Decalogus, Alimenta, Hereditas, Societas.*

De potestate patris in filios Mol. *d* 23. de arrogatione & adoptione. *d.* 227.

De peccatis parentum in filios. Nav. *c.* 14. *à num.* 17. Tol. *lib.* 5. *c.* 1. *num.* 11.

In extrema necessitate potius subveniendum filio, juxta quosdam, secundùm alios patri, quod probabilius, & quidem in vitæ periculo pater præferendus est, etiam ei cui fuisset naratum, intelligitur enim exceptus pater. Ita Tolet. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 5. *& de pecc. mort.* 39. Syl *v. filius* §. 26. *& v. eleemosyna, num.* 4. vid. Fum. *v. eleemosyna num eod.* Lopez *p.* 1. *c.* 58. Val. *tom.* 3. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 5.

Pater non potest impuberem offerre religioni, invita matre. Innoc. Panorm *in c.* 2. *de reg.* Syl *v patrus potestas.*

In rebus gravioribus, in quibus filius patri subditur, potest ei pater aliquid sub mortali præcipere. Lopez *l. c.* & viro uxori, Sot. *l.* 1 *q.* 6 *art.* 4 *infin.* sed dominus in famulos, reliquamque familiam non potest. Sot. *l. c.*

ADDITIO.

Parochus.

Vide v. *Residentia, Beneficiarius.*

Parochus tenetur tempore pestis ministrare saluti necessa-

na sacramenta: aut dare, qui ministret contagione affectis. Ca-
jet. 2 2. q. 26. art 3. dub. 4 vers. ex dictis. imò Sacerdos quilibet
in extrema necessitate ex Navar. c. 25. n. 133.

Parochus habet jure communi á Papa jurisdictionem, quam non potest Episcopus impedire absque causa.

Parochus nondum Sacerdos potest omnia ad parochum spectantia per se exercere, exceptis iis quæ ad ordinem spectant. Nav. lib. 4. conf. 9. n 4 de desp. claud.

Peccatum.

Vide v. Contritio, Pœnitentia.

Peccatum originale.

1. Datur peccatum originale, quod in ipsa humanæ carnis conceptione contrahimus, & cum quo in hanc lucem nascentes edimur, juxta Psalm. 50 *In iniquitatibus concepta sum. & in delictis peperit me mater mea.* Peccatum originale cum solo venali, v. g. mendacio invenire posse non implicat. *Sum. 2. de peccatu, disp 2. q. 1 punct. 1. n 2. & 3.*

2. Peccatum originale est privatio justitiæ & sanctitatis debitæ inesse singulis ex pacto facto á Deo cum Adamo, non ea autem ipsamet animæ substantia: (alioqui Deus creans animam, crearet etiam peccatum originale,) neque concupiscentia; quia per Baptismum tollitur peccatum originale, & quidquid peccati rationem habet, per Baptismum autem non tollitur concupiscentia. *Ibid. punct 2. num. 4. 6. & 7.*

3. Peccatum originale veram peccati rationem habet. Nec refert, quod non sit voluntarium in nobis voluntate propria, sed sufficit quod sit aliena, id est Adami, quatenus nos censemur consensisse in peccatum Adami cum Deo factum in nostrum commodum & utilitatem de transmittenda in nos justitia originali Adamo servante pactum. *Ib. num. 10 & 11.*

4. Omnes homines sive sint fidelium sive infidelium filii, peccatum originale contrahunt ex peccato Adami per seminalem generationem, nisi aliquis peculiari privilegio ab hoc onere eximatur, ut de facto exempta fuit beatissima Virgo, quæ tamen debitum seu obligationem habuit contrahendi matrimonium originale, sed de facto præservata fuit, ne cum peccato originali conciperetur & nasceretur. *Ibid. punct. 3 nu. 6 & seq.*

5. Posteri peccatum originale non contraxissent, Adam pactum cum Deo initum non violante, etiamsi alia peccata commisisset. *Ibid. num.* 6.

6 Non contraxisset peccatum originale qui genitus vel terminatus, vel conceptus fuisset ante peccatum Adæ; & etiam nunc non contraheret is, qui de novo miraculosè creatus aut ab Adamo non descenderet per seminalem generationem. *ibid. nu* 7. & 10.

7. Traducitur peccatum originale ab Adamo quatenus unio corporis cum anima rationali efficitur ab homine generante, quamvis anima suum esse habeat à Deo per creationem. *Ibid. n* 11.

8. Pueri cum solo originali decedentes puniuntur pœna damni, id est, privantur visione Dei; hinc disce quàm graviter peccent parentes, aut alii qui pueros sine baptismo decedere permittunt, jureque merito pœna excommunicationis afficiuntur, qui abortum fœtus præsertim animati procurant. *Ibid punct.* 4. *n.* 2. & *seq.*

9. Pueri cum solo originali decedentes, non sunt puniendi pœna sensus, id est, non sunt puniendi pœna qua damnati cruciantur in inferno propter peccata actualia; sunt tamen adducendi in judicium, ut reassumptis corporibus in tenebras destinentur ob peccatum originale. *Ibid. num.* 7. & 8.

10. Homines in hoc mundo patiuntur aliquas pœnas ob peccatum originale, scilicet ægritudines, rebellionem appetitus, & alias ingentes & innumeras miserias, quas passi non fuissent, si Adam non deliquisset, pactumque cum Deo initum non violasset. *Ib. n.* 9.

Peccatum actuale & habituale.

11. Peccatum actuale materialiter vel à posteriori multipliciter definitur Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Vel: Peccatum, præsertim mortale, est aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Vel: Peccatum est actus contra rectam naturam hominis ut homo est. *Ibid. quæst* 2. *punct* 1. *nu* 1, 5 & 6.

12 Peccatum verò actuale formaliter & à priori hoc pacto definitur: Peccatum est privatio debitæ rectitudinis; consequenter ratio formalis peccati consistere videtur in privatione debitæ rectitudinis. Ad clariorem hujus propositionis intelli-

ligentiam adverte duo considerari in peccato ; materiale scilicet, & formale : materiale peccati commissionis est actus; formale verò est privatio rectitudinis debitæ illi actui , seu quæ tali actui inesse deberet. Similiter ratio formalis peccati omissionis consistit in privatione actus debiti, ita ut omissio formaliter sit mala , quatenus debitam non habet rectitudinem. *Ibid. num.* 12. *& seqq.*

13. Peccatum habituale est quædam macula quam post se relinquit peccatum actuale. Hæc macula consistit in malitia actus præteriti perseverante per modum habitus, seu ut aliqui dicunt, in extrinseca denominatione ab actu præterito non retracto per pœnitentiam ; & in privatione gratiæ habitualis *ibid. punct.* 2 *n.* 1. *&* 2.

14 Ad peccatum mortale requiritur plena & perfecta cogitatio, seu expressa advertentia malitiæ, vel saltem expressa aliqua dubitatio, seu scrupulus peccati. Unde non jejunans aliquo die excusatur , si de jejunio nihil cogitavit. Excusatur quoque projiciens saxum per fenestram, non advertens ad periculum lædendi : committiturque unum tantummodo peccatum, si peccatum duplicem habeat malitiam, & peccator unam tantùm advertat. *Ibid. punct.* 3. *n.* 3. 5. 6. *&* 9.

15. Motus sensualitatis prævenientes usum rationis non sunt peccata; propterea semidormientes & non plenè advertentes ad malitiam, non mortaliter peccant, si pollutionem patiantur. Neque sufficit ad mortale ut aliquis potuerit simpliciter, vel debuerit malitiam considerare, sed requiritur expressa consideratio malitiæ , vel ipsius periculi; vel expressa dubitatio, seu suspicio aliqua malitiæ, vel periculi, alioquin inadvertentia , seu oblivio censetur invincibilis & inculpabilis. *Ibid. num.* 10. *& seq.*

16. Raro advertentia malitiæ deest in iis, quæ jure naturæ sunt prohibita, exceptis subitis quibusdam motibus, de quibus vide v. *Matrimonium q.* 4. *Ibid. n.* 13.

17 Ad peccatum requiritur quidem consensus saltem virtualis, non verò necessarius est consensus directus & expressus. His adde, levem negligentiam admittentem in repellendis tentationibus, non mortaliter peccare *Ibid. num.* 15. *& seq.*

18 Nullus actus deliberatus est in individuo, seu in particulari indifferens , sed quilibet actus deliberatus in particulari bonus est vel malus : hinc sequitur, verbum otiosum malum esse, & actum fricationis barbæ , aut subveniendi proximo

ob utilitatem, bonum. *Ibid punct. 4. num. 1. &* [illegible]

19. Actus versans circa omissionem, cujus actus contrarius bonus est, est malus: actus autem indeliberatus factus ratione non advertente, est indifferens *Ibid num. 4. & 5.*

20. Dantur aliqui actus qui secundum speciem nec boni nec mali sunt; at nullus in individuo datur, qui non sit bonus vel malus, si deliberatè fiat. *Ibid n 6.*

21. Malitia peccati & injuria ac offensa Dei, quæ in peccato reperitur, non est intrinsecè infinita, alioqui sequeretur omnia peccata mortalia esse æqualia, cùm unum infinitum non sit majus alio: est tamen malitia peccati, seu injuria & offensa in peccato infinita extrinsecè & terminativè; cum fiat personæ videlicet Deo. *Ib. punct. 5. n. 1 2. & 3.*

Peccatum mortale & veniale.

22. Peccatum veniale est leve erratum, & reddit hominis dignos pœna solum temporali. Non dicitur veniale, eò quod sit contra consilium, mortale verò contra præceptum; neque quia sit præter legem, mortale verò quia sit contra legem; sed dici potest veniale quatenus non privat gratia & charitate, quemadmodum peccatum mortale. *Ibid. quæst. 3. punct. 2. n. 1. & seq.*

23. Dari potest peccatum mortale ex suo genere, quod defectu plenæ deliberationis, aut advertentiæ, aut parvitatis materiæ, fiat veniale, ut est furtum unius assis quod ex suo genere est mortale, posita materia sufficiente, & non mutata specie furti; tamen hic & nunc est veniale ratione parvitatis materiæ. *Ibid punct 3. num. 4.*

24. Non datur in qualibet materia parvitas rei seu materiæ, ratione cujus peccatum quod alioquin fuisset mortale, efficitur veniale, ut videre est in ea materia, in qua reperitur integra ratio injuriæ & offensæ mortalis, qualis est materia simoniæ: nam si quis vendat rem spiritualem, licèt valde modicam & parvam, peccat mortaliter. Tunc autem semper aderit parvitas materiæ, quando res non solùm erit parva in se, sed etiam ratione circumstantiarum. *Ibid, n. 11. & 12.*

25 Sicut peccatum mortale efficitur ex accidenti veniale, ita peccatum veniale fieri potest mortale ex his capitibus: ratione finis mortalis adjuncti; ob plenam advertentiam posita materia notabili; ratione specialis contemptus in materia gra-

vi;

ri, aut specialis inobedientiæ; ratione proximi & moralis pe-
culi incidendi in mortale; ratione conscientiæ erroneæ aut
scandali, aut per additionem materiæ, quatenus peccatum
quod ratione parvitatis materiæ esset tantummodo veniale,
fit mortale addita majori quantitate. Item peccatum veniale
fit mortale, quando ultimum veniale continuatur cum mate-
ria præcedentium, & materiam notabilem complet; propte-
rea ille jejunium perfringit, qui sæpius exiguum quid eodem
jejunii die comedit, si ea quæ degustantur, efficiant materiam
notabilem. *Ibid. punct. 5. n. 2. 5. 6. 17. & seq.*

26. Idem numero peccatum veniale, manens idem in gene-
re moris, non potest fieri mortale, neque è contra. *Ibid. n. 21*

27. Contemptus in materia levi, est peccatum veniale,
quando non est contemptus formalis Dei, aut legislatoris ut
sic. Contemptus formalis explicandus est in confessione, quia
novam specie malitiam actui superaddit, *ib. n. 15. & 16.*

Distinctio specifica & numerica peccatorum.

28. Peccata non sunt inter se connexa, neque paria, ut patet.
Illia quæst. 4. punct. 1. num. 1. & 4.

Peccatum consideratum secundum rationem specificam, si
inferioris ordinis, non potest crescere & superare malitiam
peccati superioris ordinis: sicut argentum quantumvis ma-
gna eum diligentia purgetur, numquam perveniet ad perfe-
ctionem specificam auri, cum habeant essentiam diversam.
Unde autem fiat ut peccatum ita crescere possit, ut gravius &
deterius fiat, contingit ex sequentibus capitibus & circum-
stantiis: ex majori affectu vel conatu, ex majori scientia & co-
gnitione peccati, ex conditione personæ peccantis, & in quam
peccatur, ex majori damno quod infertur, ex pejori fine, cum
peccatum aliqua ratione specificetur à fine, ex ratione scan-
dali & ruinæ alterius, denique ex his circumstantiis:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

29. Adverte ut circumstantia novam addat actui malitiam,
aliquando debere expresse intendi, aliquando non. Debet in-
tendi quando substantia actus peccati, cui circumstantia com-
municat malitiam, non potest subsistere, nisi circumstantia in-
tendatur: quando verò substantia actus subsistere potest cir-

cumstantia expresse non intenta, non est necesse circumstantiam intendere, sed peculiaris malitia contrahitur, quamvis circumstantia non intendatur. Ex quo sequitur habentem congressum cum alterius uxore committere adulterium quamvis rejiciat circumstantiam *alienæ uxoris*. Surripiens quoque rem sacram, sacrilegium committit, etiamsi expresse non intendat inferre injuriam rei sacræ. *Ibid. num. 5 & seq.*

30. Non sunt tot numero peccata, quot sunt objecta circa quæ unus & idem actus eodem tempore versatur, sibiquemodi objecta sint ejusdem rationis quæ vicem unius gerant, sed tot sunt peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, ideo explicandi sunt confessione. Actus autem voluntatis tunc interrumpitur, quoties nec formaliter nec virtualiter durat: unde habens animum furandi, & interjecta aliqua mora furatur, duplex peccatum committit. Item sunt plura peccata, quando plures actus successivè versantur circa plura objecta distincta *Ibid. punct. 2. num. 1 & seq.*

31. Actiones externæ moraliter conjunctæ cum actu interno voluntatis non constituunt novum peccatum, nisi isti actus propriam habeant malitiam ab actu interno distinctam. *Ibid. n. 8.*

32. Repetens eodem impetu iræ multa convicia, blasphemias, &c. unum tantum peccatum committit; quia prior voluntas perseverat, & prius peccatum videtur moraliter continuari cum subsequentibus, ita ut omnes illi actus unam rixam vel pugnam integrare videantur. *Ibid num. 11.*

33. Regula ad cognoscendam distinctionem numericam peccatorum, sit hæc:

34 Peccata numero distinguuntur per multiplicationem objectorum, circa quæ actus successivè versantur, non verò ex multitudine objectorum, circa quæ unus & idem actus eodem tempore versatur: deinde per multiplicitatem actuum voluntatis moraliter interruptorum; quamquam etiam alunde peccata numero distingui possunt, videlicet ex circumstantiis & finibus. *Ibid. num. 14.*

35. Qui alium inducit ad peccatum, intendens ipsius nocumentum spirituale, peccat duplici saltem peccato, scilicet peccato scandali, & eo peccato quod ab altero committitur: nam qui est causa peccati, reus est illius peccati cujus est causa: hinc qui inducit alium ad peccatum veniale, intentione ut venialiter peccet, peccat tantùm venialiter. *Ibid. §. unic. num. 8 & 9.*

36. Qui

36. Qui alium ad peccatum inducit, seu cooperatur peccato alterius, non intendens ruinam, nec cum eo consummans peccatum, est reus illius peccati quod alter committit. Qui vero alium inducit ad peccatum, simulque cum ipso consummat peccatum, reus videtur duorum peccatorum, etiamsi non intendat ruinam proximi spiritualem; quamobrem is qui inducit alterum ad furtum, & furtum cum ipso committit, dupliciter peccat. *ibid. num.* 12, 15. & 16.

37. Quæres: quandonam dicatur aliquis cooperari peccato alterius, seu alterum ad peccatum inducere. Resp. quando facit aliqua quæ de se alliciunt & inducunt ad peccatum; aut quando aliquid licet ex se indifferens facit ea intentione, ut alter peccet; aut quando absque justa & sufficienti causa facit opus indifferens quo alios credit abusuros ad peccatum. *ibid. num.* 17.

38. Non eadem causa censetur sufficiens & justa ad cohonestanda omnia opera indifferentia, sed major in uno quam in alio casu requiritur: & major causa requiritur in eo qui facit aliquid quo alter est abusurus contra justitiam, quam quando non est abusurus contra justitiam. *ibid. num.* 19.

39. Peccat qui facit vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum seu ad peccandum, etiamsi faciat vel petat aliquod opus indifferens, modo non faciat vel præstet tale opus ex justa & rationabili causa. *ibid. num.* 21.

40. Excusari possunt à mortali locantes domos meretricibus, usurariis etiam publicis, non tamen alienigenis, & præcisa prohibitione; hi enim locando ad habitandum utuntur jure suo. Item famuli comitantes herum ad meretricandum; excusantur à peccato, si periculum sit gravis damni desistendo: nam comitari simpliciter censetur actio honesta; secus dicendum de vendentibus vinum absque justa causa iis quos probabiliter credunt lapsuros in ebrietatem, hi enim mortaliter peccant. *ibid. num.* 22. 23. 26. & 32.

41. Excusatur vir habens suspicionem de uxoris adulterio, & testes idoneos assumens, ut eam deprehensam convincant de crimine adulterii. At non potest uxor de consensu mariti ficte amasio consensum præbere, ut amasius comprehensus percutiatur; hæc enim actio intrinsecè est mala, & censetur inductio & cooperatio ad peccatum amasii. *ibid. num.* 33. & 34.

42. Non peccat mortaliter qui facit aliquod opus indifferens:

differens, quo alter jam paratus abutetur ad peccatum, sed illud opus indifferens alter faceret, si ipse non faceret, secus si faciat opus intrinsecè malum, aut si tale opus licet indifferens censeatur proxima peccati causa. Ex quibus colligo, excusari caupones, &c parentes cœnam aut jentaculum nolenti jejunare, si nolens jejunare inveniret alios cibos; aut si dubitent, an qui non vult jejunare, teneatur ad jejunium. *n.* 35. & 37.

43. Consulens minus malum parato facere majus, non peccat; secus si consulat majus parato facere minus. *ib n* 39.

44. Faciens aliquod malum coram aliis quos probabiliter credit non peccaturos occasione pravi sui operis, non peccat mortaliter peccato generali scandali; consequenter non tenetur ad hanc circumstantiam in confessione detegendam. *ibid. num.* 43.

45. Peccata distinguuntur specie per ordinem ad diversas specie perfectiones, non vero per ordinem ad diversa præcepta, quibus aliquid præcipitur vel prohibetur ex eodem motivo; secus dicendum est si peccata prohibita sint pluribus præceptis ex diverso motivo conditis; tunc enim peccata sunt specie diversa: propterea initiatus sacris ordinibus duplex peccatum committit, si consentiat in actum venereum: & Fr. Minor non jejunans die Veneris in quem incidit vigilia ex præcepto colenda, duplex committit peccatum, videlicet contra votum, & contra Ecclesiæ præceptum, quæ sunt duo diversa motiva; secus dicendum de eo qui omitteret Missam die Dominico, in quem incidit festum alicujus Sancti, v. g. Apostoli, is enim non committit duo peccata, sicut neque possidens plura beneficia, si divinum officium prætermittat: cum hæc obligatio imposita sit ex eodem motivo religionis, ut beneficiarius rebus sacris vacet. *ibid. punct* 3. *n.* 1. *& seq.* Item

46. Faciens aliquid prohibitum duplici præcepto, simplici scilicet, & alio habente adjunctam excommunicationem, committit unum tantum peccatum, modo præcepta lata sint ex eodem motivo, *ibid. num.* 14.

An peccatum omissionis differat specie à peccato omissionis.

47. Peccatum omissionis differt specie à peccato commissionis, non solùm si hæc duo peccata materialiter considerentur, verùm etiam formaliter secundum inordinationem

tem & propriam malitiam; cum peccata commissionis & omissionis privent perfectionibus diversis, habeantque specialem oppositionem cum recta ratione. *ibid. punct. 4. num. 1.*

48. Peccatum commissionis, ceteris paribus, gravius est peccato omissionis, quia peccatum commissionis immediate privat bonitate debita actui, peccatum verò omissionis mediatè tantum privat bonitate quæ deberet inesse actui. *ibid. num. 2.*

49. Omissio incurritur eo solum tempore quo implendum est præceptum, v.g. omissio sacri incurritur solum ea hora, qua Missæ sacrum audiendum est: malitia vero omissionis incurritur quando omissio contingit, si tunc homo utatur ratione & libertate: si verò ratione non utatur aut libertate, incurritur quando apponitur causa omissionis, modo fiat cum advertentia futuræ omissionis. Ex quo fit ut qui se dat somno, prævidens fore, ut non sit à somno excitatus tempore audiendæ Missæ, incurrat malitiam omissionis sacri, dum apponit causam omissionis sacri, id est, quando se dat somno prævidens sacri omissionem. Idem ceteris paribus dicendum de peccato commissionis: propterea faciens contra leges & præcepta quæ scire tenetur tunc temporis, quo non potest illa discere, peccavit quando potuit ignorantiam vincere & noluit, *ibid num. 4.*

50. Actiones quæ sunt causa omissionis, sunt malæ & peccaminosæ; consequenter ludus, quo quis tempore Missæ audiendæ detinetur, malus est & peccaminosus, sicut & projectio Breviarii in mare ne recitetur divinum officium, mala est & peccaminosa: quia per hanc projectionem auferetur facultas recitandi divinum officium. Intellige autem has actiones quæ sunt causa omissionis, esse malas quoties omissio præcepti imputatur ad peccatum, non solùm si actiones sint ex se indifferentes, verùm etiam si sua natura bonæ sint. *ibid num 13 & seq.*

51. Quæres, quænam actiones censeantur causa omissionis? Respond non solùm propositum omittendi rem præceptam, sed etiam omnes actiones, quæ primo eliguntur elicito proposito omittendi rem præceptam, esse causam omissionis, *ibid n. 16.*

52. Quando simul concurrunt duo præcepta incompossibilia, servandum est majus; propterea præceptum naturale divinum servandum est, quando concurrit cum solo divino

divino vel humano: & si præceptum divinum vel naturale concurrat cum humano, servandum est divinum vel naturale; si negativum cum affirmativo, negativum anteponendum est affirmativo. Similiter servandum est præceptum altioris virtutis, si concurrat cum inferioris virtutis præcepto, *ibid.n.*18.*& seq.*

53. Eligens adimpletionem minoris præcepti relicto graviori, peccat venialiter vel mortaliter, juxta parvitatem vel magnitudinem excessus inter majus & minus. *ibid nu.*24.

54. Peccata quæ complentur in corde ac voluntate, differunt specie à peccatis quæ perficiuntur & consummantur in ore vel opere; si tamen considerentur ut sunt origo & principium, seu dispositio ad peccatum operis, non differunt specie, quia considerantur ut perfectum & imperfectum in eadem specie. Hinc sequitur, voluntatem furandi, fornicandi, &c, esse ejusdem speciei cum furto, fornicatione, &c. *ibid. punct.5.num.*1.*& seq.*

55. Petes, quid significet conscientia? Significat dictamen rationis, quo ratio dictat aliquid fugiendum, vel faciendum

Conscientia licet erronea obligat ad faciendum id quod ipsa conscientia faciendum dictat per modum præcepti, & non tantum per modum consilii: abstinendum tamen est ab eo quod conscientia vincibilis dictat esse malum. *ibidem punct.6.num.*1.*&* 11

56. Conscientia invincibiliter errans magis obligat quam præceptum Superioris, secus si conscientia vincibiliter erret. *ibid.num.*17.

57. Faciens contra conscientiam erroneam falso credens esse peccatum, committit peccatum illius speciei quam conscientia apprehendit. Ex quo fit ut qui credit esse peccatum sacrilegii expuere in terram, sacrilegium committat si in terram expuat. Quod si conscientia invincibiliter erret dictans actum esse bonum, cum re vera sit malus, actus est bonus. *ibid.num.*18.19 *&* 23. Item

58 Putans ex conscientia erronea invincibili utramque contradictionis partem esse peccatum, peccat quamcumque partem eligendo: at qui alias ex conscientia erronea credidit aliquod opus esse peccatum, sed dum illud præstat, non amplius actu de peccato dubitat, excusatur à peccato *ibid.n.*27.*&* 28.

59. Si

59. Si conscientia fuit temere & absque fundamento concepta, deponi potest absque ulla ratione, judicando ipsam conceptam fuisse sine ratione & fundamento, quia res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur sed conscientia erronea suborta fuit absque ratione & fundamento, ut supponitur, ergo, &c. *ibid. num.* 30.

60. Dubium propriè dictum est quando intellectus neutri parti assentitur, sed manet in æquilibrio, vel ferè manet in æquilibrio absque determinato assensu alicujus partis, licet fortè majorem habeat inclinationem & propensionem ad unam, quam ad alteram partem Qui habet dubium speculativum, in praxi debet formare judicium simile speculativo, nisi ratio evidenter aliud suadeat, *ibid. punct.* 7. *n.* 1. & 2.

61. Peccat peccato ejusdem speciei, cujus est peccatum de quo dubitat, qui cum conscientia practicè dubia aliquid operatur: secus si aliquid operetur non practicè dubitans; consequenter, qui percutit laicum putans esse clericum, peccat contra reverentiam Ecclesiasticis personis debitam. Item peccat ille, qui speculativè certus est licitum esse in die festo docere, sed, dum docet, dubitat, an hic & nunc sibi liceat: nam docet practicè dubitans id sibi licere; secus dicendum de operante serviliter in die festo, si credat sibi licere ob necessitatem. Similiter dubitans, an liceat rem alienam capere, sed practicè deponens dubium, & surripiens in extrema necessitate, non peccat. *ibid. num.* 3. 4. 6. 10. & 11.

62. Petes, quid requiratur, ut conscientia practicè deponatur, & vincatur dubium speculativum Respond. requiri debitam diligentiam in ea rei veritate inquirenda, quam ratio postulat pro rei, temporis, loci qualitate & conditione: & præterea requiritur justa aliqua causa deponendi practicè dubium speculativum: justa autem causa censetur judicium & consilium bonorum & doctorum virorum, & possessio; & ut cognoscatur quis possideat, standum est judicio fori externi, quando aliunde veritas non apparet. *ibid. num.* 12. & *seq.*

63. Ex quibus collige, dubitantem, an excommunicationem contraxerit, non teneri se tamquam excommunicatum gerere, si præstita debita diligentia non potest rei veritatem invenire. At qui dubitat, an justè lata sit excommunicatio, vel à legitimo Superiore, excommunicationem incurrit, si contra legem fecerit, quia possessio stat pro lege & pro excommu-

communicatione; secus si dubitetur utrum lata sit sententia excommunicationis, vel utrum adimpleta sit talis conditio, *ibid. num* 15. 16.

64. Possessor bonæ fidei, aut qui matrimonium contraxit, si postea dubitet rem suam esse, vel matrimonium fuisse validum, potest dubium practicè deponere, sibique rem illam detinere, aut debitum ab uxore petere; at qui dubitat, an homicidium sua culpa contigerit, tenetur se tamquam irregularem gerere, quia præsumptio in hac re stat contra ipsum. *ibid. num.* 20. & 21.

65. Scrupulus est quædam suspicio orta ex levibus indiciis, v.g. melancholia, ignoratia, &c. consequenter ille dicitur scrupulosus, qui dubitat ex levibus fundamantis, seu indiciis & motivis. Non est peccatum facere aliquid deposito, vel etiam perseverante scrupulo. Ex quo fit, ut probabiliter sibi persuadens aliquid esse licitum, possit tuta conscientia illud agere, non obstantibus apparentiis in contrarium occurrentibus. *ibid. punct.* 8. *num.* 1. & *seq.*

66. Possumus absque peccato sequi opinionem probabilem, seu eam quæ non levi fundamento nititur, relicta probabiliore & tutiore, quamvis opinio probabilior & tutior, sit propria opinio & tenenda relicta probabili, si immineat aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia, justitia, vel charitas dictet oppositam sententiam eligi debere. *ibid. punct.* 9. *num.* 4. & 5.

67. Ex dictis infer, licere Confessario, aut interrogato respondere juxta opionem probabilem, & eum posse se accommodare & conformare opinioni pœnitentis probabili. Imò possunt excusari illi, qui plures adeunt Doctores, donec unum inveniant qui respondeat in sui favorem. *ibid. n.* 6. 8, & *seq.*

68. Possumus sequi opinionem probabilem non solùm eximendo petentem ab obligatione, sed etiam obligationem imponendo, nisi petens requirat sententiam ejus, qui dat consilium. *ibid. num.* 7.

69. Vir prudens potest aliquando ob firmum fundamentum à communi opinione recedere; communis autem opinio est illa, quam multi Auctores classici ritè perpensis utriusque partis rationibus sequuntur. Item, Judex inferenda sententia etiam in criminalibus causis, potest quam maluerit opinionem probabilem sequi, modo opiniones sint

æque

æque probabiles. Advocatus quoque vel causidicus potest tam in civilibus quam in criminalibus tueri causam in favorem sui clientis, quamvis putet adversarivrum opinionem probabiliorem esse, modo tamen sua opinio sit probabilis. *ibid. num.* 11, *& seq.*

70. Par tutior eligenda est in administratione sacramentorum, quando periculum imminet invaliditatis sacramentorum, neque licitum est sequi opinionem probabilem relicta tutiori in sacramentis administrandis, nisi aliter postulet necessitas, aut nisi defectus proveniat ex parte suscipientis, *ibid. num.* 18 *&* 19.

71. Medicus tenetur infirmo præbere pharmacum, quod certo scit profuturum, omisso eo de quo dubitatur.

Quando autem nullum extat certum pharmacum, tenetur sequi tutiorem sententiam in eligendo pharmaco, potestque remedium dubium applicare, quando nulla est spes de salute infirmi, si tunc temporis nullum certum extet. Quòd si Medicus tradat pharmacum infirmo ad sumendum de eo experimentum, graviter peccat contra justitiam, quoties non adest opinio probabilis de illo pharmaco, & ex alia parte Medicus habet remedia probabiliter utilia. *ibidem num.* 20. *& seq.*

Causæ efficientes, subjectum, & effectus peccatorum.

72. Deus non est causa peccati, nec illi peccatum imputari potest neque determinat aut impellit ad malum eligendum, quia Deus non potest id velle, quod ipsius naturæ adversatur. Peccatum verò causæ sunt malitia peccatoris, infirmitas sensus, dæmonum suggestiones, superbia, &c. *ibid. quæst.* 5, *punct.* 1. *n.* 1. *& punct.* 2. *n.* 1 *&* 2.

73. Malitia actualis seu formalis peccati est in voluntate tamquam in subjecto, per denominationem verò extrinsecam est in aliis potentiis, quæ actus peccaminosos eliciunt: malitia verò objectiva convenit actibus illarum potentiarum à quibus eliciuntur, & in quibus consummantur. Quod attinet ad peccatum habituale, est in eo tamquam in subjecto in quo est habitualis perfectio qua privat. Unde peccatum habituale odii est in voluntate, quia in voluntate reperiri debet perfectio amoris & charitatis, qua privat peccatum odii, & sic de cæteris. *ibid. quæst.* 6. *punct. unic. n.* 3. 4. *&* 8.

74. Effe-

74. Effectus peccati sunt macula, reatus pœnæ damni & sensus, diminutioque naturalis inclinationis ad virtutem, quatenus voluntas acquisito per peccatum habitu vitiosa facilius movetur in malum. *ibid. quæst. 7. punct. 1. num. 1.*

75. Peccatum per se, & formaliter consideratum, quatenus dicit culpam, non potest esse pœna alterius peccati, ut ut Deus velit hominem ob culpam præcedentem prolabi in aliud peccatum: si tamen peccatum consideretur secundum alia ipsi accidentalia, ut ratione infamiæ vel tristitiæ, vel laboris, &c. unum peccatum potest esse pœna alterius. *ibid. punct 2. num. 1.*

76. Nullus homo, si secundum se spectetur, potest pro peccato alterius puniri pœna propriè dicta, nisi etiam ipse deliquerit; aut modo non consideretur ut alteri aliquo titulo conjunctus, ut videre est in Davide, qui punitus fuit in suo populo, quatenus David considerabatur ut aliquid conjunctum cum suo populo ratione jurisdictionis. *ibid. punct. 3. nu. 3. & 5.*

Causæ excusantes à peccatis.

77. Sunt, dispensatio legis, seu præcepti validè obtenta, impotentia adimplendi præceptum, tam moralis quam physica: vis absoluta, metus, seu probabile periculum gravis damni aut mortis, ignorantia invincibilis aut probabilis tum juris quam facti, & ignorantia comitans, saltem respectu actionis externæ. *ibid. quæst. 8 punct. 1. num. 1. & 2. & punct. 2. n. 2. 3 & 7. & punct. 3. num. 12 & 34.*

78. Circa prædictam doctrinam adverte, eum qui totum præceptum adimplere nequit, teneri ad partem notabilem, si ea sit à Superiore intenta; & impotentem ad totum officium recitandum, teneri ad eam partem quam potest, modo sit notabilis. Idem dic de auditione Missæ. *ibid. punct. 1. num. 47. & 8.*

79. Adverte præterea, peccare eum qui apponit impedimentum, quod proximè & per se impedit adimpletionem præcepti. Unde peccat mortaliter qui triginta diebus navigaturus proiicit in mare Breviarium, ut liber sit ab obligatione officii recitandi. Neque excusatur excommunicatus, qui tempore Paschatis non confitetur, vel non communicat ob negligentiam in procuranda excommunicationis absolutione;

solutione; secus dicendum de commorante domi die aliquo festo tempore sacri ad infirmi vel domus custodiam.

Similiter non peccat contra jejunium laboriosæ venationi dans operam, prævidens fore ut jejunare non possit, quia venatio videtur causa per accidens fractionis jejunii, nec præceptum jejunii prohibet venationem; limita tamen, modo id non fiat in fraudem jejunii *ibid. num. 10. & seq.*

80. Adverte rursus, dum diximus vim absolutam excusare à peccato, id intelligi dummodo voluntas & membra externa resistant, *ibid. punct. 2. nu 2.*

81. Præcepta, etiam humana, obligant sub mortali cum periculo mortis, vel alterius gravi damni; dum vitandum est grande scandalum, vel conservandum est bonum commune religionis, Reipublicæ, aut communitatis; secus si observatio horum præceptorum non est utilior, quam conservatio vitæ. *ibid num. 5. & 6.*

82. Metus mortis potest excusare à transgressione jejunii, vel die festi, vel alterius legis humanæ vel divinæ, modo lex divina non prohibeat rem extrinsecè malam. *Ibid numero 7.*

83. Parochus excusatur à peccato, qui ob periculum mortis non defert ad Episcopum eos, qui tempore præfixo non susceperunt pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentum. *Ibid. num. 10.*

84. Servanda est lex cum periculo mortis, quando quis alteri mortem minatur, nisi legem humanam violet in contemptum legis, vel in odium religionis, vel auctoritatis legis publicæ. *Ibid. num. 12.*

85. Comedens carnes humanas ex metu, excusatur, si eas per modum medicinæ comedat, non est tamen licitum occidere quemquam, ut ejus carnes quis per modum medicinæ comedat, cùm hoc sit intrinsecè malum. *Ibid. num. 13 & 14.*

86. Potestne quis carnibus humanis vesci ad tuendam vitam in propositis casibus? Potest, sed hoc facere non tenetur. *Ibid. num. 15.*

87. Carthusianus, vel alter qui vovit abstinentiam à carnibus, potest & tenetur eas comedere, si illi evidenter necessariæ sint ad vitam tuendam; neque peccat Medicus præbendo carnes Carthusiano indigenti. *Ibid. n. 16. & 17.*

88. Licitum est in gravi vitæ periculo vesci idolothytis, seu cibis idolo immolatis, modo astantes admoneantur, aut

noverint hoc fieri ad tuendam vitam, & non ad profitendam falsam Deorum religionem. *lb n. 18.*

89. Potest excusari á peccato qui habuit aliquam legis cognitionem, vel advertentiam, circa malitiam objecti; sed adhibita modica diligentia rei veritatem non cognovit; dicuntur enim laborare ignorantia invincibili, seu probabili. Undè excusatur rusticus, vel vetula faciens aliquid consulto Parocho asserente id esse licitum *Ibid. punct 3 nu. 15. & 16.* Item

90. Non tenetur repetere confessionem, qui aliquod peccatum ex ignorantia culpabili, vel etiam scienter commissum in ea prætermittit, invincibiliter ignorans se teneri illud confiteri; imò peccatum ita potest per ignorantiam minui, ut mortali fiat veniale, *ibid. num. 17. & 21.*

91. Quælibet ignorantia legum humanarum potest a mortali excusare, modo adsit bona fides, & ignorantia non sit crassa vel supina. Ex quo sequitur, eum non peccare mortaliter, qui bona fide perfringit jejunium, putans se sufficientem non jejunandi causam habere. *ibid. num. 22 & 23.*

92. Laborans ignorantia invincibili unius circumstantiæ, non verò alterius, non excusatur à peccato respondente illi circumstantiæ quam novit, seu quam culpabiliter ignorat: v. g. sciens furtum esse peccatum, & ignorans furtum imperare esse peccatum, non peccat imperando, peccat verò si furtum committat. Item sciens fornicationem externam esse peccatum, non verò desiderium, non peccat desiderio fornicationis; peccat verò exterius fornicando. *ibid. n. 24. & 25.*

93. Peccata commissa ex ignorantia culpabili, sunt ejusdem speciei cum peccatis, cujus sunt peccata facta scienter; quare non tenetur pœnitens in confessione explicare num peccaverit ex ignorantia vincibili, vel scienter, nisi ignorantia sit talis, quæ excusat à mortali *ibid. num. 29. & 30.*

94. Ignorantia vincibilis est peccatum oppositum præcepto & virtuti ex qua homo tenetur aliquid scire vel facere, *ibid. num 32.*

95. Jaciens sagittam intentione occidendi quodcumque illud sit quod sibi ob oculos extat, committit homicidium etiam externum eo secuto, quamvis crediderit id esse feram, non hominem, quia hæc occisio censetur sufficienter voluntaria. *ibid nu. 35.*

96. Qui ex ignorantia comitante committit homicidium vel aliud damnum infert, excusatur ab obligatione reli-

stituendi consurgente ex justa acceptione. *ibidem numero 37.*

ADDITIO.

Peccatum mortale est: delectari consensu saltem tacito in peccato mortali, cogitato, si plenè advertas, quod vulgo dicitur cogitatio morosa; secus est, si delecteris non ipso peccato, sed sola de eo cogitatione speculativa, vid. D. Thom. 2.2 q. 74. art. 8 Syl *verbo delectatio, q.* 1. Ajunt verò quidam, cum quis plenè advertit, malam esse cogitationem, & periculosam, negligitque reprimere, censendum esse tacitum eamdem consensum. De peccato Azor. *l.* 4 vid. Lop. *p.* 1. *c.* 1, Sav. *c.* 11. *n.* 13. Cajet. *verf. delectatio morosa, & v. Luxuria* 13. Non est mortale facere ea, quibus alii malè & benè possunt uti, etsi plures malè utantur, ut aleas, gladios, &c. etsi id quidam negent.

Peccatum ut sit voluntarium, tria requiruntur, 1. ut à voluntate procedat, 2. ut sit procedens liberum ex deliberatione, id est, quod sit in nostra potestate, 3 ut homo sciat, vel saltem teneatur, se agere contra regulam, unde ignorantia probabilis gignit voluntarium & à peccato excusat,

Peccatum est mortale, vel veniale, ex genere suo, Illud est contra regulam divinam, hoc præter illud præcepto opponitur, sed in Deum, qui est præcepti finis, non tendit; illud hominem divina gratia privat, hoc non privat. De peccato veniali egregiè D. Thom. *q.* 7 *de malo*. De peccatorum divisione Pet. à Sot *lect.* 8. Azor. *lib.* 4 *Inst. mor. tom.* 1. Mortale ex genere, veniale fit, vel ob materiæ levitatem, ut in parvo furto, vel ex actus imperfectione. Veniale ex genere, fit mortale, 1. si in veniali ultimus finis constituatur. 2. si ordinetur in mortale, 3. inde sequatur mortale, 4 ratione conscientiæ erroneæ, ut cum quis committit veniale, vel bonum opus agit, quod putat lethale scelus.

Peccatum præterea est oris, cordis, operis; in diversa materia sunt diversa peccata, in eadem unum peccatum est habens plures augmenti gradus.

In peccato est materia & forma Materia est actus, qui reperitur, commissionis; recessus à regula divina, sive contra faciendo, sive præter, est forma, quæ quidem non est quid positivum, sed rectitudinis carentia. In mortifero peccato est aversio ab incommutabili bono, quod est Deus, & con-

versio ad commutabile bonum, quod est creatura. in ci veniali hæc sunt aliquo modo, sed imperfecto.

In lethali piaculo est macula, privatio sc. gratiæ, & rea obligatio sc. ad pœnas æternas, quæ duplex est, damni, sensus. In veniali est hæc duplex pœna, (temporalis tant non autem macula, neque enim veniale crimen gratiam pe lit, sed charitatis fervorem extinguit.

ADDITIO.

Pensio.

Vid. v. *Simonia.*

Redemptio pensionis non fit sine Papæ auctoritate. De pensione quædam Tol. *l.5.c.82.* Sot. *l.9.q.7.art 2.* Gigas *de pension.* Læl. Zecc. *de benef & pension.*

Cui data est pensio cum obligatione dandi eam alteri, non potest ab hac eam obligatione pretio redimere. Est enim pensio jus quoddam exigendi certam partem fructuum beneficii, & est res annexa spirituali, sicuti beneficium, vid. de hac re Majo. *in 4.d.25.q.1.* Sot. *l.9.q.7.art.2.* Nav. *25. nu. 111. & lib.3.cons.52. de præbend.*

Solus Papa dat pensionem laico. Nav. *c.25. n.110.* etiam clerico, Salon. *2.2.q 63.art 2 concl.1.contr.6.*

Pensio ipso jure perditur per matrimonium, idque etiam alias nullum secundum quosdam, Nav. *de orat. & hor. cap. c.21.n.23 & de red.q.1.mon 32.n.2.* vide Zech. *de pens. cap. num.9.* & Flam. Paris. *l.6. de reg. sig. benefic. quæst.2. num. 111. & quæst.54.*

Pensio non est propriè beneficium, non datur tamen irregulari sine dispensatione, Nav *c.23.n.111.*

Percussor clerici.

Vide v. *Censura, Clericus, Excommunicatio.*

Perjurium.

Vide v. *Iuramentum.*

AD

ADDITIO.

Pignus.

Pignore non licet uti contra voluntatem domini.

De pignore Garzias *cap.*49 Lopez.*lib.*2.*de contract.c.*18. Nav.*c.*17 *n.*204.Mol.*à d.*§ 28.Lop.*de contractu à c.*18.*lib.*2. *tit.pignus* 7.Nav.*c.*17.*num.*204.

Non datur res sacra in pignus, nisi in necessitate.Navar, *c.*17.*num.*205.

Prohibita alienari,possunt pignori dari.

Expensæ factæ in pignore necessario, vel utiliter, repeti possunt. vid. Syl. *l.c.num.*13.Nav. *l.c.*

Creditor potest pignus in pignus dare,sed non pro maiori quantitate, non potest autem vendere, debitore non solvente,nisi post biennium,aut eo prius monito, nisi judex citè posse concedat. Quidam dicunt, posse vendere post eiam monitionem non solventi factam, etsi fuisset conventum ne venderetur. quod Emman. Sa probatur: dummodo debitorem expectet aliquo convenienti tempore,nisi promisisset expresse se nullo modo venditurum, servanda enim promissio,Nav.*l.c* Syl.*l.c.n.*8.Fum.*ibid.n.*5.*Non potest)* Syl.*l.c.n.*19.Nav.*c.*17.

ADDITIO.

Pœna.

Vide v. *Ignorantia, Interpretatio, Lex.*

Pœna imposita ipso jure, vel facto, non incurritur sine sententia judicis,& executione per ipsum,etsi lex dicat,non requiri sententiam,aut declarationem,aut etiam solvendam in foro conscientiæ,intelligitur enim judice exequente, nisi pœna esset ejusmodi, quæ secum traheret executionem, ut excommunicatio,suspensio, interdictum, & irregularitas, aut lex dicat,Sit incapax,aut inhabilis,aut, Non faciat alioquin fructus suos, est enim conditio,quæ servanda est, ut quæ ponitur à testatore,

An pœna sit ante sententiam solvenda, Sot. *lib.*1.*quæst.*6. Mol.1.95.

De pœna legis, Azor. *lib.* 6. *c.* 7. Carb. *lib.* 8. *de leg.*

De pœnâ conventionali, Mol. *d.* 317. Garz. *cap.* 12. Lopez 1 *q.* 31. *de contract.*

Sot. *l.* 1 *quæst art.* 6. *concluſion. c. cum ſecundum. de hæ.*

Caſtro *de juſt hæret pun. lib.* 2. *cap.* 6. *& de leg. pœn l.* 2. poſt Fel. *c.* 1. *de conſt.* probat, bona ante ſententiam fiſcanda, quando quis in hæreſin lapſus eſt, ob quam ipſo jure bona confiſcantur: contrarium aſſerit Salon. 2. 2. *q.* 62. Mol. *d.* 95. Azor. *lib* 5 *c.* 7. *q.* 3. Covar. 4. *decr. p.* 2. *c.* 6. §. 1. *commun.* vid. Navar. *c* 25. *n.* 118.

Aut etiam) Couar. *l c.* 10. *verſ.* 10.

Aut etiam ſolvendam) Cou. *l. c.* putat, ſolvendam, ſi declaret, In foro conſcientiæ, Mol. *l. c.* addit, niſi lex verba adhibeat ſignificantia pœnam ante ſententiam ſolvendam, *ext. ami. ſe. Niſi pœna.*) Navar. *c.* 23. *nu.* 67. Sot. *l c. concl.* 2 Cajet. 2. 2. 62. *art.* 3. Couar. *l. c. n.* 16. *verſ. nemo.* Mol. *d.* 96. *verſ. ut vero. Sit incapax.*) Sot. *l.* 4. *q.* 5 *art.* 1. *col.* 7. *Teſtatore*) Caſtro *de leg. lib.* 8. *d.* 9.

Pœnæ promiſſio in matrimoniis & ſponſalibus non obligat, vid. *de ſponſ. matr c.* 29.

Pœnæ non extendendæ ultra caſus jure expreſſos, etſi eadem ratio videatur.

Pœnam non incurrit, qui juſtè non potuit facere impeditus.

A pœna legis humanæ excuſat conſuetudo rationabilis, ignorantia juſta credulitas, Syl. *verb. conſuetud. n.* 12.

Vid. Nav. *conſ.* 23. *n.* 62 Fum. *verſ. conſuetudo num* 3. ſicut enim Lex conſuetudine abrogatur, ſic etiam pœna legis conſuetudine tolli poteſt, non ſublata lege. vid. Azor. *l. c.* 10. *Innocent. Abb. Ioan. Andr.* Syl. *conſuetudo. n.* 7. *&* 11.

Pœna juris contra facientem, intelligitur, ſi opus perficiatur, vid. Pan *c.* 1. *de eo, qui mittit. in poſſ n.* 13.

Pœna ſucceſſiva impoſita ſine termino, finiri ſolet decennio; quod ſi uſque ad beneplacitum imponentis, finitur ejus morte.

Pœnitentia, Pœnitens.

Vide v. *Confeſſio, Contritio, Sacramentum, Satiſfactio, Peccatum.*

1. Sacramentum pœnitentiæ, est sacramentum consistens in actibus pœnitentis & absolventis, institutum à Deo per modum judicii emendativi ad remissionem peccatorum. Est necessarium, tum necessitate medii in re, vel in voto illis qui peccarunt mortaliter post Baptismum; tum necessitate præcepti, & sine eo salus obtineri nequit à lapsis post Baptismum. Dicuntur verò remitti peccata per sacramentum pœnitentiæ in voto, quando remittuntur per contritionem, tenenturque pœnitens adhuc confiteri peccata suo tempore, à quibus per contritionem fuit justificatus. *tom* 1. *de Pœnitentia Sacramento, disput.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num* 1. *& punct.* 3. *nu.* 1. 2. 3 *&* 6.

2. Institutum fuit pœnitentiæ sacramentum Joan. 20. quando post resurrectionem suam insufflavit in discipulos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. ib. punct* 4. *n.* 2.

3. Materia remota sacramenti pœnitentiæ sunt peccata etiam venialia, quæ sunt quoque materia remota saltem sufficiens hujus sacramenti. Dixi, *sufficiens*, quia pœnitens non tenetur in confessione manifestare peccata venialia; & si aliqua confiteatur, potest alia reticere si voluerit, cum ea non sint materia necessaria, sed sufficiens tantum. Nec refert quod Ecclesia possit venialium confessionem præcipere ad majorem utilitatem fidelium. *Ibid. q.* 3 *punct.* 1. *nu* 3 5. *& seq.*

4. Peccatum dubium non est materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, quando pœnitens dubius est de facto; secus dicendum de peccatis semel dimissis, quæ possunt esse materia non confessionis. Hinc est quod pœnitens possit aliqua peccata dimissa confiteri, & aliqua reticere, quia hujusmodi peccata non sunt materia necessaria, sed sufficiens. *Ibid. n.* 9. *& seq.*

5. Solus Sacerdos est minister hujus Sacramenti, ut constat ex Trident. *sess* 14. *c.* 6. Hinc fit, ut confessio [illegible] subdiacono, aut Diacono, etiam in mortis articulo, non subsistat. *ibid. q.* 7 *punct.* 3 *n.* 1. *& seq.*

6. Potestas qua Sacerdos potest à peccatis absolvere, consistit in clave ordinis & jurisdictionis, seu in charactere & jurisdictione delegata vel ordinaria. *Ibid. n* 5

7. Non omnis Sacerdos, per se loquendo, est sufficiens minister istius sacramenti, (præciso mortis articulo, in quo quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, potest valide absol-

solvere,) cum non omnis Sacerdos habeat jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam. *ibid. num.* 7 8 & 9.

8. Præsente Sacerdote excommunicato vitando, aut suspenso, debet simplex Sacerdos toleratus absolvere, etiamsi anteà non haberet jurisdictionem absolvendi; & quia eo in hujusmodi casu absolutus est, non tenetur elapso periculo iterum eadem peccata licet reservata, confiteri. *ibid. num.* 11. & *seq.*

9. Habentes unum solum domicilium in aliquo loco, possunt sua peccata confiteri Paracho loci, in quo domicilium habent: nam Parochus illius loci est proprius eorum Sacerdos. Habentes duo domicilia, in quibus æquè habitant pro diversa anni parte, possunt utrique Parocho in quorum parochia habent domicilia, confiteri. *ibid. punct.* 2 *num.* 1 & 2.

10 Proprius Sacerdos vagorum, est Parochus loci in quo vagi reperiuntur: nam actualis habitatio loci quam pro tempore habent, succedit in locum domicilii. Idem dic de iter agentibus, & peregrinis, qui etiam Parocho loci adquè perveniunt, aut alteri approbato confiteri possunt, modò iter non faciant in fraudem legis, id est, ea solum de causa ut possint aliis confiteri. Sacerdos tamen approbatus in aliqua diœcesi, poterit omnes illius diœcesis ad se concurrentes audire, etiamsi ad ipsum accedant animo vitandi proprium Parochum. Sixtus IV. concessit religiosis facultatem audiendi confessiones extraneorum, modò religiosi sint approbati ab Episcopo loci. *ibid num.* 4 & *seq.*

11. Parochus non potest tempore Paschatis Eucharistiæ sacramentum administrare iis, qui debita opera confessi sunt Sacerdotibus, aut religiosis extra aut intra diœcesim existentibus non approbatis: secus dicendum si approbati sint, & privilegio gaudeant. *ibid nu.* 9.

12. Parochus, seu alter Confessarius qui jurisdictionem in aliquem habet, potest ipsum extra propriam diœcesim audire & absolvere, cum jurisdictio quæ absque strepitu judicii exercetur, (ut in sacramentali absolutione contingit,) possit extra proprium territorium & diœcesim exerceri. *ibid. num.* 10.

13 Qui obtinuit à Sede Apostolica, vel ab Episcopo facultatem eligendi Confessarium, potest sibi eumdem eligere mortuo concedente; quia hæc gratia facta non exspirat

morte

mente concedentis. Hæc tamen doctrina non est applicanda jurisdictioni Vicarii aut Visitatoris : nam hæc exspirat morte Episcopo. *Ibid. punct. 3. num. 2. & 3.*

14. Facultas eligendi Confessarium non finitur per primam electionem, nisi aliter ex circumstantiis colligitur de mente concedentis. *Ibid. n. 4.*

15. Qui facultatem habet eligendi Confessarium idoneum, debet Confessarium ab Episcopo approbatum eligere. *Ib n. 5.*

16. Triplex est jurisdictio, ordinaria scilicet, delegata, & ex concessione juris. Jurisdictio ordinaria est potestas quam quis habet in alios ex officio, qualis est curam animarum habens. Delegatam dicitur habere, qui facultatem obtinuit ab habente jurisdictionem ordinariam, quales sunt deputati ad confessiones audiendas. Jurisdictio ordinaria cessat privatione dignitatis seu officii : jurisdictio delegata cessat tum lapsu temporis, tum per revocationem concedentis. *Ibid. punct. 4. §. 1. num. 6. & 7.*

17. Ille dicitur habere jurisdictionem ex concessione juris, qui absolvit eum, cui à jure vel ex privilegio concessa est facultas eligendi Confessarium. *Ibid. num. 6.*

18. Ut Sacerdos validè administret pœnitentiæ sacramentum laicis aut clericis, debet esse per examen aut alia ratione approbatus ab Episcopo jam confirmato, & habente subditos; aut à Vicario generali, aut à Capitulo Sede vacante : Episcopus tamen censetur sufficienter aliquem approbare eo ipso quod sciens & volens mandat alicui curam animarum ad tempus. Ad confessiones regularium audiendas sufficit licentia Superioris ; communis enim religiosorum usus hoc indicat. *Ibid. num. 9. & 10.*

19. Parochus non potest neque jure communi, neque particulari aliquem non alias approbatum admittere ad audiendas confessiones suorum subditorum. *Ibid. num. 12.*

20. Sacerdos qui probabiliter credit Episcopum vel Papam absolutionem ratam habiturum de futuro, non sufficienter approbatus censetur : secus dicendum, si vidente Episcopo, & non contradicente absolvit. *Ibid n. 13. & 14.*

21. Sacerdos approbari debet ab Episcopo ipsiusmet Confessarii, neque potest Episcopus Sacerdotem non subditum approbare, cum approbatio sit actus jurisdictionis *Ibid. num. 15. & 16.*

22. Sacerdos ab Episcopo approbatus novam licentiam à

Parocho obtinere non debet, in cujus parœcia confessiones audire intendit: Episcopus enim habet jurisdictionem in tota sua diœcesi independenter à Parochis. *Ibid. num* 17.

23. Quod si duo præsint eidem parœciæ, potest uterque independenter ab altero admittere aliquem ab Episcopo approbatum ad confessiones. *Ibid. num.* 19.

24. Habens privilegium eligendi Confessarium, non potest eligere Sacerdotem approbatum ab ordinario alterius diœcesis *Ibid. num*, 21.

25. Parochus tempore Jubilæi potest eligi ad confessiones subditorum alterius parœciæ audiendas in eadem diœcesi non censetur tamen sufficienter approbatus ad confessionem tempore Jubilæi, qui alias habuit beneficium parochiale. *Ibid. num* 23. & 24.

26. Religiosi exempti possunt de consensu sui Superioris absolvi & dispensari ab Episcopis, si se eis subjiciant. *Ib. n.* 26.

27. Religiosi qui possunt quoscumque ad se accedentes audire, non possunt absolvere religiosum alterius ordinis. *Ibid. num* 27.

28. Novitius potest absolvi à censuris reservatis in religione, à quibus potest absolvi professus. *Ib. n.* 28.

29. Ille non censetur sufficienter approbatus, qui fuit admissus ab Episcopo sciente illum non esse idoneum: nam secundùm Concilium Tridentinum debet idoneus judicari: valet tamen approbatio, si Episcopus aliquem judicet idoneum qui reipsa idoneus non est *Ib. n.* 29. & 30.

30. Ad validitatem approbationis non requiritur ut detur in scriptis, consultum tamen est dari in scriptis, & gratis, quamvis valida sit, si gratis non concedatur. *Ib. n.* 32. & 33.

31. Ut Confessarius validè pœnitentiæ sacramentum administret, requiritur in eo probitas, scientia, & cognitio eorum quæ necessaria sunt ad materiam & formam sacramentis prudentia & sollicitudo in præbendis pœnitenti opportunis & debitis remediis, & eo instruendo *Ib.* §. 2. *n.* 2. 4. 7. & 16.

32. Administrans hoc sacramentum in peccato mortali mortaliter peccat *Ib. n.* 3.

33. Confessarius civitatis debet esse instructior eo, qui extra urbem confessiones rusticorum audit. Item major scientia circa Canones requiritur in excipiente confessiones clericorum, quàm in eo qui laicos audit. *Ibid. num* 8. & 9.

34. Si Confessario occurrat casus aliquis difficilis, quem ne-

nequit statim d ſſolvere; nec poteſt tunc temporis ſufficientem inquiſitionem, aut conſultationem adhibere, poterit abſolutionem impendere, ſi pœnitens promittat ſe facturum, quod poſteà judicatum & reſolutum fuerit. *Ib n.* 10.

35. Confeſſarius inter audiendas confeſſiones attendere debet ad peccata, ut de illis judicium ferat: audito tamen quolibet peccato non tenetur in particulari explicitè judicare, an ſit mortale aut veniale; & pœnitens qui bona fide confeſſus eſt Confeſſario neſcienti diſcernere inter mortale & veniale, validè abſolvi poteſt. Idem dicendum, quando Confeſſarius injuſte abſolvit, vel errat in imponenda ſalutari pœnitentia. Neque pœnitens tenetur iterum confiteri peccatum alias confeſſum, quod nunc ipſe vel Confeſſarius cognoſcit eſſe mortale, ſed uterque ipſius gravitatem ante ignorabat. *Ibid, n* 11. *& ſeq.*

36. Confeſſarius poteſt licitè abſolvere pœnitentem nondum facta reſtitutione, modo pœnitens firmum habeat propoſitum faciendi quàm primum, quod facere tenetur *Ib. n.* 19

37. Parochus poteſt & debet à ſacramentis eos repellere, qui decimas non ſolvunt, nec parati ſunt ſolvere: ſecus dicendum de Eccleſiaſtica ſepultura: hoc enim jus competit Superiori & judici in foro externo. *Ib n* 20.

38. Confeſſarius tenetur pœnitentem de obligatione reſtitutionis admonere, quoties judicaverit expedire: quod ſi pœnitentem non admonuit de reſtitutione facienda, non idcirco tenetur reſarcire damnum quod tertius patitur ob prætermiſſam à Confeſſario admonitionem, niſi fortè ex culpa lata, aut ignorantia craſſa, aut ſcienter conſuluerit & dixerit pœnitentem non teneri: nam tunc culpabiliter exercuit actionem damnificativam: ſi tamen opportunè admoneat pœnitentem de reſtitutione facienda, cenſetur retrahere influxum, quem exhibuerat in damnum tertii. *Ibid. num* 21. *&* 22.

39. Parochus aut alius curam animarum habens, tenetur pœnitentis confeſſionem toties audire, quoties pœnitens vult rationabiliter confiteri, & expedit ſaluti pœnitentis; niſi fortè Parochus tunc temporis ſeriis detineatur negotiis. Epiſcopus ſimiliter tenetur confeſſiones ſubditorum audire, ſaltem in gravi neceſſitate, ſi petatur. *Ib. n.* 23. *&* 25.

40. Confeſſarius ſaltem ex officio tenetur abſolvere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cujus contrariam Confeſſarius ſequitur. *Ibid. num* 26. *&* 27.

41. Materia proxima sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, videlicet, contritio, confessio, & satisfactio, qui actus sunt non solùm partes integrales sacramenti pœnitentiæ, verum etiam essentiales, saltem confessio & contritio, seu dolor aliquis formalis, quo qui caret, non recipit sacramentum pœnitentiæ, quantumcumque habeat actum dilectionis Dei. Per *dolorem* intellige dolorem naturalem, sine quo confessio facta, etiam venialium, est invalida. Quamvis ad fructum sacramenti requiratur attritio supernaturalis, quæ perfectior est actu naturali, de qua attritione supernaturali intelligenda sunt Concilia, dum asserunt ad sacramentum requiri attritionem. Quod si quis bona fide recipiat absolutionem, cum sola attritione naturali, validum quidem, sed informe erit pœnitentiæ sacramentum. *Ib quæst. 3. punct. 2. n. 1. & seq.*

42. Quæres, an dolor efficax esse debeat. Resp. debere esse efficacem, & talem per quem excludatur propositum peccandi, sufficietque hujusmodi dolor elicitus ante confessionem, vel in ipsamet confessione, vel post, antequam pœnitens absolvatur. *Ibid. num. 13.*

43 Liberum est Confessario injungere satisfactionem ante vel post absolutionem. *Ibid. n. 21.*

De forma sacramenti Pœnitentiæ.

44. Forma sacramenti pœnitentiæ consistit in his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis*: imò ad essentiam & valorem sacramenti sufficiunt hæc duo verba explicitè prolata, *absolvo te*. Quare non est necessarium adjungere invocationem sanctissimæ Trinitatis. Neque opus est addere in forma hæc verba: *Auctoritate vel potestate mihi à Christo concessa*: neq; *à peccatis de quibus confessus es Ibid. qu. 4. punct. 1. n. 1. & seq.*

45. Absolutio collata hoc modo, *Absolvatur servus Christi*, valida est, quia his verbis sufficienter exprimitur actio ministri; estque verus sensus formæ, & Sacerdos verè absolvit à peccatis, modo non adsit obex ex parte pœnitētis. *Ib. n. 7. & s.*

46. Mutata substantialiter forma sacramenti pœnitentiæ, irritum est sacramentum; validum est verò, quoties mutatio est solum accidentis, ut diximus de aliis sacramentis. Unde valet, si dicatur *remitto*, loco verbi *absolvo*, aut si loco particulæ *ego*, dicatur *nos*, aut absolvendo Regem, *absolvo majestatem tuam*, aut, *vos absolvo*, si plures in periculo naufragii existen-

sientes, unica forma absolvat Confessarius. Validum est similiter pœnitentiæ sacramentum, quando constructio ex activa in passivam mutatur, modo idem verborum sensus permaneat aut si forma modo imperativo proferatur, ut si dicatur, *absolvatur à me* : secus dicendum, si sacramentum administretur sub forma modo deprecativo prolata, ut si dicatur, *absolvat te Deus* quia non remanet idem verborum sensus, & pœnitentiæ sacramentum institutum est per modum judicii, in quo non sufficit ferre sententiam modo optativo. *Ibid. punct. 2. n. 2 & seq.*

47. Præterea non est validum pœnitentiæ sacramentum administratum hac forma, *jubeo te esse absolutum*, &c. sicut etiam nec validum esset, si omitteretur particula *te*. *Ibid. n* 9.

48. Observa tamen committi peccatum, quoties mutatur forma, etiamsi eadem significatio remaneat; quilibet enim tenetur se communi usui Ecclesiæ accommodare. *Ibid. num.* 11.

49. Validum erit sacramentum pœnitentiæ, etiamsi aliqua conditio de præsenti, vel de præterito apponatur in forma: dummodo non sit de futuro, ut diximus in aliis sacramentis. *Ibid. punct. 3. n. 1. & 2.*

50. In distinctis confessionibus, valide & licite iterari potest absolutio super iisdem peccatis semel ritè confessis, ut fit in confessionibus generalibus, receptis ex usu Ecclesiæ. *Ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

51. Absolutio collata pœnitenti absenti, non est valida, quamvis pœnitens in articulo mortis existat, estque invalida confessio & absolutio facta per litteras inter absentes; esset tamen valida, si pœnitens per litteras mittat peccata sua Confessario, deinde in præsentia ejusdem Confessarii, dicat se de omnibus illis accusare, & ab eodem Confessario absolutionem obtineat in præsentia; quæ absolutio dari non potest in scriptis, vel aliis signis, sed necessariò voce proferenda est; & in hoc differt à confessione, quæ fieri potest nutibus & signis. *Ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

ADDITIO.

Quæres, quæ sit materia sacramenti pœnitentiæ. Resp. ut in baptismo duplex est materia, remota, nempe aqua, propinqua, aquæ ablutio, sic in sacramento pœnitentiæ duplicem esse materiam remotam, peccata nempe, & propinqua actus

pœ-

pœnitentis. Quod autem peccata sint materia, probatur 1. quia pœnitentia non est aliud, quàm dolor de peccatis, 2 quia materia propinqua pœnitentiæ sunt contritio & confessio: at illa sunt de peccatis, ergo. 3 quia ubi nullum est peccatum, nulla potest dici absolutio sacramentalis ergo

Quæres: Quis sit finis, vel effectus hujus sacramenti. Resp. esse remissionem culpæ, & collationem gratiæ, qua aliquis restituitur divinæ amicitiæ. Nomine culpæ intelliguntur omnia peccata mortalia, nam unum sine alio non remittitur Non autem omnia venialia, neque enim homo tenetur omnia venialia confiteri, & fieri potest, ut nolit dolere, vel confiteri de aliquo peccato veniali. 2 cum culpa remittitur pœna æterna, & commutatur in pœnam temporalem, non autem remittitur semper pœna temporalis; nam alioqui non opus esset satisfactione, licet fieri possit, ut omnino etiam pœna temporalis remittatur per absolutionem, si vehemens contritio præcesserit, vel pauca fuerint peccata pœnitentis. 3. Si pœnitens fuerit in gratia, quando confitetur, tunc non remittitur nisi culpa venialis, & semper augebitur gratia. Busæus.

Quæres: An Sacerdos semper teneatur pœnitentiam injungere. Resp. affirmativè: Excipiuntur tamen tres casus, 1. quando pœnitens ob gravitatem morbi nullam potest amplius facere pœnitentiam, ut habetur *cap. ab infirmo. 26. q. 7.* si autem potest aliquam aliam facere, tenetur ei imponere leviſſimam, ut tunsionem pectoris, signum crucis, &c. 2. casus est, quando scrupulosus eodem tempore sæpius redit ad confessionem, & nova narrat peccata, ut absolvatur. 3. quando creditur integrè satisfeciſſe pro peccato, ut habet Cajet. *in sum.* Vict. Ledesm. Fumus, afferunt quartum casum, si probabile est, pœnitentem nullam admissurum pœnitentiam.

Pollutio, seu mollities.

Vide v. *Matrimonium.*

1. Pollutio voluntaria est peccatum mortale, & contra ordinem naturæ, & naturam generationis. Dixi, *voluntaria*, ut innuerem, pollutionem in somnio expergefacto non esse peccatum mortale. Tunc autem pollutio censetur voluntaria & peccatum mortale, quando provenit ex causa proxima notabiliter influente in pollutionem, si non sit necessaria, utilis, vel

vel honesta. *tom.1. de iis, quæ pertinent ad usum matrimonii, q. 4. punct.* 10. *n* 3. *& seq.* Unde

2 Illa pollutio non est peccatum mortale quæ sequitur vi naturæ, aut ex causa aliqua quæ habet alium effectum, qualis est ebrietas, comestio ciborum calidorum, aspectus vel locutio cum femina, agitatio itineris vel cursus equi, tactus licitus seu amplexus juxta patriæ consuetudinem, modò non sit intentio pollutionis, vel periculum consensus in illam. Quando pollutio provenit ex causa venialiter luxuriosa, non est peccatum mortale. *Ib. n.* 6. *& seq.*

3. Non est licitum procurare pollutionem propter sanitatem, sicut nec procurare magnam commotionem spirituum ordinatorum ad pollutionem. Non est similiter licitum desiderare pollutionem vel de illa jam secuta gaudere ex affectu libidinis, vel ob delectationem ipsius; cùm hoc sit directè consentire in pollutionem. *Ibid. nu.* 11. 13. *&* 14.

4. Pollutiones sunt ejusdem speciei, si secundùm se sumantur, per accidens tamen possunt esse diversæ speciei ratione circumstantiæ adjunctæ habentis diversam speciem malitiam. *Ibid num.* 15.

5. Maritus qui incepit copulam cum uxore, non potest sine causa urgentissima ab ea desistere antequam ipse aut uxor seminaverit; faceret enim injuriam uxori quæ habet jus petendi copulam: secus dicendum de fornicante, qui potest desistere ab inchoata copula, etiamsi femina renuat *Ibid. num.* 16. *&* 17

ADDITIO.

Quæres: An pollutio sit culpabilis, ex eo, quod non restiterit scienter. Resp. 1 Si cogitatio & delectatio ita placuerit, ut inde evenire, tunc est peccatum, quia directè fuit intenta. Resp. 2. Si cogitatio & producta delectatio non eo fine placuerit, & orta fuerit ex re bona & utili, ut auditis confessionibus, non esse peccatum. Difficultas autem est in duobus casibus. 1. An qui novit pollutionem inde secuturam, teneatur abjicere cogitationem & delectationem. 2 An qui non abjecta cogitatione videt pollutionem secuturam, peccet permittendo illam.

Resp. 1 Eum non teneri abjicere cogitationem, vel delectationem quæ sequitur ex actione vel lectione aliqua utili vel bona.

Resp.

Resp.2. Quia probabile est, periculum consentiendi pollutioni culpæ imputari, ob pollutionem quæ creditur secutura ut dicit Cajet.

Resp 3. Quamvis culpabilis esset cogitatio, aut delectatio turpis à voluntate non repulsa, non tamen novæ culpæ imputari pollutionem inde secutam, quando tamen prævisa est, & non formaliter intenta, vel ex natura rei, ex aliquo opere consecuta. Hæc Busæus.

Quæres: An pollutio inchoata in somno, perfecta autem in vigilia, sit peccatum. Resp, secundùm communem sententiam non esse, quia illi deest consensus. Resp 2. Pollutionem in vigilia secutam statim post expergefactionem à somno, fere tantùm esse veniale peccatum, tum quia abest plena deliberatio, & judicium rationis, tum quia aliquando difficulter impediri potest emissio seminis. Hæc Busæus.

Quæres: Si quis studiosus deprehendat ex lectione aliqua necessaria, vel utili, alicujus Poetæ, sibi accidere pollutionem nocturnam, vel diurnam, an debeat idcò abstinere: & similiter si deprehendat sibi accidere pollutionem si supinus dormiat, an debeat abstinere. Resp Si lectio illa non sit curiosa, sed necessaria, & valde utilis, illum non peccare, modo in pollutionem non consentiat, similiter, si quis nocte non possit dormire nisi supinus, non tenetur propter pollutionem illum modum dormiendi, damno sanitatis relinquere, modo sibi in eo non complaceat. Hæc Busæus.

ADDITIO.

Præceptum.

Præceptum de re levissima non obligat ad mortale, etiamsi, qui præcipit, id velit, nisi quis se voto obligasset ad omnia jussa, tunc enim fortè possit etiam in re levi, ut si diceret, in virtute obedientiæ, aut quid simile. Vide Sylvest. *verb. præceptum. n.* 23 & Navar. *c.* 11. *num.* 4. Enam. Sa *in Aphorism.*

Præcipi non potest, ut quis revelet peccatum suum omnino occultum. Vide Fum. *obedientia, num.* 4. Sylv. *homicidium.* 4. Sa *in Aphor.*

Duobus præceptis concurrentibus majus obligat. Adrian. *quod. l. art.* 2. Val. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 18 *p.* 4. *col.* 5. *communi.* Nav. Sa *in Aphor.*

ADDI-

ADDITIO.

Prædicare.

Prædicans in statu mortalis peccati, non peccat mortaliter, si abſit ſcandalum. Sot. *diſt* 1. *q.* 5 *art.* 6. *col.* 6. Cajet. *verſ prædicator, peccata*, Contrarium placet Navar. *cap.* 25. *n.* 141. peccat autem ratione ſcandali, quando peccatum ejus eſt publicum. D. Thom. & alii.

Nullus Epiſcopo contradicente prædicare præſumat, *ex Concil. Trident.* Excepit Pius V. Mendicantes in ſua Eccleſia prædicantes, niſi Epiſcopus vellet prædicare. Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reform.*

ADDITIO.

Prælatus.

Prælatus dicitúr, qui Eccleſiæ collegiatæ ſæculari vel regulari præficitur. Itaque Priores & Guardiani ſunt Prælati, & in dignitate. *v. gl. c.* 28 *de elect l.* 6. *v.* Syl. *v. prælatus, n.* 1. Fum. 16.

Prælatus propriè non dicitur eſſe de Capitulo, vel de conventu,

Geſta per Prælatum toleratum, valida ſunt, etiamſi jure titulum amiſiſſet.

Prælati bona ſunt tacite hypothecata pro mala Eccleſiæ adminiſtratione Syl. *v. dos.* 15. *quæſt.* 12. *nu.* 14. Gl. *cap. ex litteris, de pign.*

Præſcriptio.

Vide v. *Reſtitutio.*

1. Præſcriptio eſt acquiſitio ſeu adeptio dominii utilis, vel directi rei alienæ per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei ſpatio temporis à lege definiti. Ad legitimam præſcriptionem quinque conditiones requiruntur, videlicet poſſeſſio continuata: capacitas activa reſpectu poſſidentis, & paſſiva reſpectu rei quæ poſſidetur: bona fides ſeu credulitas, qua quis prudens judicat rem ſuam eſſe, vel ſaltem ignorat eſſe alienam, modo ignorantia non ſit craſſa vel affectata: titulus probabi-

liter præsumptus, quo accipiens credat tradentem esse legitimum rei traditæ dominum: ultima conditio est tempus à lege definitum, videlicet ad præscriptionem bonorum mobilium quæ propriè vocatur usucapio, requiritur spatium trium annorum cum titulo & bona fide inter præsentes; inter absentes vero requiritur spatium quatuor annorum : ad præscriptionem verò rerum immobilium requiritur contra privatos spatium decem annorum inter præsentes, & inter absentes spatium viginti annorum; at contra rem immobilem Ecclesiæ & loca pia, (excipe Romanam Ecclesiam,) requiritur spatium quadraginta annorum. *tom 2. de restitutione in genere, disp. quæst ult. punct 2 §.2 num.* 1. 2. 5. 14. 15. 22. & 28.

2 Ex dictis sequitur, habentem rem alienam apud se depositam, vel commodatam, vel conductam, non posse eam præscribere, quia eam non possidet suo nomine : & religiosum non posse aliquid præscribere, cùm in eo deficiat capacitas active; similiter neque hominem liberum præscribi posse, deficit enim capacitas passiva : sequitur præterea, debitorem qui jam triginta annis elapsis non solvit debitum, non posse illud præscribere, cum non dicatur habere bonam fidem, & eum qui gratis aliquid solvit singulis annis non acquirere obligationem idem semper solvendi, quia non adest titulus, ob quem acquirat obligationem solvendi. *Ibid. n* 4. 7. 9. 16. & 21.

3. Advertè autem, præscriptionem currere & non interrumpi, quando possessio unius rei transit de uno ad alterum, ita ut si computato tempore utriusque possidentis elapsum sit tantum temporis, quantum requiritur ad præscriptionem, res censeatur præscripta, modò uterque possessor bonâ fide possederit. *Ibid. num* 21.

4. Legitima præscriptio excusat à restitutione, non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ; nam possidens rem alienam bona fide, facit illam suam per continuationem temporis à lege constituti; nullus autem tenetur ad restitutionem rei, cujus habet dominium: verum tamen est, minoribus, locis piis, ac Ecclesiis concedi restitutionem in integrum auctoritate judicis. *Ibid. num.* 33. & 34.

Precarium.

1. Precarium est contractus, quo quis concedit aliquid alteri, cum potestate illud repetendi quoties voluerit. Dicitur pre-

precarium eò quod fiat precibus illius, in cujus commodum conceditur. In precario requiritur traditio rei, & ut ille qui tradit precarium, possit illud repetere, quoties voluerit, nisi aliter postulet charitas; ut accidit, quando non potest repetere sine gravissimo detrimento illius qui precarium accepit. Et praeterea in precario non potest pactum iniri, ut ille qui tradit precarium, non possit repetere, nisi post certum tempus; hoc enim repugnat contractui precarii *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 15. punct. unic. num. 1. & seq.*

2. Precarium finitur vel voluntate illius qui illud concessit, vel per venditionem precarii factam à domino; vel per mortem illius qui accepit precarium. Quod si precarium concessum sit sub hac forma, *usque ad meum beneplacitum, vel donec voluero*, precarium expirabit morte concedentis, ut dictum est v. *Privilegium. ibid. num. 5.*

Princeps.

Vide v. *Privilegium.*

Privilegium.

Vide v. *Lex.*

1. Privilegium est lex, qua conceditur aliquid speciale. Multiplex est privilegium, aliud scriptum, aliud non scriptum, aliud reale, quod directè conceditur alicui rei, ut loco, dignitati; aliud personale, quod conceditur immediatè personæ ratione sui; aliud gratiosum, aliud remuneratorium, aliud conventionale, & aliud purum, aliud perpetuum, aliud temporale, seu quod impleta tali vel tali conditione cessat. *tom. 2. de Legibus in genere, & in particulari, disp. 1. q. 3. punct. 1. num. 1. & seq.*

2. Privilegium ab eo conceditur à quo lex ferri potest, & consequenter Imperator & Rex possunt existentibus in sua ditione, & Papa directè in spiritualibus omnibus privilegia concedere. Episcopus quoque potest in propriis statutis privilegia suis subditis conferre. *ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

3. Privilegia contra jus illi tantummodò concedi possunt, qui aliquo modo sunt subditi, quia cum per privilegium homo eximatur à lege, illis solum concedi possunt, qui sunt aliquo modo subditi. *ib. n. 5.*

4. Privilegium vel dispensatio validè potest obtineri absque mandato vel scientia illius, in cujus favorem obtinetur seu privilegiarii, & consequenter valet dispensatio obtenta à Titio ad contrahendum cum affine vel consanguinea, quamvis ipsa non sit conscia dispensationis: imò validè potest obtineri dispensatio pro invito & nolente, & Superior habens talem facultatem, pro istis dispensare potest. *Ib. punct.* 3. *n.* 1. & *seqq.*

5. Privilegium non habet vim donec acceptetur ab eo qui conceditur, aut ab ipsius nuntio vel procuratore qui vicem ipsius gerat; unde valent gesta à privilegiario facta postquam per nuntium privilegium acceptavit, etiamsi ipse hoc ignoret. Item valida est confessio facta Sacerdoti ignaro concessionis sibi ab Episcopo factæ, si hæc jam acceptata fuerit ab ipsius procuratore; secus dicendum, si licentiam sibi concessam cognovit per alium quàm per nuntium; neque potest privilegiarius uti privilegio, antequam ab ipso vel à procuratore acceptetur: sicut & invalida est quoque commutatio voti antequam acceptetur; & concedens privilegium, potest illud revocare antequam acceptetur à privilegiario. *Ibid. n.* 5. & *seq.*

6. Obtinens privilegium per nuntium ne possit ab aliquo excommunicari, gaudet privilegio statim ac illud acceptatum fuit à nuntio, privilegiumque prodest privilegiario antequam innotescat illi in cujus damnum conceditur. *Ib. n.* 14. & 16.

7. Materia privilegii debet esse honesta, rationabilis, favorabilis; & debet consistere in aliqua facultate ad agendum aliquid vel non agendum, ad recipiendum, vel non recipiendum. *Ibid. punct.* 4. § 1. *n.* 1.

8. Effectus privilegii respectu privilegiarii consistit in facultate aliquid faciendi vel omittendi, quamquam teneatur aliquando privilegiarius uti suo privilegio, quando scilicet ex omissione usus privilegii sequitur aliorum præjudicium. *Ibid. nu.* 2. & 3.

9. Ut autem validi sint actus facti virtute privilegii, requiritur ut servetur forma substantialis contenta in privilegio, quia actus sine forma substantiali celebratus, non est validus. *Ibid.* § 2. *num.* 1.

10. Quando alicui datur privilegium, seu facultas aliquid faciendi de alterius consilio, tenetur per se loquendo, petere consilium; & opus aliter factum, irritum est; sed non tenetur

illud semper sequi: quia aliud est petere consilium, aliud secui consilium. *Ibid. num* 3. & 4.

11. Privilegio absolutè & absque determinatione loci con-esso, privilegiarius uti potest quolibet in loco concedentis; si de mente concedentis aliter constet *Ibid punct* 5. *n.* 1.

12. Quando Papa concedit facultatem vescendi lacticiniis in Quadragesima ob inopiam piscium in tali vel tali regione, non licet uti dicto privilegio ultra talem regionem; alias privilegium à Papa, considerato ut est pastor universalis, concessum, ubique terrarum valet. *Ib. num.* 3.

13. Privilegiarius potest præciso scandalo, aut alia circumstantia, ubique, etiam extra territorium concedentis, uti dispensatione seu privilegio personali sibi concesso absque determinatione loci, modo in alieno territorio non extet specialis aliqua prohibitio; & sic qui ab Episcopo dispensationem obtinuit in voto castitatis, ut possit debitum à sua uxore petere, potest debitum ab ea ubique petere, & absolutus ab excommunicatione remanet ubique absolutus, sicut & habens facultatem eligendi Confessorem, potest illum ubique eligere, &c. *Ibid. punct* 6 *num* 4. *& seq.*

14. Privilegium pure favorabile, in quo nulli præjudicium affertur, latè explicandum est, quantum rationabiliter judicatum fuerit, servata verborum proprietate: privilegium verò odiosum nisi aliter dictet recta ratio, prudentia, gravis aliqua causa, vel necessitas, strictè explicandum est, servata verborum proprietate, juxta illam regulam juris: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* quamquam privilegia quæ continentur in jure communi, non videntur strictè explicanda, sicutneque dispensatio quæ per legem vel Canonem conceditur, cùm gradus remotior trahat ad se minus remotum, dispensatioque concessa in tertio gradu, extenditur ad secundum cum tertio, privilegium autem contra jus commune, strictè explicandum est; privilegiumque irregulari concessum ad beneficia, censetur solum concessum ad beneficia simplicia *Ibid, punct.* 7. §. 1. *num.* 4. *& seq.*

15. Privilegium quod præbet occasionem peccandi, vel quod ad lites concessum est, strictè accipi debet; sicut & privilegium quod vergit in præjudicium tertii, secus dicendum de facultatibus Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, aut absolvendi à reservatis: hæ enim latè explicandæ sunt, sicut & facultas Episcopis concessa in Tridentino. *Ibid. n.* 11. *& seq.*

16. Potestas concedendi privilegium non est explicanda modo quo explicatur ipsum privilegium. *ibid. num.* 14.

17. Privilegium concessum *ad instar* alterius privilegii explicandum est, ut per ipsum concessus censeatur omnis favor & gratia cum eadem extensione & limitatione quæ continetur in alio ad instar cujus privilegium est concessum: hoc enim significationem admittit illa particula, *ad instar ibid.* n. 12.

18. Privilegium censetur solummodo concessum iis personis vel rebus quæ sunt in privilegio expressæ, vel quæ non comprehenduntur, propter significationem vocis, aut propter materiæ, aut actionis connexionem, vel propter juris dispositionem. *Ibid.* § 2. *num.* 1

19. Privilegium concessum religiosis extenditur etiam ad moniales; concessum filiis extenditur ad filias, fratribus ad sorores; item privilegium concessum bonis mariti extenditur etiam ad bona uxoris, communia cum bonis mariti.

Privilegium quoque concessum Sacerdoti, ut possit celebrare tempore interdicti, extenditur ad alterum qui inservit Sacerdoti. Uxor præterea gaudet privilegiis nobilitans obtentis à viro, sed non privilegiis clericatus. *Ibid. n.* 2 & *seq.*

20. Privilegium alicui concessum audiendi officia tempore interdicti, extenditur etiam ad familiares & domesticos. *Ibid. num.* 8.

21. Filius non gaudet privilegiis patris, excepta nobilitate, aut alia concessione à jure facta. *Ib n.* 20.

22. In dispensationibus non est argumentandum à paritate rationis, vel à majori ad minus, modo minus non includatur in majori; tunc enim dispensatio seu privilegium extendi videtur ad minus, quia qui concedit totum, censetur etiam concedere partes. *Ibid num* 12.

23. Privilegium personale amittit vim suam per mortem illius cui concessum fuerat, & privilegium reale non extinguitur morte illius cui concessum fuerat, sequitur enim rem ipsam, & successivè transmittitur ad illos qui rem ipsam acquirunt. Idem dic de privilegio concesso dignitati vel officio, quod transit ad illos qui talem dignitatem vel officium successivè obtinent. *Ibid. punct.* 8 § 1. *num.* 1. & *seq.*

24. Commissiones datæ Vicario Episcopi, possunt expediri per successorem, eo amoto ab officio vel mortuo; commissiones verò datæ officiali Episcopi, sunt expediendæ per officialem principalorem, si Episcopus duos habeat officiales. *Ibid. n.* 9. & 10.

25. Ca-

25. Canonicus potest post resignationem Canonicatus cognoscere de causa sibi personaliter commissa tempore Canonicatus; quia commissio personalis sequitur personam instar privilegii: at commissio facta legato, etiam sub nomine dignitatis, extinguitur finita legatione, & non transit ad successorem, quia legatus non dicitur propriè habere successorem. *Ibid. n.* 14. & 15.

26. Petes, an is cui datur commissio, debeat in dignitate existere tempore rescripti, vel repræsentationis, vel potius utroque tempore Reip. sufficere, ut is cui dispensatio committitur, in dignitate existat tempore impetrationis, seu *datæ*, ut vulgo dicitur, quamvis præsentationis tempore remotus fuerit abilla dignitate. *Ibid. n.* 17.

27. Ille cui delegatur potestas dispensandi, non potest per alium dispensationem expedire, potest verò receptionem testium & informationem alii committere. *Ibid. n.* 18.

28. Privilegium ritè obtentum, seu gratia jam facta, non cessat morte concedentis, modo privilegium concessum sit simpliciter sine aliqua conditione, seu particula restringente usque ad mortem concedentis; & modo sit acceptatum ante mortem concedentis: quamquam multi probabiliter contrarium sentiant. *Ibid. num.* 19.

29. Jurisdictio alicui data sub nomine dignitatis, non extinguitur morte concedentis, ut si dicatur: *Sedes Apostolica hoc tibi negotium demandat. Ibid. num* 32.

30. Privilegium concessum ad beneplacitum concedentis, expirat morte concedentis, quia beneplacitum concedentis cessat morte concedentis. *Ibid.* § 2 *num.* 3.

31. Privilegium gratuitum, quo alicui subdito datur facultas faciendi contra jus, vel potius præter jus, potest ex justa causa revocari à concedente, vel à successore, vel ab ejus Superiore, consequenter privilegium amitti potest per revocationem illius; secus dicendum de privilegio dato per contractum onerosum, & dato in remunerationem, quod Superior revocare nequit sine debita compensatione *Ibid.* § 3. *n.* 1. & 2.

32. Privilegium revocatur vel expresse per verba sufficienter indicantia revocationem privilegiorum in specie vel in genere; vel revocatur tacitè, ut si concedens faciat aliquem actum, qui non possit subsistere absque derogatione privilegii, ut si Princeps jubeat exigi tributum ab eo quem exemerat à tributis. *Ibid. num.* 11. & 14.

33. Dispensationes alicui concessæ in foro externo à Summo Pontifice, non censentur revocatæ per clausulam generalem revocantem privilegia. Neque revocatio facta per huiusmodi clausulam generalem extenditur ad Bullam Cruciatam, aut ad privilegia contenta in Conciliis generalibus, nisi aliter constet de mente concedentis, aut nisi privilegium immediate redderetur. *ibid. nn.* 12 & 13.

34. Per legem subsequentem non revocantur privilegia non contenta in corpore juris, nisi fiat mentio privilegiorum: item neque per particulare mandatum seu præceptum, seu rescriptum Principis: neque per subsequens privilegium contrarium; revocatur tamen per sententiam latam contra illum ab eo qui potest privilegium auferre. *Ibid. n.* 15. & *seqq.*

35. Rursus revocatio privilegii fit adhuc per legem publicam seu promulgatam, & per privatam revocationem. *Ibid. n.* 19.

36. Utroque modo facta operatur suum effectum privatæ, postquam pervenit ad notitiam illius cui concessum fuit privilegium *Ib. n.* 20.

37. Confessarius validè absolvit facta privatim revocatione facultatis sibi ignotæ; secus dicendum, si revocatio facta fuit per legem; quia revocatio facta per legem sortitur suum effectum, quamvis ignoretur. *Ibid. n.* 22.

38. Quæres, cuinam facienda sit revocatio privilegii concessi communitati, vel Collegio, vel ordini, vel civitati, vel Provinciæ, &c. Respond. sufficere, si fiat corpori, seu communitati, & non esse necesse, ut innotescat singulis. Idem sanè est, ut revocatio publicetur in loco cui concessum fuerat. *Ibid. n.* 24.

39. Privilegium amittitur per voluntariam privilegii renuntiationem factam à privilegiario, & acceptatam à concedente, non autem amittitur per renuntiationem factam per dolum vel metum. *Ibid.* § 4. *n* 1. & 2.

40. Privilegium affirmativum quo conceditur facultas aliquid faciendi in gravamen aliorum, amittitur per non usum privilegii, quatenus illi in quorum gravamen cedit privilegium, præscribunt exemptionem à tali onere per tempus legitimum: privilegium verò quod non cedit in gravamen alterius, non amittitur per non usum. *Ibid* §. 5. *n.* 3 & 4.

41. Privilegium amittiturne per contrarium usum, id est, per actum contrarium privilegio? Respond, amitti per usum ma-

materialiter, & formaliter contrarium toti privilegio. Ut autem actus dicatur contrarius privilegio, debet fieri ab ipsomet privilegiario. *ibid.* §. 6. *n.* 24 & 11.

42. Privilegium non amittitur, quoties ex signis & conjecturis sufficienter constat privilegiarium aliquid seciſſe animo non renuntiandi. *ibid. num.* 5.

43. Si Privilegium cedit in utilitatem privatam: ille potest renuntiare privilegio, in cujus favorem concessum est; quando verò privilegium concessum est ob bonum commune, non potest à privata persona renuntiari, etiamsi redundet in bonum illius personæ privatæ, modo bonum privatum non sit separabile à communi. *ibid. num.* 7. & 10.

44. Privilegium quod habet tractum successivum, præcisa protestatione, amittitur secundum quid in utroque foro per quemlibet actum materialiter & formaliter contrarium privilegio, modo fiat ab eo qui potest privilegio cedere, vel de ipsius consensu & voluntate; secus dicendum de privilegio quod respicit unum actum, seu quod fit incontinenti: hoc enim simpliciter tollitur per unum actum contrarium præcisa protestatione, quia renuntiatio quoad unum actum in tali eventu censetur renuntiatio simpliciter. *ibid. num.* 14. & 16.

45. Qui abutitur privilegio contra finem & causam privilegii, vel ultra limites & terminos illius, ipso jure amittit privilegium quoad effectum quem agit; nam talis abusus tollit fundamentum privilegii; & actus censetur factus sine potestate, & consequenter irritus quoad id in quo excedit potestatem *ibid.* §. 7. *n.* 6.

ADDITIO.

Gratia, vel privilegium, in quo dicitur, donec voluero, vel, donec aliter ordinavero: vel, ad beneplacitum sedis Apostolicæ, durat mortuo concedente. Quòd si dicat Papa: ad nostrum beneplacitum, expirat eo mortuo, *c. si gratiosè, de rescript. in* 6. & est communis, vid. Fum. *l. c. num.* 9. In privilegio nomine marium intelliguntur etiam feminæ.

Privilegium Principis intelligitur sine præjudicio tertii, alioſaltem, quam excepto: *c. super eo, de offic. deleg.* Navarr. *cons.* 2. *de jud. n.* 3.

Privilegium in dubio non præsumitur revocatum, *glos.* 23. 9. 2 *privil.*

Privilegium extenditur ad casus similes : latissimè enim interpretandum, ubi id verba permittunt, Syl. *l. c. num.* 3. Fumus *num* 5.

Privilegium non tollit legem, aut consuetudinem, aut jus privati, nisi exprimat nominatim derogando. vid Jason. in *l. quomod. Princip. ff. de const. princ. num.* 16. *rub. gloss. antepen. de cap. monach. lib.* 6.

Privilegia Mendicantium non revocantur, nisi de illis fiat expressa mentio.

Privilegio dato à Papa, non possunt religiosi renuntiare, sine ejus licentia.

Privilegio sibi cum aliis communi non potest quis renuntiare sine superioris licentia, vid. Fum. *Privilegium n.* 9. Syl. *eod. n.* 19. §. 8.

Procurator.

Vid. v. *Accusator.*

Professio.

Vide v. *Apostata, Religiosus, Votum.*

Promissio.

Vide v. *Sponsalia.*

1. Promissio est datio fidei, deliberata, vera, & spontanea; de re licita & possibili. *tom.* 2. *de Contractibus, disp.* 3 *q.* 12. *punct* 1. *num.* 1.

2. Qui promittit animo promittendi seque obligandi, sed cum animo non adimplendi, tenetur stare promissioni: nam ex promissione facta animo promittendi & se obligandi naturaliter consurgit obligatio adimplendi promissionem; secus de eo qui promittit, ignorans naturam promissionis, nisi intendat facere quod alii faciunt promittendo. *ibid. n.* 8. & 9.

3. Promissio facta ad indicandum tantum animi desiderium, vel affectum, vel propositum; aut facta urbanitatis gratia, non obligat, quia promittens non intendit se obligare. Idem dicendum de promissione facta per dolum aut

metum

metum saltem gravem, hæc enim non obligat, nisi juramentum ei addatur, *ibid. num.* 12. 13. & 14.

4. Qui interius promisit Deo se ducturum aliquam feminam quam defloravit, sub promissione matrimonii, tenetur promissionem Deo factam adimplere; quia hujusmodi promissio est de re meliori, quam sit ejus omissio, cum sit de re quam promissor tenetur facere. *ibid. num.* 20.

5. Promissio quæ fit Deo, non obligat, si sit impeditiva majoris boni, obligat autem si fiat homini, & quando semel ab homine acceptata est, non potest auferri absque consensu illius cui facta fuit: at promissio facta Deo quæ obligat ut votum, potest per commutationem vel dispensationem tolli. *ibid num.* 23

6, Promissio mere interna non obligat, nisi fiat per modum voti de meliori bono, quia ut promssio obliget, debet acceptari, sed promissio interna nequit acceptari, nisi exterius proferatur, ergo, &c. At promissio gratuita, externa, & acceptata obligationem inducit: & eam non adimplens, peccat mortaliter, nisi parvitas materiæ excuset. *ibid. punct.* 2 *num.* 1. & *seq.*

7. Estne liberum promissario acceptare promisionem multo jam tempore factam, & non revocatam? Respondetur affirmativè: nam promisio facta & non revocata, durat; consequenter ille cui facta fuit, potest eam acceptare, & jus per acceptationem acquirere. *ibid. n.* 6.

8 Ut autem promittens peccet non adimplendo promissionem gratuitam, requiritur primò ut promittat animo non promittendi, & se obligandi, ut promisio sit rei licitæ & possibilis; deinde ut sit promisio rei notabilis, & ut res in eodem statu permanserint, & non fuerit ita notabiliter mutatus status rerum & personarum, ut si menti occurrisset talis mutatio, non esset facta promissio, nisi cum exceptione; denique requiritur ut promissio sit acceptata. censetur autem acceptata promissio facta in favorabilibus ei qui tacet, modo qui tacet sit præsens moraliter, & intelligat sibi promisionem fieri, & consequenter valida erit hujusmodi promisio positis ceteris conditionibus jã allatis *ib. n* 8. & 9.

9. Qui promittit aliquid animo se obligandi solum sub veniali, tenetur solum sub veniali promisionem adimplere, & hoc verum est, etiamsi materia sit gravis. *ibid. nu.* 11.

10. Ille potest acceptare promisionem in favorem absentis,

sentis, vel donationem, qui ex ea commodum reportat, modo verba promissionis in ipsum directa sint: vel is, cui ex jure id convenit, vel cui hoc negotium committitur. Unde qui alterius curam gerit, potest acceptare promissionem nomine illius cujus curam gerit, ut Prælatus vel Parochus nomine suæ Ecclesiæ; tutor nomine pupilli; curator nomine majoris; pater & mater pro filio & filia: hi enim censentur reportare commodum ex promissione quam acceptant pro eo, cujus curam gerunt. Item qui alterius juri sunt subditi, validè possunt stipulari pro illis, quorum juri subjecti sunt, ex. gr. filius pro patre, servus (sed non mercenarius) pro domino, imò socius pro socio, uxor pro marito potest stipulari. Item judex nomine partis absentis, & alter pro altero, etiam in causa doris potest stipulari. Denique is potest stipulari & acceptare, qui ad hæc habet speciale mandatum. Adverte tamen, promissorem non teneri ad implere promissionem acceptatam à tertio, antequam ratificetur ab eo in cujus favorem facta est, cum is possit illam respuere. *ibid. punct. 3. num. 4. & seq.*

11. Ut promissio vel donatio facta absenti per nuntium, vel per litteras valida sit, requiritur ut promissio vel donatio deferatur promissario vel donatario per litteras, seu per nuntium ad hoc destinatum; coram quo promissio quæ defertur debet acceptari, & non sufficit si coram alio acceptetur. Præterea requiritur ut promittens non revocarit promissionem: nam si revocavit, & revocatio mandati innotuit mandatario invalida est. *ibid. punct. 4. n. & seq.*

12. Invalidæ sunt promissiones, quibus præbatur occasio peccandi: ut si quis alteri promittat se remissurum obligationem de furto, de injuria; &c. Item promissiones quibus adimitur facultas disponendi de rebus suis, irritantur à jure: ut si quis promittat alteri se non revocaturum testamentum, aut se non electurum alium præter ipsum in hæredem. *ibid. punct. 5. num. 2. 3.*

13. Promissio anteà valida & acceptata, desinit obligare, quoties supervenit notabilis mutatio, quæ si tempore promissionis adfuisset, vel prævogitata fuisset, judicio prudentis promissionem impediviset. Et hoc valeat etiam si promissio firmata sit juramento. Hinc sequitur promissionem non obligare, si res promissa facta est inutilis, vel damnosa, vel impossibilis, vel illicita. *ibid. punct. ult. n. 1. & seq.*

AD-

ADDITIO.

Puer.

Puer ante septennium non ligatur Ecclesiæ legibus, imò secundum quosdam, nec ante duodecimum censuris. Certè infantes non comprehenduntur interdicto, nec prohibentur ingredi monasteria: prohibentur tamen tempore interdicti sepeliri in loco sacro. *Puer ante*) vid. *Censura* 1. *confessio* 3. *Certè infantes*) Covarr. *in c. alma. p.* 2. §. 4 *nu.* 5 Cord. *q.* 60. Syl. *interdictum.* 2. *vers. decimum septim.* Sayr. *l.* 5. *c.* 4. *num.* 21. Sed Nav. *c.* 27 *n.* 168. comprehendi ait idem Maiol. *l.* 20. *de irregul. nu.* 1. de pueris capacibus *Nec prohibentur*) Sayr. *l. c.* Nav. *com.* 4. *de reg. n.* 59. Cord. *l. c.* si nondum septennium attigerunt. *Prohibentur tamen*) Vid. Sayr. *l. c.*

ADDITIO.

Purgatorium.

Vid. v. *Indulgentia, Oratio.*

Remittuntur in purgatorio peccata venialia hic non remissa per displicentiam, vel actum charitatis, in quo virtualiter pœnitentia includitur. *Depur.*) Val. *t.* 4. *d.* 11. *quæst.* 1. Bellar. *t.* 2. *lib.* 2. Cath. Scol. *in* 4. Joan. Eck. Peres. *de trad* Vid. Bellar. *l.* 1. *c.* 9.

In purgatorio igne animæ vexatæ, in gratia sunt confirmatæ, ac perinde certæ de sua salute. Bel. *l. c.* 4 Val. *l. c. asser.* 2.

Pœnæ purgatorii paulatim remittuntur. Bellar. *l. c. cap.* 14. *in fin.*

Post ultimum judicii summi diem nullæ erunt purgatoriæ pœnæ. Aug. *l.* 21. *de Civ. cap.* 16. Vid Bellarm. *l. c. c.* 9.

Q.
ADDITIO.

Quæstuarii.

QUæstuarii eleemosynarum nullibi admittendi. *Ex Con- c. l. Trid.* ubi tamen non prohibentur, qui sine indulgentiarum

tiarum publicatione petunt pro se, aut loco pio, quive eleemosynas collectas in pios usus erogant. *Trid. sess. 21. c. 9. de refor. & sess. 5. de refor. c. 2. in. fin.* Vid. Nav. *tract. de jub. & indul. not. 46.*

R.

ADDITIO.

Raptus.

RAptus propriè dicitur quando persona aliqua invita, vel resistentibus ejus parentibus, seu illis sub quorum cura est, adducitur per vim ad libidinem explendam; vel ad matrimonium contrahendum. Raptor subjacet pœnis Tridentini, etiamsi postea non expleverit libidinem ob supervenientem impedimentum. Raptus superaddit fornicationi malitiam contra justitiam, & non solum committitur, quando femina abducitur per vim, sive ipsa sit virgo, sive corrupta, sive conjugata: sed etiam quando vir abducitur per vim: secus dicendum quando quis virginem opprimit in domo patris, aut illam trahit de uno cubiculo in aliud, ut ibi ea facilius abutatur *tom. 1. De iis, quæ pertinent ad usum matrim. quæst. 4. punct. 18 n. 1. & seq.*

2. Pœnæ contra raptores decretæ sunt capitis & bonorum amissio, excommunicatio ipso facto incurrenda ante sententiam judicis ab ipsis etiam qui consilium, auxilium & favorem præbent raptoribus; præterea infamia & incapacitas dignitatum: ut raptor non possit contrahere cum rapta à se vel ab alio antequam constituatur in loco tuto, ut teneatur, sive matrimonium contrahat, sive non, ad decenter dotandam raptam arbitrio judicis, & ut matrimonium invalidum sit, dum rapta est in potestate raptoris. *ibid. n. 9. & seq.*

3. Ille adhuc dicendus est raptor, qui per vim abducit uxorem, quæ vult uti spatio duorum mensium sibi à jure concesso ante consummationem matrimonii. *ibid. n. 13.*

ADDITIO.

Ratificatio.

Ratificatione, etiam tacita, convalescunt gesta per metum,

tum, oportet verò ratificationem fieri animo validandi actum alias nullum. *Oportet*) vid Navar. *cons.* 44. *de regul*

Factum alicujus nomine, validatur tempore, quo ipse ratificat.

Ratihabitio.

Factum tuo nomine, seu tui contemplatione, cum posset tuo agi mandato, si ratum habes, censeris mandasse, non tamen pœnas mandantis incurris, nisi id exprimatur lege. V. Graff *l.* 2 *c.* 127 *n.* 7. *q.* 1 vid Syl. *consensus n.* 6. Ang. *eod. n.* 4. Navar. 17. *num.* 133. *Pœnas*) Fel. & alii putant, ratum habentem homicidium irregularem fieri. Spec. *de disp.* & Cov. *in clem. si furiosus p.* 2. §. 2. *num.* 4. negant.

Religio, Religiosi.

Vid. v. *Apostata, Monasterium, Munera, Simonia, Suspensio, Votum,*

1. Religiosi non tenentur ad clausuram perpetuam, & clausuræ violatio respectu illorũ, non est peccaminosa mortaliter, per se loquendo, *tom* 1. *De Clausura, & pœnis violatoribus ipsius impositis, quæst* 2. *punct.* 1 *num.* 2.

2. Religiosus excusatur ab omni culpa exeundo à monasterio, quando obtinuit licentiam Superioris expressam vel tacitam, juxta præscriptum religionis, quæ licentia licitè concedi non potest à Superiore, nisi aliquam legitimam illius concedendæ causam habeat; imò religiosus non solùm potest, sed & tenetur nonnunquam monasterio egredi ut parentibus subveniat, de qua re vide v. *Lex. ibid. n.* 3. *&* 4.

3. Multis modis & multiplici occasione clausuram violare possunt religiosi: ut dimittendo habitum, matrimonium contrahendo &c. Religiosus autem tacite vel expressè professus dicitur dimittere habitum, quando habitũ deponit ad sic incedendum, vel ad se occultandum, ita ut eo deposito nequeat religiosus dignosci. Religiosus ergo in omni loco & tempore habitum suæ religionis deferre debet, saltem ex honestatis debito. *ibid. punct.* 2. *num.* 2. *&* 3.

4. Religiosus excommunicationem incurrit, non solùm dum totum suæ religionis habitum dimittit, verùm etiam dum partem detinet, alia dimissa, sed ex parte retenta nequit

religio-

religiosus dignosci. Idem dic de religioso occultante vestes suæ religionis alio habitu super imposito: & de eo qui accedit ad aliquem locum sine habitu, etiamsi facultatem à suo Superiore ad illum locum accedendi obtinuerit. Similiter religiosus non deferens habitum in suo monasterio, excommunicationem incurrit juxta probabiliorem sententiam, *ibid. num. 8 & seq.*

5. Adverte tamen, religiosum non incurrere excommunicationem ob quamlibet habitus dimissionem, ut si fiat, v. g. causa servandæ vitæ dum per loca Turcarum vel inimicorum transiturus est: aut si dimittat ignorans prohibitionem, aut causa alicujus ludicræ actionis, aut ad assumendum habitum alterius religionis strictioris, modò non assumat contra jura; nam religiosus ita assumens, incurrit excommunicationem, licet multi Doctores oppositum sentiant. *ib. n. 13 & seq.*

6. Religiosus dimittens habitum ad tempus, incurrit excommunicationem, etiamsi animum habeat illum iterum assumendi; secùs dicendum si dimittat tantum ad modicum & breve tempus, ex g. ad dimidiam, vel etiam ut plurimum ad integram horam; etiam si intentionem habuerit diutius dimittendi. *ibid. n. 19. & 20.*

7. Religiosi Societatis Jesu dimittentes habitum religiosum in partibus ubi sæcularem habitum non assumunt, ligantur excommunicatione. Idem dicendum de Religioso promoto ad beneficium parochiale alicujus Ecclesiæ, si dimittat habitum suæ religionis. *ibid. n. 24. & 5.*

8. Religiosus creatus Episcopus non tenetur sub excommunicatione habitum suæ religionis deferre, quidquid sentiant multi in contrarium: quia religiosus factus Episcopus eximitur ab omnibus regulis & statutis religionis. Idem dic de religioso ad dignitatem Abbatis electo, habente propriam diœcesim nulli Episcopo subjectam: quamquam religiosus creatus Episcopus vel Abbas cum dignitate quasi Episcopali, tenetur adhuc tribus votis religionis. *ibid. num. 26. & seq.*

9. Religiosus ad Cardinalatus apicem evectus, non subjicitur excommunicationi non deferendo habitum suæ religionis, *ibid. num. 9.*

10. Religiosus dimittens habitum suæ religionis excommunicationem incurrit, etiamsi physicam vel leges sine Superioris licentia audire non intendat. *ibid. n. 30.*

11. Religiosus professus matrimonium sine licentia Papæ contra-

contrahens, aut proficiscens ultra mare sine licentia sui Superioris in scriptis expressa, excommunicationem incurrit, etiamsi id faciat absque pravo animo vel scandali periculo. Et Superior concedens facultatem alicui religioso litterato, sed non provido vel experto, transferendi se ad partes transmarinas in quibus pauci fideles reperiuntur, non eximitur ab excommunicatione. *ibid. punct. 3 & punct. 4. num. 1. & seq.*

12. Superior alicujus ordinis non incurrit excommunicationem transferendo se ultra partes transmarinas sine licentia. *ibid punct. 4. num. 8.*

13 Omnes Monachi & Canonici regulares non habentes administrationem adeuntes curias Principum ad nocendum suis Prælatis aut monasteriis, excommunicationem ipso facto incurrunt, etiamsi nullum damnum reipsa inferant. Ita *Clement. 1 in agro. de stat. monach.* Nec refert quod ad prædictas curias accedant cum licentia generali suorum Prælatorum, *ibid. punct. 5. n. 1. & 6.*

14. Monachus qui bono animo curiam ingressus est, sed postea in curia commoratur intentione damnum inferendi suis Prælatis vel monasteriis, excommunicationem non videtur incurrere, juxta probabilem D. Bonacinæ opinionem. *ibid num. 4.*

15. Religiosus accedens ad prædictas curias animo nocendi alteri religioso, vel alteri religioni seu monastério, non incidit in excommunicationem: textus enim loquitur de nocentibus suis Prælatis aut monasteriis. *ibid. nu. 9.*

16. Adverte tamen, accedentem ad curias Principum animo nocendi, excusari ab excommunicatione, si hoc faciat ex ignorantia etiam crassa & supina, modo non sit conjuncta cum ingenti temeritate. *ibid. num 14.*

17. Religiosi accedentes ad studia, seu proficiscentes alio, id est extra oppidum sui monasterii, sine licentia sui Prælati & consilio Conventus, vel majoris partis, laqueo excommunicationis obstringuntur Hinc sequitur, accedentem ad studia sui oppidi sine licentia sui Prælati, non incurrere hanc excommunicationem. Idem dicendum, si accedat ad aliud monasterium suæ religionis, in quo studia exercentur: nam hic non dicitur accedere ad studia, sed potius mutare cœnobium. Imò religiosus transferens se ad aliud monasterium suæ religionis intentione dandi operam studiis, quæ extra monasterium exercentur, non incurrit excommunicatio-

nem, si intentionem habeat degendi in monasterio suæ religionis, *ibid. punct 6. n. 14. & seq.*

18. Generalis aut Provincialis (vel etiam Episcopus respectu religiosorum non exemptorum,) potest facultatem concedere religioso sibi subdito accedendi ad studia; quod si licentia sit invalida, videlicet obtenta per dolum vel metum gravem, religiosus accedens ad studia, non eximitur ab excommunicatione. *ibid. num. 8. & 9.*

19. Non est necesse totum Conventum convocare dum alicui religioso concedenda est facultas exeundi ad studia sufficitque consilium petitum esse à majori parte conventus, etiamsi non adsit consensus, dum Superior concedit religioso facultatem eundi ad studia *ibid. num. 10. & 11.*

20. Prælatus monasterii non afficitur excommunicatione accedendo ad studia sine licentia, quamvis forte aliunde peccet. *ibid. n. 14.*

21. Religiosus è claustro, id est extra civitatem, exiens ad audiendas leges, vel medicinam, subijcitur excommunicationi, nisi ad claustrum intra bimestre redeat. Quod si exeat de claustro alia de causa, quam occasione audiendi physicam vel leges, non incurrit excommunicationem. *ibid. punct. 7. n. 1. & 5.* item

22. Religiosus non exiens animo audiendi medicinam vel leges, non videtur in excommunicationem incidere, etiamsi postea extra claustrum permaneat animo eas audiendi, *ibid. num. 6.*

23. Religiosus monasterio egressus intentione audiendi medicinam vel leges, excommunicationem incurrit, etiamsi postquam egressus est, mutaverit intentionem illas audiendi, nisi forte intra duos menses redeat *ibid. nu. 7.*

24. Religiosus egrediens monasterio ad docendum medicinam vel leges, non incurrit excommunicationem juxta communiorem Doctorum sententiam: quia jura loquuntur solum de exeuntibus ad audiendum. Imo docens leges vel medicinam coram religioso, non graviter peccat, nisi forte religiosus habitum dimiserit. *ibid. n. 9. & 10.*

25. Novitius non ligatur excommunicatione exeundo è claustro ad audiendas leges vel medicinam. *ibid. n. 14.*

26. Magistri seu Doctores qui religiosum postquam dimisit habitum, medicinam, aut leges, seu jus civile docent, aut in scholis scienter retinere, seu excipere dum lectio habetur,

betur; præsumunt, excommunicationis pœna ipso facto puniantur; & hoc verum est sive doceantur in scholis, sive extra scholas. *ibid punct 8. num.* 13 & 7.

27. Doctor seu Magister docens aliquos dum novit religiosum in domo propinqua ipsum audire, non ligatur excommunicatione. Quod si advertat religiosum adesse in sua schola, qui dimisso habitu intendat ipsum audire, debet eum expellere, & si admonitus exire nolit, & sine scandalo expelli nequeat, dimittat lectionem. *ibid. num.* 10. & 11.

29. Licitus est transitus ab una ad aliam arctiorem religionem, nisi aliud obstet, quia cuilibet jure naturæ competit jus perfectioris vitæ capessendæ. *ib. punct.* 9. §. 1. *n.* 1.

29. Quæres, an licitum sit alicui novitiatum vel professionem suscipere animo firmo vel dubio transeundi ad aliam religionem, cum studiorum cursum perfecerit, vel ad presbyteratus ordinem promotus fuerit. Respondendum posse quidem ad arctiorem religionem transire, sed graviter peccare ingrediendo religionem, vel profitendo cum præfata firma vel dubia intentione, tenetur tamen ad restitutionem expensarum quas monasterium subiit in ipso alendo, & ipse detrahere potest æstimationem laboris & ministerii in utilitatem monasterii exhibiti; secus dicendum de novitio bona fide religionem ingresso, si enim ille exeat, non tenetur ad expensas. *ibid. num.* 2.

30. Transitus ad arctiorem religionem conceditur non solum jure humano, verum etiam jure naturali divino, quibuscumque religiosis, etiam conversis vel oblatis, & monialibus; imò & conventus totus transire potest ad arctiorem religionem, nisi forte aliud obstet. *ibid.* §. 2. *n.* 1. & *seq.*

31 Prælatus religionis advolare potest ad perfectiorem religionem. Item Episcopus regularis transire potest ad arctiorem religionem petita prius à Summo Pontifice licentia; imò potest ad laxiorem transire, posito quod renuntiato Episcopatu, nolit ad priorem redire. *ibid num.* 6 & *seq.*

32. Transiens de una religione ad aliam, tenetur novum peragere novitiatum in secunda religione ad quam transit, debet enim ante professionem illius onera & asperitates experiri, *ibid. num.* 10.

33. Volens ad arctiorem religionem transire, licentiam transeundi petere debet à suo Superiore, & ei transitus causam aperire; ita expresse habetur *in cap. licet, de regular.* Et

Prælatus non debet religiosum alterius religionis laxioris admittere, dum illi denegatur à suo Superiore licentia transeundi; nisi ei constet licentiam à Superiore prioris religionis nimque & indiscrete denegari. Professio in arctiori religione facta, valida est, etiamsi petita vel obtenta non fuerit licentia. *Ibid.* §. 3. *difficult.* 1. *n.* 1. *& seqq.*

34. Religiosus qui licentiam transeundi ad aliam religionem obtinuit, prius inquirere debet religionem à qua recipitur antequam monasterio egrediatur, alioquin obligationem clausuræ violat. *Ibid. n.* 5.

35. Religiosus volens transire ad arctiorem seu asperiorem religionem, licentiam petere potest ab immediato Superiore monasterii, aut à Provinciali vel Generali, non tenetur tamen licentiam a conventu petere. *Ibid. n.* 9. & 10.

36. Monialis volens ad arctiorem religionem transire, non satisfacit petendo licentiam ab Abbatissa, sed hujusmodi licentia petenda est à Prælato cui subest monialis, sive is sit Episcopus, sive Prælatus regularis. *Ibid n.* 11.

37. Summus Pontifex non potest in foro conscientiæ licentiam transeundi ad laxiorem religionem concedere sine justa causa, quia facultas transeundi ad laxiorem, continet communicationem voti in minus, consequenter continet quamdam dispensationem, sed Papa non potest sine justa causa in voto, seu jure divino dispensare, ergo, &c. *ibid nu* 14.

39. Religiosus facultatem habens transeundi ad quamlibet laxiorem religionem, non potest ingredi religionem equestrem militarium, nisi id diserris verbis exprimatur, quia licet equites sint viri religiosi, non tamen sub communi religiosorum nomine comprehenduntur. *Ibid n.* 15.

39. Transitus ab una religione ad aliam fieri debet sine notabili damno vel infamia prioris religionis, bono zelo seu amore majoris perfectionis: & si dubium sit, an bono vel pravo animo ad aliam religionem quis transire velit, bonus animus & zelus præsumendus est. *Ibid. difficult.* 2. *n.* 1 & *seq.*

40. Transiens ad aliam religionem, non tenetur ad vota primæ religionis: & in secunda sedere debet juxta tempus quo in illa professionem emisit. Quod si quis ad aliam religionem transeat ut ibi sit Prælatus, finito officio remanet religiosus primæ religionis, quia qui ad religionem proficiscitur, ut ibi sit Prælatus, non solet ibi professionem emittere *Ib.* § 4 *difficult.* 1. *n.* 1. *& seq.* 41. Quæ-

41. Quando religiosus certam sedem non habet, sed ad nutum Superioris amovetur, & transmittitur ab uno monasterio ad aliud ejusdem religionis, cujus unum est caput, ideſt, Generalis vel Provincialis: bona aut jura ab hujusmodi religioso acquisita jure communi pertinent ad totum ordinem seu religionem, & ad Generalem pertinet illa applicare cui velit monasterio, nisi aliud ferat consuetudo, vel statuta religionis. *ibid. difficult. 2 num. 1*

42. Bona quæ priori monasterio acquisita fuerant, remanent apud prius monasterium, dum religiosus ab una ad aliam religionem transit, nisi forte posterius monasterium cogatur religiosum suscipere *ibid. n. 2.*

43. Si monasterium aliquod inundatione, incendio, vel alia ratione destruatur, nec reædificetur, bona religiosorum devolvuntur ad monasterium ad quod transferuntur religiosi illius monasterii destructi. *ibid. n. 3.*

44. Bonorum religionis à Summo Pontifice deletæ & extinctæ, dispensatio acquiritur Summo Pontifici, si loquamur de religione exempta: si de non exempta, sed Episcopo subjecta, acquiritur Episcopo tamquam illorum dispensatori *ibid. num 4.*

45. Religiosus transiens ad aliam religionem, non potest quidquam secum deferre, nisi à Prælato primæ religionis, vel à Summo Pontifice expresse vel tacite data sibi fuerit facultas deferendi. Item monialis non potest secum deferre dotem, dum ad sui instantiam, vel ad instantiam secundi monasterii transfertur ad aliud monasterium: & hæreditas quæ delata non fuerat antequam religiosus profiteretur in secunda religione, pertinet ad primam religionem, etiamsi tunc temporis hæreditas adita non fuerit. Adde usumfructum alicujus rei quem religiosus acquisierat ante professionem, vel etiam post professionem, contemplatione sui, nō contemplatione prioris monasterii, non remanere penes prius monasterium, sed penes secundum à die professionis factæ in secunda religione, quia ususfructus sequitur personam: in dubio tamen an ususfructus relictus sit contemplatione monasterii, vel contemplatione personæ, præsumitur relictus contemplatione monasterii *ibid. n. 5. & seq.*

46. Peculium concessum religioso ea lege ut monasterium in illud non se ingerat, alioquin illud perdat, acquiritur secundo monasterio quoad fructus percipiendos, post-

quam religiosus professionem in secundo monasterio emiserit. *ibid. num.* 11 Item

47. Bona acquisita à religioso postquam transiit à religione capaci vel incapaci ad religionem incapacem, vel etiam capacem, non pertinent ad primam religionem, modo in secunda religione professus sit, quia non est amplius religiosus prioris monasterii. *ibid. num.* 12.

48. Religiosus ad Episcopatum assumptus bona quæ acquirit à die confirmationis Pontificiæ, donatione, legato, testamento, vel alia ratione, pertinent ad Ecclesiam cujus est Episcopus, neque sibi potest acquirere, cum ratione voti paupertatis abdicaverit à se jus acquirendi dominium. Idem militat in religioso ad Cardinalatum evecto, qui subjicitur immediatè Summo Pontifici, & in religioso de licentia Papæ pensionario. *ibid. n.* 16. *& seq.*

49. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes, (excipe religionem Carthusianorum,) etiam cum facultate Pontificis, privantur voce in Capitulo tam regulari, quam sæculari. Item privantur loco in Capitulo quoad honores, non vero privantur loco in choro, inhabiles tamen efficiuntur ad quælibet officia & administrationes etiam extra religionem Excipiuntur ab his pœnis religiosi invalide professi in prima religione, & religiosi translati ad non mendicantes qui iterum revertuntur ad mendicantes. *ibid. § 5. difficult. 1. num. 1. & seq.*

50. Fratres reformati excommunicationem incurrunt transeundo ad fratres Conventuales, aut recedendo ab obedientia suorum Ministrorum. Idem dic de Capucinis recipientibus fratres Minores de Observantia sine licentia Papæ, & etiâ de ipsilmet fratribus de Observantia transeuntibus ad Capucinos sine facultate Summi Pontificis, aut sine licentia in scriptis suorum Provincialium ministrorum. Similiter fratres Minimi ligantur excommunicatione recipiendo fratres Minores de Observantia. *ibid. difficult. 2. num. 1. & seq.*

51. Religiosi ordinis Humiliatorum excommunicationem incurrunt, admittendo aliquem ad habitum vel professionem sui ordinis. Hæc prohibitio edita fuit à Pio V. in Bulla, *Quemadmodum*, in detestationem nefandi sceleris attentati a Farina religioso illius ordinis contra S. Carolum, quem sclopo ad necem petere intendebat. *ibid num.* 4.

52. Reli-

52. Religiosi cujuscumque ordinis excommunicationem incurrunt recipiendo Patres Societatis Jesu non obtenta à Generali licentia. Eadem excommunicatione ligantur ipsimet Patres, sine præfata licentia transeuntes ad aliam religionem, & dantes ad id auxilium *ibid num.* 5.

53. Religiosi claustrales recipientes Minores sine licentia Summi Pontificis; & religiosi Minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum, excommunicationi subjiciuntur. Minimi quoque subtrahentes se ab obedientia Correctorum, & Tertiarii Eremitæ deferentes habitum Minimorum excommunicationis gladio feriuntur. *ibid. num.* 6. *& seq.*

54. Præpositus Generalis præclaræ Societatis Jesu facultatem suis religiosis, etiam solemniter professis, concedere potest transeundi ad quaslibet religiones, & huic soli id specialiter concessum est. *ibid. n.* 16.

55. Religiosus mendicans excommunicatione ligatur transeundo ad non mendicantes, etiamsi religio ipsius instituta fuerit post legem hujusmodi transitum prohibentem. Ejectus tamen in perpetuum, & habitu privatus, à religione mendicantium transire potest ad non mendicantes, quia verosimile non est Summum Pontificem velle viam ad perfectiorem statum excludere *ibid. n.* 18. *&* 19.

56. Religiosus invalide professus non tenetur ex vi professionis regulam aut vota servare, sed intra quinquennium tenetur reclamare, aut professionem ratificare, saltem dum professio irrita fuit per illius culpam. Ad validam autem professionis ratificationem requiritur novus consensus, quo religiosus sciens præcedentem professionem invalidam esse, eam approbat, volens ut ex tunc teneat & firma sit, sive approbet verbis, sive factis, sive etiam solo animi consensu, uti actus professorum faciat intentione approbandi professionem. Ratificatio professionis non videtur exigere ad hoc ut sit valida novum consensum ex parte acceptantis seu religionis. Ut autem religiosus invalidè professus professionem ratificet, non tenetur novum peragere noviciatum, si noviciatus præcedens expletus fuerit. Probabileque est religiosum qui professionem ratificavit frui posse privilegiis religionis, ac si ab initio validè professionem emisisset, aliis religiosis ignorantibus nullitatem professionis. *ibid. punct.* 10. *difficult.* 1. *n.* 1. *& seq.*

Quibus ex causis religioso competat jus reclamandi contra professionem.

57. Causæ reclamandi sunt hæ:

Defectus legitimi consensus, dum quis professionem emisit, ut si v. g. emisit per vim, aut metum gravem, aut tempore dementiæ, aut si professionem celebravit sub conditione de futuro; hæc enim non est valida ante conditionis eventum. *ibid. difficult* 2. §. 1 *n.* 1. *& seq.* Item

58. Defectus integri novitiatus, ut dum professio celebrata est nondum præmisso integro & continuo novitiatus anno: annus autem novitiatus sufficere videtur ad professionem, etiamsi novitius eo expleto exierit, & postea iterum admissus fuerit absque alio novitiatu. Novitiatus hoc tempore peragi debet in habitu religionis, & in legitima ætate, id est in pubertate completa. *ibid.* §. 1. *& seq* Item

59. Defectus legitimæ ætatis: legitima autem ætas in religione tam virorum quam mulierum, est annus decimus sextus completus ex Trident. *sess.* 25 *cap.* 15. *de regul.* Bissexti dies computandus videtur in legitima ætate ad professionem requisita. Ætas computanda est à die nativitatis, non autem à die conceptionis, licet multi contrarium sentiant, saltem dum favorabile est pròli ita computari. *ibid.* §. 3. *nu.* 1. *& seq.*

60. Defectus sui juris, ut dum v. g. quis seipsum alteri seu religioni valide tradere non potest: talis est vir conjugatus, aut servus, qui invita conjuge aut domino religioni se obstringere nequit, nisi forte conjugatus perpetui divortii causam habeat. *ibid.* §. 4. Item

61. Defectus legitimi sexus: ut si femina in religione virorum, aut vir in religione monialium professionem emisit, hujusmodi enim professio irrita est. Hermaphroditus potest contra professionem reclamare, etiamsi professus sit in religione virorum, & virilis sexus in eo prævaleat; quamvis enim professio valida sit, imminet nihilominus maximum scandali periculum. *ibid.* §. 5. Denique ultima causa reclamandi, est

62. Defectus legitimi Superiòris professionem acceptantis, dum professio facta fuit illi qui eam acceptare non poterat; potestas autem admittendi jure communi, præcisis privilegiis,

vilegiis, constitutionibus, & consuetudine in contrarium, pertinet ad immediatum conventus Superiorem cum consensu conventus, vel ad alium ipso directè superiorem in officio. Hinc colligo, Abbatissam posse professionem monialium acceptare, Episcopum verò non posse quemquam in monasteriis exemptis propria auctoritate ad professionem admittere. *Ibid.* §. 6.

63. Professio validè acceptari potest ab excommunicato vel suspenso, nisi fortè suspensus sit à potestate admittendi ad professionem; imò professio acceptari & admitti potest per alium, quia quæ per alium facimus, per nos ipsos fieri censentur. *Ib. n* 7. & 8.

64. Professio irrita defectu admittentis, convalescit accedente consensu & ratihabitione illius qui potest admittere; modo nomine illius acceptata fuerit. *Ibid num.* 9.

65. Impotentia ad servandam religionis regulam non est causa sufficiens ad reclamandum contra professionem, cum extali impotentia professio non reddatur irrita. *Ib. n* 10.

66. Reclamare intendens, non auditur dimisso habitu, quamquam is, qui dimisso habitu reclamare volebat, & ob habitus dimissionem auditus non fuit, possit postea reclamare assumpto habitu. *Ibid. difficult* 3. *n.* 1. & 2.

67. Religiosus invalidè professus in foro conscientiæ, licitè exire potest, nisi obstet alia circumstantia, dum in foro externo nullitatem suæ professionis probare non potest. *Ib. n* 3.

68. Tempus intra quod reclamatio permittitur, incipit à die professionis inclusivè, usque ad quinquennium, sive professio expresse sive tacitè emissa fuerit. Ita Trident. *sess.* 25 *cap.* 9 *de regular.* Hoc tempus quinquennii ad reclamandum concessum, incipit à die professionis, etiam respectu illius qui nullitatem professionis ignorabat. *Ibid. difficult.* 4 *num.* 1. & *seq.*

69. Impeditus ad reclamandum intra quinquennium, elapso quinquennio non potest amplius reclamare; cum Tridentinum loco citato deneget, religiosum ultra quinquennium audiri ob pacem & tranquillitatem religionis, & ad vitandas lites. Quare vir conjugatus professus absque licentia uxoris, non potest elapso quinquennio reclamare; concedo tamen, uxorem repetere posse virum professum absque sua licentia. Similiter impedimento perpetuo professionem irritante laborans, elapso quinquennio audiri potest, si manifeste

ste constet tale impedimentum adesse. *Ibid. num.* 4. &c.

70. Religiosus reclamans contra professionem validam, sciens validam, sed falsis testibus probans invalidam esse, & ob id resiliens a relig one, graviter peccat, & pœnas Apostatarum incurrit; talisque vere est apostata; discedit enim absque debita licentia á religione animo ad illam non redeundi; quod si reclamet contra professionem invalidam, mortaliter non peccat *Ibid. difficult.* 5. *num.* 1. & 2.

71. Susceptio sacrorum ordinum non sufficienter indicat religiosum tacite ratificasse professionem. *Ibid. n.* 3.

ADDITIO.

Ære alieno supra facultates obstrictus, etsi olim ingredi poterat religionem, & sic quasi cedere bonis, nunc tamen non potest admitti, nisi prius satisfaciat creditoribus, ex nova Constitut. Sixti V. addita moderatione Gregor. XIV.

Novitius non tenetur ad præcepta religionis, nec egressus ad expensas, Syl. *Religiosus* 5. *n.* 6.

Dum quis est in religione, non tenetur ad vota antea facta, nec ad juramenta, quæ sunt Religioni incompatibilia, nec ad pœnitentias injunctas, vid. *gl.* 33. *q.* 2. *admoneo.*

Professus celato morbo contagioso, expelli potest è religione. Nav. *conf.* 40. *de reg.* 35.

Religiosus beneficiarius potest de fructibus disponere, ut sæcularis, & Ecclesiæ suæ acquirit, non monasterio: secundum Navar. idemque censet de Abbate & Priore, esse enim Abbatiam & prioratum beneficia Ecclesiastica. Emm. Sapetat, hos non posse plus, quàm regula eis permittit. Navar *de reddit. Eccles q* 1. *mon.* 8. vid Mol *dist.* 276. *n.* 5. 6 Less *lc dub.*

Religiosus potest appellare à sententia injusta superioris, potest & agere contra superiorem, in utilitatem monasterii. vid *c. ex parte. de accus. & cum delicta. de rescrip. Appellare* D. Thom. 2. *q* 69. *art.* 3 vid. Sal. *q. cit. & art.* 10.

ADDITIO.

Reliquiæ.

Vide etiam *Oratio, Processio.*

Coli possunt privatim rel. quiæ ejus, qui creditur esse in cœlo. De cultu reliquiarum, vid. Azor. *l.* 9. *c.* 8. &c.

Reliquiæ collo suspensæ deferri possunt, D. Thom. 2.2.q. 69.art.4.ad 3. D. Anton. 3.p.titul 12.c.8. Syl. Fum. *vers. reliquiæ* Navar. *cap.* 11, *num.* 35. Azor. *l.c. quæst.* 6 contra Ang. *vers. reliq.* 4.

De cereis formis, quas Agnus Dei appellant: vid. Azor. l.c. cap. 6. Staph cum litteris gratiæ, *lib.* 1.*c.* 25. *num.* 10. Graff. *l.* 2. *c.* 2, n 11.

ADDITIO.

Repressalia.

Licent repressalia eo modo, quo bellum, scil. auctoritate suiprincipis, & altero principe, scilicet ejus qui læsit, monito, ut curet satisfieri, quod si non fit, potest læsus etiam ab innocentibus accipere, si aliter sua recuperare non potest, vid. Syl. *tod vers. num* 2.

Repressalia non possunt fieri in persona Ecclesiastica, vid. *de injur. l.* 6. Cajet. *eodem versic.* Sylv. *l.c. num.* 8.

Residentia.

Vide v. *Beneficiarius.*

1. Residentia est persistentia in loco, in quo quis habet beneficium, consequenter ille dicitur non residere qui non habitat in loco beneficii, vel ab eo longe distat. *tom.* 1. *de onere & obligatione beneficiariorum ad residendum, disp* 5 *punct.* 1. *n.* 1.

2 Parochus dicitur ne residere, si sit extra fines parochiæ, etiamsi non multum distet ab ea? Resp. non dici residere, si ita distet ut facilis ad ipsum aditus parochianis non pateat: hic enim neque corpore, neque effectu, ob quem injunctum & inventum est residentiæ munus, residere dicitur: secus si ad eum locum divertat, in quo parochiani facilè queant ad Parochum recurrere pro sublevanda spirituali necessitate & Sacramentis suscipiendis; quia hujusmodi absentia non adversatur fini, quem residentia respicit. *Ibid num* 2.

3. Quid verò dicendum de eo, qui aliquibus diei horis extra parœciæ ambitum se confert? Dicendum eum non peccare contra residentiam, etiam si hoc faciat recreationis causa, modo nullum subsit spirituale subditorum detrimentum. *Ibid num.* 5.

4. Omnes & singuli beneficiarii qui onus per seipsos in loco beneficii exercere debent, ad residentiam obligantur. Tales sunt habentes Parochiales Ecclesias, aut etiam Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis. Neque sufficit residere, sed omnis Parochus existens in parochia, debet munus parochiale exercere: nec satisfaciunt curatores animarum muneri suo, seu præcepto residendi, substituendo alios, qui munus curatoris sustineant, quamquam Parocho licitum sit aliquando uti alterius Sacerdotis opera in animarum cura administranda, ut in confessionibus excipiendis, &c. Concedendum etiam habentem Ecclesiam parochialem in qua Vicarium perpetuum legitimè institui obtinuit, non teneri eo vivente residere, modo tota cura animarum translata sit in coadjutorem, abdicata à Parocho administratione *Ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

5. Parochus residens in parochia, sed omnia munera pertium exercens, potestne percipere fructus beneficii, & illos retinere? Respond. probabile esse hujusmodi Parochum posse fructus percipere & retinere, quoties ita per Capellanum deservit, ut oves nullum grave detrimentum inde ferant. *Ib. n. 6.*

6. Peccatne Parochus absens à sua parochia per bimestre in anno sine licentia? Resp. non debere quidem sine licentia recedere, non tamen mortaliter peccare si recedat ex legitima causa, & sine ovium damno, sufficiendoque in sui locum alium idoneum ministrum. *Ibid. punct 3. num. 6.*

7. Episcopus valide prohibere potest Parochis ne absint à sua parochia ultra duos dies sine licentia; quia residentia est materia præcepti, non potest tamen ratione etiam longioris absentiæ censuram infligere *Ib. num. 8.*

8. Canonicus qui certis solum hebdomadis tenetur choro interesse, non graviter delinquit, si in loco beneficii non resideat illis hebdomadis quibus divino officio assistere non tenetur: nam cessante fine residentiæ, cessat residentiæ obligatio *Ibid. nu. 12.*

9. Beneficiarius non residens dum residere tenetur, præter culpam, potest incurrere alias pœnas non residendo, quas ordinarius loci pro qualitate contumaciæ & inobedientiæ à non residentibus incurrendas injunxerit, juxta facultatem sibi collatam in Trident. *sess. 23. cap. 1. de reform.* nisi aliud illum excusset. Et præter alias pœnas incurrit etiam ante ullam judicis sententiam, privationem fructuum pro rata absentiæ. Hinc

sit ut coadjutor in cura animarum, assignata illi certa fructuum quantitate, non possit illos percipere, nisi resideat; secus dicendum de Parocho absente etiam sine licentia Episcopi per modicum tempus, id est, per bimestre. *Ibid. punct. 4. n. 2. & seq.*

10. Parocho habenti justam causam absentiæ non sufficit petiisse licentiam, etsi eam non obtinuerit, quia Concilium requirit licentiam expressam. *Ibid. n. 13.*

11. Si Abbates, Priores, & Superiores regularium ultra bimestre non resideant, non tenentur ad restitutionem fructuum, si suum munus sufficienter per alium suppleant. *Ib. n. 4*

12. Quæres, an alii beneficiarii non residentes, possint retinere fructus beneficii pro rata temporis quo non inserviunt. Respond. posse, si per alium deserviant: nam qui per alium facit, per seipsum facere censetur, nec ulli damnum hoc pacto infert. *Ibid. num. 15.*

13. Parochus justè abesse potest à parochia ob inimicitias graves, ob pestem vel morbum non perpetuum, ob litem motam super suo beneficio, & ex privilegio Summi Pontificis, cum licentia Episcopi, & alio in sui locum suffecto, qui vices Parochi gerat Consuetudo, etiam immemorabilis, non excusat absentem; secus si absit ad dirimendas controversias, vel ob alia opera charitatis proximi, vel ad inserviendum Papæ ob utilitatem Ecclesiæ; propterea Cardinales Papæ assistentes excusantur à sua residentia. *Ib. punct. 5. num. 2. & seq.*

14 Officium Inquisitoris vel Subcollectoris non excusat à residentia beneficii parochialis, neque potest Episcopus uti opera Parochi in visitatione ultra duos menses in Concilio Tridentino concessos, excepta gravi causa; secus dicendum de Canonico, qui de licentia Episcopi abesse potest in visitanda diœcesi & aliis Ecclesiæ servitiis. *Ibid. num. 11. 13 & 14.*

15. Excusatur à residentia qui ex justa & honesta consuetudine non residet, ubi Tridentinum non est acceptatum, sicut & excusari potest qui ad quinque annos Theologiam aut jus Canonicum in universitate audit, vel docet cum licentia Episcopi obtenta in scriptis saltem respectu parochiæ curatoris animarum. *Ibid. num. 15. & seq.*

ADDITIO.

De residentia, vid. Nav. *lib. 3. cons. de cler. non resid.* & in Man. c. 25. *n.* 121. Sot. *lib.* 10. *q.* 2. Re-

Residere censetur, qui abest propter Ecclesiæ suæ negotia, *c. ex part de cler non resid.* Syl. *l. c q. 7.*

Potest Episcopus abesse ob suæ, vel universalis Ecclesiæ necessitatem, & ut alienæ succurrat, modo sine suæ detrimento, vid. Trid. *l. c. num.* 3. Nav. *l. c.*

Qui non residet, tenetur per alium tot Missas dicere, ac quot residens tenebatur.

Excusat in collegiatis non insignibus à non residentia consuetudo immemorabilis, & reditus tenues, qui Canonicos alere non possunt. *Ex congr. Conc.*

Resignatio beneficii.

Vide v. *Simonia.*

ADDITIO.

Respublica.

Prohibita universitate, non censentur prohibiti singuli, nec pactum inter regem & communitatem obligat singulos communitatis.

Respublica potest pro bono communi rem unius alterius dare. Unde non facilè damnanda statuta, quæ videntur iniqua, aut usuraria, ut monet Cajet. vid. quæ de re simili scribit Syl. *usura. 1. num.* 30.

Reip. imputatur, quod facit princeps, unde ob hujus peccatum interdum punitur.

Restitutio.

Vide v. *Alienatio, Contractus, Furtum, Homicidium, Præscriptio.*

1. Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quo res accepta restituitur, vel damnum illarum compensatur ei cui debetur: ideò vocatur repositio seu constitutio in pristino statu. Duplex est justitia, commutativa seu particularis, cujus violatio cum damno alterius semper obligat ad restitutionem; & generalis seu legalis, quæ non obligat, nisi quando eam violans tenetur ex officio conservare bonum commune, ut acci-

dit, quando judex non impedit furtum; quod ex justitia tenetur impedire. *tom. 2. de restitutione in genere, disp. 1 q. 1. n. 1. & 2.*

2. Quære, an reus qui veritatem in judicio negavit, teneatur solvere pœnam ad quam fuisset condemnatus, si veritatem confessus fuisset? Respond. non teneri, quia non violavit justitiam commutativam per ordinem ad illum, cui erat applicanda pœna; sed violavit tantum justitiam publicam. *Ibid. n. 4.*

3. Rursus, justitia alia est commutativa, cujus munus est restituere rem ipsam quæ debetur ad æqualitatem, non respiciendo merita personæ, sed æqualitatem rei quæ debetur; quare si accepisti furto decem, decem etiam restituere teneris: alia verò distributiva, cujus munus consistit in conferendis præmiis, dignitatibus, officiis, &c. juxta qualitatem & merita personarum: quare viro nobili vel docto majores dignitates & præmia debentur, quam ignobili vel indocto. Et qui curam habet bona communia aut spolia distribuendi juxta personarum dignitatem tenetur ad restitutionem, si juxta personarum dignitatem illa non distribuat. Idem dic de eo qui bona accepit distribuenda studiosis alicujus Collegii, vel pauperibus communitatis, si ea juxta præscriptum non distribuat videlicet juxta illorum majorem eruditionem, vel inopiam. Item Prælatus conferens in concursu beneficium digno, relicto digniore competitore qui habet strictum jus ut sibi conferatur, tenetur etiam ad restitutionem. *Ibid. num. 8. & seq.*

4. Restitutio in eo differt à satisfactione, quod omnis restitutio est satisfactio, non è contra; & quod restitutio fieri soleat pro damno illato, vel re alterius; satisfactio autem exhibeatur, etiamsi nullum damnum illatum sit. *Ibid. num. 17.*

5. Restitutio non est necessaria ad salutem necessitate medii, sed tantùm necessitate præcepti; quia fieri potest ut salus aliquando obtineatur prætermissa restitutione ob justam aliquam causam. Præceptum restitutionis obligat sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset; estque in se formaliter præceptum affirmativum, obligans ad actum positivum restitutionis quamdiu perseverat inæqualitas, & alter non obtinuit rem sibi debitam. *Ibid punct 2 n 2. & seq.*

6. Ex solo delicto contra justitiam, non verò contra alias virtutes oritur obligatio restituendi, quia per violationem justitiæ aufertur alienum, quod unicuique debetur ad æqualitatem, hoc autem non accidit in aliis virtutibus, ut in pietate, religione, & aliis: unde qui noluit in necessitate succurrere indi-

digenti, ad cujus necessitatem sublevandam non tenebatur ex justitia, sed ex charitate, non tenetur ad restitutionem. *Ibid. punct. 3. §. unic. n. 2 & 3.*

7. Non solum ex peccato mortali contra justitiam, sed etiam ex peccato veniali consurgit obligatio restituendi, aliquin sequeretur, eum qui paulatim magnam abstulit quantitatem, non teneri ad restitutionē, quod est falsum. Quod si nulla culpa commissa sit in damno, licet gravi inferendo, nulla extat obligatio restituēdi. Idem dicendum quando damnum illatum est cum ignorantia comitante, etiamsi illatum fuerit operam dando rei illicitæ. *Ibid. num. 5. & seq.*

8 Adverte, tam levem posse esse aliquando culpam venialem in damno inferendo, ut vix adsit obligatio ad centesimam partem damni restituendam; & ex oppositio posse aliquando tam gravem esse culpam venialem, ut obliget ad decimam partem: unde fit, ut in restitutione in foro conscientiæ habenda sit ratio culpæ & delicti *Ibid. num. 9.*

9. Ad restitutionem tenetur quis ex triplici capite: ex re bona fide accepta, ex contractu, & ex injusta acceptione, vel damnificatione. Dicitur *ex re bona fide accepta*, qui rem alienam bona fide possedit, id est retinuit per ignorantiam invincibilem seu probabilem, credens esse suam, tenetur ex justitia restituere statim ac cognoscit esse alienam. Neque is qui possidet bona fide rem alienam, quam bona fide emit à fure, potest à domino, cui rem illam restituit, exigere pretium quod ipse solvit, quia æquum non est, ut dominus rem suam emat. Quod si renuat rem prædictam domino tradere absque pretio, fit possessor malæ fidei. *Ibid quæst 2 punct 1. num. 3 & 4.*

10. Qui alienavit vel consumpsit rem alienam bona fide credens esse suam, non tenetur ad restitutionem, nisi in aliqua re factus sit locupletior: ille autem censetur factus locupletior qui cessante bona fide cognoscit se occasione rei alienæ factum esse locupletiorem; ut si cognoscat se non fecisse aliquos sumptus, quos alioquin ex re sua fecisset, aut si aliquid habeat, quod alioquin non habuisset. Ex quibus habes eum non teneri ad restitutionem, cui res aliena periit casu, aut etiam propria culpa, modò perierit tunc temporis quo ipse eam bona fide possidebat credens suam esse. Item neque eum, qui rem alienam bona fide emit, quam postea vendidit æquali vel minori pretio: secus dicendum, si majori pretio vendidit: tunc enim tenetur restituere incrementum pretii. Item restitu-

tubiò non est facienda ab eo, qui rem alienam bona fide alteri donavit, cujus similem vel dissimilem non donasset, si rem illam non habuisset: non enim censetur ditior factus in ulla re. Item concedens bona fide rem furtivam apud amicum, tenetur tantum ad restitutionem illius in quo rei suæ pepercit. Et qui apud amicum bona fide comedit rem furtivam valentem triginta asses, sed domi suæ comedisset res valentes quadraginta, tenetur solum restituere triginta. Et qui vestem alienam bona fide consumpsit, vel ea usus est, tenetur comparente domino restituere vestem si adhuc extet, vel valorem illius vestis consumptæ, si aliàs vestem æqualis valoris consumpsisset. Item qui bona fide possidens hereditatem, majores fecit expensas, quam fecisset, si credidisset hereditatem ad se non pertinere, potest in restitutione hereditatis detrahere expensas, quas alioquin non fecisset, *Ibid. num. 5. & seq.*

11. Qui rem alienam bona fide accepit, & postea dubitare incepit alienam esse, potest eam sibi retinere, aut consumere, aut vendere, si postea sufficienti inquisitione non comperit alienam esse; debet tamen paratus esse restituere id in quo factus fuerit ditior, comparente domino. Quod si hujusmodi possessor bonæ fidei negligat inquirere & indagare veritatem & impotens factus sit ad eam sciendam, adhuc non tenetur ad restitutionem, quia melior est conditio possidentis, quamvis multi velint teneri restituere illi, cujus rem esse dubitat; certum tamen est eum peccasse negligendo inquisitionem veritatis. *Ibid. punct 2. nu 4. & seq.*

12. Petes, an qui rem aliquam bona fide possidet, & postea dubitat rem esse alienam, possit ea uti, interea dum adhibet diligentiam ad inquirendum dominum. Respond si res de qua dubitatur consumitur ipso usu, ut est, triticum, &c. aut deterior efficitur, non potest illa uti; quia exponeret se periculo illam consumendi, aut deteriorem efficiendi invito domino. *Ibid. n. 9.*

13. Qui rem aliquam abstulit possessori bonæ fidei, dubitans vel opinans suam esse, tenetur ad integram restitutionem, tamquam possessor malæ fidei, quia cùm in dubio melior sit conditio possidentis bona fide, non potest alium spoliare sua possessione, nisi certo sibi constet rem suam esse: secus dicendum de eo, qui rem aliquam incepit occupare, cum nondum ab alio possideretur; dubitans enim suam esse vel alienam, non potest totam rem, sed solum illius partem pro

quantitate dubii sibi retinere; quia cùm non inceperit bonæ fide possidere, non est potior illius quàm alterius conditio. Et qui præoccupat rem à nullo possessam, tenetur compertò domino restituere, non solùm rem ipsam, verùm etiam fructus, nam res domino fructificat. *Ib. n.* 15. 16. & 17.

14 Non solùm in materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum posita sufficienti diligentia ad veritatem assequendam, valet illa regula: *Melior est conditio possidentis*; unde dubitans, an tale jus extet, vel an aliquid includatur sub tali præcepto, non tenetur illud præceptum servare, sicut neque verum, quando æqualiter dubitat an illud emiserit. Idem dubitans an promiserit matrimonium, vel an voluerit se obligare, vel an haberet sufficiens judicium, vel an adsit causa excusans ab obligatione, vel an lex sit abrogata consuetudine, vel an sit acceptata, non tenetur promissionem adimplere, cùm de ea dubitetur, & in dubio melior sit conditio possidentis. Et qui vovit in dubio, tenetur solùm ad id quod est minus: & qui commisit adulterium, sed dubitat an proles susceptа, sit propria, vel mariti adulteræ, potest credere prolem esse mariti adulteræ, consequenter non tenetur ad restitutionem. *Ibid. §. incid. n.* 1. *& seq.*

15. Idem dubitans se esse legitimum, potest cum aliis fratribus paternam hereditatem dividere, facta prius diligentia ad veritatem assequendam, quia possessio illi favet, & melior est conditio possidentis *ibid. n.* 12.

16. Petes, an qui aliqua ratione cooperatus est ad damnum, teneatur ad restitutionem. Resp. teneri ad restitutionem eum, qui non solùm aliqua actione positiva efficaciter concurrit ad actionem injustam & damnum alterius, sed etiam qui negativè cooperatur non loquendo, non obstando, vel non manifestando, quando tenetur ex justitia loqui, vel obstare, vel manifestare. Novem autem sunt genera personarum cooperantium ad damnum alterius, quæ his duobus versibus exprimuntur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex prioribus verbis significatur actio positiva, tribus verò posterioribus ostenditur cooperatio indirecta. *Ibid. punct. 3. nu.* 1. *& seq.*

17. Ad

17. Adverte eum non solum teneri ad restitutionem, qui damnum alteri intulit factis, sed etiam eum qui suis verbis alterum damnificavit, imponendo v. g. falsum crimen alteri, aut etiam verum, sed occultum, quod juridicè probari non potest. Similiter ille tenetur ad restitutionem, qui infert alicui damnum, quod alter intulisset; nam ipse proximè & realiter influit in damnum, consequenter in se transfundit obligationem, quam alter subisset: secus dicendum de eo, qui parato hodie occidere, suadet occidere altera die, vel in alio loco, ubi sit minus scandalum *ib. n.* 5. *& seq.*

18. Restitutio non est facienda ab eo, qui non est causa sed occasio damni; propterea qui alapa alterum percussit, percussus verò ægrè ferens alapam, ob impatientiam lapsus est in morbum, ex quo mortuus est, non tenetur ad restitutionem, quia impingens non censetur causa efficax mortis, cùm mors non sequatur ex vi hujus actionis injustæ, sed potius ex impatientia percussi, *ibid. num* 11. *&* 12.

19. Dubitans an sua actione vel omissione efficaciter cooperatus sit ad damnum alterius, v. g. homicidium, vel furtum, non tenetur ad restitutionem: hinc sequitur eum quoque non teneri ad restitutionem, qui dubitat utrum depositum vel commodatum sua culpa perierit. Idem dicendum de eo, qui dedit alteri consilium occidendi inimicum, sed postea dubitat ille, cui dedit consilium, verè commiserit homicidium, vel an suo consilio cooperatus sit ad illud; hic enim non tenetur ad restitutionem, quia possessio stat pro ipsius libertate. *ibid. punct. 4 num.* 1. *& seq.*

20. Quid faciendum, quando constat aliquem ex quatuor, damnum intulisse absque mutuo consensu vel consilio, sed dubitatur quisnam illorum damnum intulerit? Tali casu videtur obligandus unusquisque ad restitutionem ad ratam dubii majoris vel minoris *ib. n.* 5.

21. Inferens damnum consentienti absolutè & simpliciter, id est absque ullo involuntario admixto, non tenetur ad restitutionem, quia volenti & scienti non fit injuria: potest tamen fieri injuria aliis, quorum juri cedere non potest qui consentit. *ibid. punct.* 5. *nu.* 1.

22. Qui jussit vel mandavit damnum aliquod fieri, sed postea tacitè vel expressè mandatum revocavit, non tenetur ad restitutionem damni secuti per mandatarium, modò mandati revocatio innotuerit ipsi mandatario. Quare Titius non te-

netur ad restitutionem, quando mandavit Caio ut occideret inimicum ipsius Titii, sed Caius illum occidit postquam cognovit initam esse pacem inter Titium & inimicum. Quòd si revocatio mandati non innotuerit mandatario, mandatorre netur ad restitutionem damnorum, nam suo mandato censetur adhuc causa efficax damni, & non censetur sufficienter revocasse influxum antea præstitum. *Ib punct. 6. n 3 & seq.*

23. Petes, quid sit mandatum? Est contractus, quo quis officium honestum gratuito, expresse, vel tacitè suscipit exequendum in gratiam alterius. Dicitur *quo quis officium honestum*, quia mandatum debet esse de re bona & honesta, nam si sit de re illicita, non est validum *Ibid. num. 9 & 10.*

24 Ille qui jussus vel rogatus ab alio, ut rem aliquam emeret, quam cum posset ab uno emere pro triginta quæsivit a lium à quo eam pro viginti emit, non potest sibi decem quibus minoris emit, retinere. Et hoc verum est, etiamsi venditor dixerit illi, se gratia illius vilioni pretio vendere, quam soleat aliis; quia mandatarius debet utiliter gerere negotium mandatoris, & mandatum semper intelligitur, ut mandatarius minoris emat, quantum potest Propterea sartores tenentur ad restitutionem, quando non gerunt fideliter officium sibi commissum in emendis mercibus pro vestibus conficiendis. *Ibid. num. 14. & seq.*

25. Ille tamen qui rem aliquam accepit vendendam tanto pretio, eamque sibi pretio constituto accepit, & postea vendidit majori pretio, potest excessum sibi retinere, quia rem illam vendidit proprio nomine. *Ib. n. 17.*

26. Quando mandatarius mandatum accepit absque ulla forma expressa, debet prudenter, diligenter & rationabiliter negotia præstare; quæ si hoc modo præstiterit, valida erunt, & rata habenda à mandatore. *Ibid. num. 20.*

27 Consulens, id est, qui consilium præbet, hortatur, rogat vel instruit, tenetur ad restitutionem damni suo consilio illati, etiamsi post damnum illatum admonuerit causam exequentem ut restitueret, sed re ipsa nondum restituit. Imò consulens tenetur ad restitutionem damni ex suo consilio secuti, quamvis ante factum conatus fuerit consilium revocare, nisi forte consilium fuerit falsum, quia censetur adhuc causa efficax damni, dicitur que influxisse in damnum. Idem dicendum, etiamsi consulat aliquod damnum quod nihilominus alter consuluisset; nam obligatio quam alter subiisset, transfundi-

tur

gat in ipsum ratione damni secuti At non tenetur ad restitutionem, qui suo consilio, vel alia ratione fuit causa minoris damni quam alioquin fuisset illatum, quia hoc non est consentire malum, sed electionem minoris mali. Idem valet in ferente opem ad minus malum, modò tamen non ferat opem in actione extrinsecè mala, & non possit alia ratione delinquentem retrahere à majori delicto: hinc sequitur eum, qui alicui domino parato ad adulterandum, suadet, ut simplicem potius fornicationem committat, non peccare, quando non potest aliter eum retrahere ab adulterio. *Ib punct. 7. n. 2. & seq.*

28. Qui est causa majoris damni quam alioquin secutum fuisset, tenetur ad restitutionem, non quidem totius damni, sed illius tantùm excessus cujus ipse fuit causa Ille tamen non tenebitur ad restitutionem qui furi parato furripere duobus, suasit ut acciperet ab uno tantum, quia suadet minus malum parato facere majus. *Ibid. n 12 & seq.*

29. Confessarius, vel Parochus, vel Concionator tenetur ad restitutionem damni, cujus fuit causa per ignorantiam aut negligentiam. Tenetur similiter ad restitutionem ille qui ex culpa lata, vel ex ignorantia crassa docet aliquam falsitatem in materia fidei vel morum, vel in aliqua arte aut scientia, imò tenetur se retractare & errorem revocare: secus dicendum de idiotis & imperitis hominibus dantibus consilium bona fide, quamvis se sponte ingesserint ad dandum consilium, modò consilium dederint absque fraude & dolo, vel se peritos fingendo *Ib. n. 23. & seq.*

30. Qui suo consensu efficaciter concurrit ad damnum, tenetur ad restitutionem; propterea qui per suffragia necessaria, vel subscriptionem consentiunt, & influunt in mortem inferendam, vel in aliud damnum proximi, tenentur ad restitutionem. Imò adhuc tenetur ad restitutionem ille, qui prior tulit suffragium, sed certo noverat alios decrevisse ferre suum suffragium in eamdem partem, in quam ipse tulit suum. *Ibid. punct. 8. n 3 & seq.*

31. Palpans, qui laudat malefactorem, eumque ad inferendum alteri damnum inducit; item receptans, qui scilicet recipit, vel fovet, vel conservat malefactorem, vel asservat prædam, vel refugium & securitatem malefactori præbet ad patrandum delictum, vel ad non restituendum, tenetur ad restitutionem; propterea non excusantur cauponarii accipientes pecunias à filiisfamilias, vel à servis, surrepras à patribus, vel dominis rationabiliter invitis.

Adverte tamen recipientem furem ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, vel causa humanitatis, vel hospitii, vel necessitatis, non teneri ad restitutionem, quia non dicitur receptator furis mortaliter. Idem militat in abscondente delinquentem, illumque post delictum commissum adjuvante ad fugiendum, nullo modo concurrendo ad delictum. *Ibid. punct.* 10. *num.* 1. *& seq.*

32. Participans in opere intrinsecè malo contra justitiam, id est cooperans in damno alteri inferendo, ut in furando, vel in consumenda re aliena furto ablata, vel alia ratione, peccat, & tenetur ad restitutionem damni secuti; nam culpabiliter influit in damnum. Secus quando intervenit metus, seu rationabilis causa; propterea excusatur à restitutione, qui metu coactus, præbet furi claves vel instrumenta, quibus confringat arcas. Similiter excusantur Christiani capti à Turcis, navigantes, seu remigantes metu mortis in triremibus Turcarum contra Christianos; modò ex eorum remigatione non oriatur magnum Christianæ Reipublicæ incommodum. *Ibid punct.* 10. *n.* 3. *& seq.*

33. Qui ratum habet damnum suo nomine illatum, tenetur ne ad restitutionem? Respondetur negativè, quia non dicitur participare in damno alterius, cùm ratihabitio sit tempore posterior damnificatione, quamvis ratificans graviter peccet contra charitatem. *Ibid, num* 9.

34. Quicumque physicè vel moraliter causa est totius damni, tenetur in solidum, seu in totum ad restitutionem: qui verò non est causa totius damni, sed partis tantum, non tenetur in solidum, sed solum pro sua parte, quia quilibet tenetur ad restitutionem damni eo modo quo fuit illius causa efficax: hinc fit ut is qui fuit particeps prædæ jam factæ, teneatur ad restitutionem pro ea tantum parte, quæ ei obtigit, modò non fuerit particeps totius injustæ actionis; cooperando ad injustam actionem *Ibid n.* 10. *& seq.*

35. Quando plures scienter ingressi sunt viscam, & singuli levem uvæ quantitatem acceperunt, quæ simul sumpta est notabilis, singuli peccarunt mortaliter, suntque restitutioni obnoxii, quia singuli concurrunt ad damnum notabile. Item tenentur ad restitutionem comitantes furem, ostendentes iter custodientes sarcinas, tenentes scalas sine justo metu, vel excubias agentes dum fur delictum committit. *Ib. num.* 15. *& 17*

36. Mutus non obstans, vel non manifestans, qui sine justa cau-

causa non clamat, non impedit, vel non manifestat, cum teneatur ex justitia ratione officii, vel contractus clamare, impedire vel manifestare, obligatur in solidum ad restitutionem damni secuti; nam sic censetur causa damni, sicut censetur qui positivè influit in damnum: quare Principes, pastores, belli Duces, aliique publicam potestatem habentes, tenentur ad restitutionem non impediendo furta, vel alia damna suorum subditorum, quæ tenentur impedire ex officio, modò id fieri possit sine illorum majori damno vitæ, honoris, famæ, vel rei familiaris, non enim tenentur cum tanto dispendio, nisi fortè inde gravia damna, præsertim spiritualia, Reip. immineant. *Ibid punct.* 11. *n.* 2. *& seqq.*

37. An teneatur ad restitutionem ille qui interrogatus à vicino, cui bona furto sublata fuerunt, an fures viderit, vel audierit, respondet nec vidisse, nec audivisse? Resp. non teneri, quia non tenetur ex justitia, vel officio. Et hoc valet, etiamsi id faciat ex pravo animo. *Ibid. num.* 8.

38. Quæres, an Confessarii teneantur ad restitutionem, quando tua culpa vel malitia non admonent, vel non cogunt pœnitentem ad restitutionem faciendam, quam pœnitens fecisset, si Confessarius illam injunxisset, vel absolutionem denegasset? Resp. videri non teneri, modò Confessarii omissio & negligentia non habeat rationem consilii. *Ibid. nu.* 15.

39. Qui sine vi & fraude impedit alium, ne consequatur aliquod bonum, quod ei non debetur ex justitia, non tenetur ad restitutionem, etiamsi impediat animo nocendi: secus dicendum de illo, qui impedit alterum à consecutione alicujus boni, quod ei debetur ex justitia, etiamsi impediat sine vi, aut fraude; nam violat jus quod alter habet, ut sibi bonum conferretur. *Ibid. punct* 12. *num* 2. *&* 3.

40. Qui donationem nondum acceptatam curavit rescindi sine vi & fraude, aut impedivit ne Cajus instituere Titium heredem, vel curavit testamentum mutari, vel impedivit aliquem ne faceret testamentum, vel ne mutaret jam factum, non tenetur ad restitutionem, modò nulla vis aut fraus intercesserit. Idem dicendum de impediente dignum à beneficii consecutione, ut daretur digniori, non enim violavit jus digni cùm is non haberet jus ut præferretur digniori. *Ib. n.* 4 *& seq.*

41. Tenetur ad restitutionem, qui per mendacium (mendacium enim est fraus) impedivit Cajum, ne faceret eleemosynam pauperi, dicendo illum non esse pauperem, cùm revera egestate laboraret. *Ib, n.* 11.

42. Fur tenetur ad restitutionem rei acceptæ si extat, sive res melior vel deterior effecta sit, sive permanserit in eodem statu, compensato tamen reliquo damno; quia dominus non amisit dominium rei suæ extantis. Quod si res aliena cum propriis rebus ita commixta est, ut discerni nequeat, aut separari, non erit restituenda res illa individua, sed æqualis tantùm *Ibid. q. 3 punct. 1. n. 4. & 5.*

43. Tantum restituendum est, quantum sufficit ad faciendam æqualitatem debiti, vel damni illati, ita ut si quantitas debiti vel damni sit certa, tantumdem restituatur: si verò sit incerta, tantum restituatur, quantum vir prudens judicaverit, consideratis circumstantiis loci, temporis & personæ, habitaque ratione lucri cessantis & damni emergentis. Hinc sequitur, eum qui conculcavit segetes antequam ad maturitatem pervenirent, aut arbores adhuc teneras incidit, teneri arbitrio prudentis restituere, non solùm quanti res valebat tunc creditori, sed etiam quanti valuisset tempore messis, detractis expensis & laboribus, habitaque ratione periculi, ratione cujus fieri poterat ut per cœli injurias, aut per alios casus fortuitos non pervenissent ad maturitatem. *Ib. n. 8 & seq.*

44 Debitores nobiles aut alii qui constituto termino non solvunt pretium mercium creditò emptarum, & multo tempore differunt solutionem mercatoribus debitam, tenentur in conscientia restituere lucrum cessans mercatoribus, si constet re vera illis lucrum cessasse ob dilatam solutionem, tunc enim fuerunt causa injusta damni. *Ib. n. 12 & 13.*

45. Accepta pro faciendo opere licito debito ex alio præcepto quàm justitiæ, non sunt obnoxia restitutioni; quia ex violatione solius justitiæ oritur obligatio restituendi; in hoc autem casu non violatur justitia. *Ib. punct 2. n. 1.*

46. Similiter non est obligatio restituendi acceptum pro abstinendo ab opere illicito, à quo abstinendum erat ex alia virtute quàm justitiæ. Unde accipiens pecuniam ne blasphemet, aut ne fornicetur cum publica meretrice, &c, non tenetur acceptum restituere; secus dicendum, quando accipitur aliquid pro omittendo opere, v. g detractione quod ex justitia omittendum erat. *Ib. n. 3. & seq.*

47. Pro opere illicito patrando, seu pro turpi causa nihil dari vel accipi potest ante factum, quilibet enim tenetur abstinere à malo opere patrando: secus dicendum de opere illicito patrato contra justitiam, modò solutio non sit iniqua, ex. gr. simo-

simoniaca : hac de causa qui pro copula promisit pretium alicui feminæ, tenetur secuta copula illud persolvere, quia femina locavit corpus suum alteri, ex quo alter percepit voluptatem pretio æstimabilem. Non desunt tamen qui hanc sententiam improbent. Bona quoque incerta acquisita ex contractu, restituenda sunt pauperibus.

Judex qui pecuniam accipit proferenda sententia injustam, non tenetur post factum ad restitutionem pecuniæ acceptæ, quamvis teneatur damna reficere parti læsæ, contra quam tulit sententiam injustam. Hæc doctrina extenditur etiam ad falsum testem. *ibid. punct.* 3 *nu.* 2. *& seq.*

48. Acquisita ob turpem causam, v.g. per simoniam, restituenda sunt, non solùm ante factum, sed etiam secuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem dominii, vel inhabilem ad tem accipiendam. *ibid. num.* 11. *& seq.*

49. Bona inventa, quorum dominus ignoratur, restituenda sunt pauperibus, seu capsæ incertorum, juxta consuetudinem & decreta locorum, modò prius adhibita fuerit sufficiens diligentia in inquirendo domino, & dominus non fuerit inventus. Nomine autem *pauperum* intellige non solum privatos mendicos, sed etiam loca pia, ut monasteria, hospitalia pauperum, Ecclesias indigentes luminaribus, ornamentis, vel similibus. Neque opus est ut hæc bona incerta pauperioribus, aut melioribus tradantur, sed sufficit si veris pauperibus distribuantur, (præcisa tamen summa & extrema necessitate,) tali enim necessitate seu paupertate laborans præferendus est jure naturæ. *ibid. punct.* 4 *n.* 3. *& seq.*

50. Bona incerta acquisita ex delicto, ut ex injusta venditione, furto, aut alia defraudatione, restituenda sunt pauperibus ex jure positivo. Dicitur *ex jure positivo*, quia jure naturæ bona incerta non debentur pauperibus. *ibid. num.* 9.

51. Qui aliquos in vini mensura aut alio simili modo defraudavit, quorum aliquos cognoscit, & alios ignorat, tenetur portionem debitam iis reservare quos novit, portionem verò debitam ignotis, tenetur insumere in pauperes, vel in alia pia opera. *ibid. n* 11.

51. Habens bona incerta, potest ea sibi titulo paupertatis applicare de licentia Episcopi, vel Confessarii facultatem habentis applicandi, cum ipse non sit deterioris conditionis aliis pauperibus; secus si non sit pauper. *ibid num.* 13

53. Habens rem inventam, non tenetur illam restituere

cuicumque asserenti suam esse, quia non est temerè cuique credendum, sed diligentia adhibenda est, ut verus dominus inveniatur *ibid. num.* 16.

54. Pauper cui res incerta post sufficientem diligentiam applicata fuit, non tenetur domino comparenti restituere; quia pauper acquisivit dominium rei sibi traditæ; quamquam non desint, qui rem adhuc apud pauperem extantem restituendam non improbabiliter asserant. *ibid. nu* 18.

55. Tuta conscientia retineri possunt bona incerta, quæ per compositionem Summus Pontifex retineri concedit; credibile tamen est, si facta compositione reperiatur dominus, faciendam illi esse restitutionem, cum Summus Pontifex per compositionem nulli damnum inferre intendat, *ibid. num.* 21.

56. Bona laicorum morientium ab intestato, & non habentium heredes intra decimum gradum, jure communi civili devolvuntur ad fiscum, *l. vacantia. C. de bonis vacantib.* bona verò peregrini mortui ab intestato non pertinent ad hospitem apud quem mortuus est, sed per Episcopum deficientibus heredibus distribuenda sunt in pias causas. At bona derelicta, seu ea quæ abjiciuntur intentione non amplius illa recuperandi, fiunt occupantis. Adverte ad bona derelicta non revocari ea quæ in periculo sunt ejecta è navi, causa levandæ navis, & salvandæ vitæ: unde iniqua est lex quæ sancitur ut prædicta bona sint illius ad cujus locum pervenerint. Quòd si dubitetur an bona sint derelicta, præsumendum est non esse derelicta *ibid. punct* 4. *num.* 4. *& seq.*

57. Eripiens aliquid ex undis quod certo periturum erat, nisi ipse illud eripuisset, non potest illud ereptum sibi retinere; sicut neque ovem quam eripuit è lupi faucibus. Ille tamen qui ita rem aliquam eripuit cum periculo propriæ vitæ, detrahere potest æstimationem laboris & periculi quod subivit. *ibid num.* 7. *& seq.*

58. Thesaurus (seu vetus depositio pecuniæ cujus non extat memoria,) inventus in proprio fundo, totus est inventoris. Item & thesaurus in fundo alterius consentientis inventus, nisi inventor aliter convenerit cum domino fundi. Quando autem thesaurus data opera inventus est, totus pertinet ad dominum fundi, sive sit privata persona, sive civitas, sive quicumque alius *ibid. punct.* 6. *num* 1 *& seq.*

59. Thesaurus inventus in loco sacro & religioso, ut in Eccle-

Ecclesia, cœmeterio, platea ante Ecclesiam, &c. dividendus est inter inventorem & Prælatum aliumve cujus fuerit ille locus sacer. Quando autem thesaurus arte magica, vel alia ratione legibus prohibita inventus est, pertinet ad fiscum (saltem post sententiam judiciis,) quoad eam partem quæ alioquin esset inventoris, & hoc valet etiamsi inventus sit in proprio fundo. *ibid. num. 5 & 6.*

60. Sciens in fundo alterius latere thesaurum, si fundum emat, acquiritne dominium totius thesauri? Acquirit, neque emptor tenetur indicare venditori thesaurum latere in fundo illius: aut ob id pretium fundi augere. *ibid. num 7.*

61. Lapilli, gemmæ, ambarum, corallium, & alia hujusmodi quæ reperiuntur in littore Maris, vel in promontoriis, sunt primi occupantis, nisi aliter jure positivo decernatur: at venæ metallicæ auri, argenti, ferri, plumbi, &c. jure naturæ & gentium spectant ad dominum fundi; quamvis multis in locis, ut in Gallia & Hispania, aliter sancitum sit; concessumque sit ob bonum commune cuilibet jus effodiendi quasdam venas servato indemni domino agri. *ibid. num. 11. & 12.*

62. Animalia fera, ut sunt lupi, leones, lepores, &c. quæ in nullius custodia coercentur, & naturalem habent libertatem, fiunt primi occupantis. Idem dicendum est de animalibus mansuetis, v. g. gallinis, quæ facta sunt fera, & quæ judicio prudentis viri consuetudinem amiserunt redeundi ad priorem dominum, *ibid. punct 7. n. 3.*

63. Feræ, quæ continentur in aliquo parvo loco, ut in vivariis, aut parva sylva, spectant ad dominum custodiæ; quæ autem continentur in vastis locis, ut in magna sylva aut vasta palude, fiunt primi occupantis, quia in loco tam vasto videntur retinere naturalem suam libertatem *ibid. num 9.*

64 Venatio, piscatio, & aucupium reservari & prohiberi potest à domino agri, & à Principe, non solum quando hoc necessarium est ad ipsius Principis sustentationem, sed etiam propter solam oblectationem; præsertim quando ipsius dignitati ita conducit. Verũ tamen est tunc eum debere damna, quæ à feris inferuntur resarcire, & cavere ne inferantur. *ibid. num. 13.*

65. Fera meo capta instrumento & laqueo, fit mea (non autem eximentis illam è laqueo,) quando fera non se poterat inde eximere; nam sic censeor primus occupasse. Idẽ dic

de

de fera à me vulnerata, sed posteà ab alio capta; nam si illa adhuc fugere poterat, non est mea, sed primi capientis, si verò fugere amplius non poterat, eamque insequor cum probabili spe & morali certitudine eam capiendi, mea est. Denique, fera illius est, per quem libertatem amittit. *ibid. n.* 11.

66. Venans aut piscans venatione aut piscatione, quæ ob bonum commune prohibita est certis anni temporibus, aut certis instrumentis, aut alia simili ratione, non tenetur ad restitutionem, (nisi fortè notabile damnum inferat communitati,) sed satisfacit solvendo pœnam contra transgressores legum sancitam, secuta judicis sententia. *ibid. num.* 17.

67. Clericus aut alius Ecclesiasticus capiens feras liberas ea venatione, quæ ipsi est illicita & prohibita ratione decentiæ status, non tenetur ad restitutionem; cum accipiat rem quæ adhuc nullius est, & jure gentium fiat primi capientis. *ibid. num.* 19. & 20.

68. Emens vel accipiens feras quæ naturalem retinent libertatem à venatore, qui eas cepit in loco prohibito, non tenetur ad restitutionem, modò non accipiat in fraudem creditorum; secus dicendum de eo qui venatur vel piscatur quando jus venandi competit alicui particulari ratione locationis vel concessionis: hic enim tenetur ad restitutionem faciendam arbitrio prudentis viri. Idem dicendum de eo qui venatur & occupat feras mansuefactas, quæ naturalem libertatem amiserunt *ibid. num.* 23. & *seq.*

69. Peccat mortaliter, qui occidit aut vulnerat animal alterius, dum in suo prædio damnum infert; non enim habet jus occidendi aut vulnerandi, sed tantum exigendi satisfactionem, nisi fortè nequeat aliter damnum proprium impedire. Similiter illi tenentur ad restitutionem, qui venando canibus, equis aut pedibus suis inferunt damnum satis, vineis, aut aliis rebus. Item tenentur ad restitutionem qui ligna cædunt, vel fructus colligunt in alienis sylvis, aut in alienis pascuis sua pecora pascunt, nisi fortè sint pars communitatis cujus sunt sylvæ aut pascua *ibid. num.* 24 & *seq.*

70. Insulæ quæ aliquando in mari nascuntur, sunt primi occupantis; quæ verò in medio fluminum nascuntur, dividendæ sunt ex æquo inter eos qui ex utraque ripa possident prædia. Quòd si insula sit propinquior ripæ, fit illius cujus prædia sunt viciniora & prope ripam. Idem militat pro alveo. *ibid. num.* 28. & 30.

71. Plan-

71. Planta quæ radices egit in solo alicujus spectat ad eum, in cujus solo radices egit: si vero radices egit partim in solo unius, partim in solo alterius, fit communis. *ibid. nu.* 34.

72. Quæres, utrum damnum illatum per servos, vel animalia restituendum sit à domino? Respond dominus tenetur, etiam ante judicis sententiam, ad resarciendum damnum, quod sua culpa Theologica intulerunt ipsius servi, vel animalia. *ibid. punct.* 8. *num* 3.

73. An res pereat debitori, ita ut debitor teneatur ad novam restitutionem, quando res periit, vel non pervenit ad creditorem? Respond. si res quæ debetur ex delicto, casu, vel malitia nuntii à debitore electi, vel alia quavis ratione pereat, antequam perveniat ad creditorem, perit ipsi debitori; sive eadem numero, sive diversa restituenda esset; quia par non est ut creditor damnum patiatur ob alterius culpam, aut delictum. Similiter quando res non debetur ex culpa, seu delicto, nec est determinata in individuo, qualis est res mutuo accepta, si pereat vel deterior fiat, antequam perveniat ad creditorem, perit vel deterior fit debitori: quare mutuatarius tenebitur ad novam restitutionem, quando pecunia quæ creditori mittebatur pro solutione mutui, periit apud nuntium. *ibid. punct.* 9, *n.* 3. 4 & 5.

74. Quando autem res est incerta in individuo, & eadem numero debetur, perit creditori, si pereat absque culpa debitoris nulla præcedēte injusta ipsius acceptione. Et hoc verum est etiamsi nuntius electus fuerit ab ipso debitore. *ib. n.* 6

75. Debitor non tenetur ad restitutionem novam, quando rem sibi commodatam, vel pignori datam misit domino per servum quem sæpe expertus fuerat fidelem, sed modo cum re accepta aufugit, quia res domino perit non interveniente culpa, pacto, vel mora debitoris. Non tenebitur quoque debitor ad novam restiturionem, quando convenit cum creditore de re mittenda per servum, tradito certo signo, sed fur audito pacto, vel tradito sibi signo, rem à debitore accepit & aufugit. Et hoc verum est, sive res debita, determinata esset in individuo, Sive indeterminata. Limita tamen, modo debitor ipse non revelaverit signum. *ibidem num.* 10. & 11.

76. Petes, an debitor teneatur ad novam restitutionem, quando rem debitam noluit mittere per eum de quo convenerat cum creditore, sed misit per alium quem expertus

fuerat

fuerat fidelem, sed modo cum re accepta aufugit? Resp. debitorem non esse liberum ab onere restitutionis, quia debitor non adhibuit sufficientem diligentiam, non enim videtur diligens, qui contra formam pacti agit. *ibid num.* 13.

77. Possessor bonæ fidei qui rem bona fide accepit, & non fuit in mora restituendi, non tenetur ad restitutionem rei, quæ apud ipsum periit, nisi forte in aliqua re factus sit locupletior; secus dicendum de iniquo possessore qui rem injustè accepit, vel fuit in mora restituendi; is enim tenetur ad restitutionem rei quæ apud Dominum contingenter periritura erat. Dicitur *contingenter*, quia si res certo apud dominum peritura erat absque injusta actione, ad nihil tenetur, nisi fortè aliqua in re factus sit locupletior. Adverte iniquum possessorem rei alienæ non teneri ad restitutionem juxta summum valorem & æstimationem quam res habuit tempore acceptionis vel detentionis, si dominus non est passus damnum juxta summum valorem: quia restitutio facienda est ad æqualitatem damni illati domino rei; secus dicendum quando dominus passus est damnum juxta summum valorem, vel incrementum, etiamsi possessor iniquus inde non percepérit commodum. Ex his habes, furem accipientem vitulum qui tempore detentionis crevit in bovem, teneri ad restitutionem ipsius bovis, detractis expensis & laboribus industriæ factis à fure, quos dominus fecisset in educando animali, ipsumque redigendo ad eum statum. Ratio est, quia res domino fructificat. *ibid. punct.* 10 *num.* 1. & 2. *item punct.* 11. *n.* 2. 4. 5. & 6.

78. Quæres, an possessor iniquus teneatur ad restitutionem totius pretii & lucri, quo rem alienam furtivam vendidit, quam dominus non tanti vendidisset? Dicendum videtur, quando augmentum pretii fundatur tam in causis extrinsecis quam intrinsecis, & dominus rem suam non vendidisset tanto pretio, sed illam servasset usque ad tempus quo pretium rei diminutum fuisset, aut illam consumpsisset eo tempore, quo non crevisset in pretio, furem non teneri ad restituendum pretium quo rem alienam vendidit, vel quo valuit eo tempore quo eam consumpsit, sed teneri ad illud pretium restituendum, quo dominus rem suam vendidisset, vel quatenus fur censetur damnum domino intulisse. *ibid. num.* 8. & 9.

79 Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus in-

dustriæ perceptos ex re aliena; tenetur tamen restituere fructus tam naturales quam mixtos, tam pendentes quam perceptos, si extant. Si vero non extant, tenetur restituere id, in quo factus est ditior, deductis expensis & valore industriæ. *ibid. punct ult. §. 1. n. 3. & 7.*

80. Difficultas superest, utrum possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus naturales, vel mixtos, quando illos bona fide possedit per triennium? Ad quam difficultatem respondendum est negativè, quia res mobiles usucapiuntur triennali possessione. *ibid. num.* 10 Item

81. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus quos sua negligentia non percepit: secus dicendum de possessore malæ fidei, quia tenetur ad restitutionem fructuum, quos ipse non percepit, & quos tamen dominus rei percepisset. Et hoc verum est, etiamsi rem alienam meliorem effecisset, quod tamen effecturus non fuisset verus dominus. *ibid. num.* 15. *& §. 2 n. 1, & 2.*

82. Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus, quos dominus ex re sua potuisset percipere cum turpi causa, quia jura non patrocinantur delinquentibus; secus dicendum de pretio locationis domus alienæ, quam locavit meretrici, ad meretricandum. *ibid num 7. & 8.*

83. Possessor malæ fidei, aliusve injustus damnificator, regulariter loquendo, tenetur illi restitutionem facere, cui rem abstulit, modo ille cui rem abstulit, habeat aliquod jus circa rem ablatam; aut illi, cui damnum intulit, si restitutio facienda est ob damnum injuste illatum; aut illi qui succedit in jura alterius cui facienda erat restitutio: sic enim servatur æqualitas, & tollitur inæqualitas: at possessor bonæ fidei, qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroso, non tenetur postquam cognovit rem esse alienam, restituere illam domino, sed potest rescisso contractu restituere illi, à quo bona fide accepit, ut possit pretium suum recuperare. Quod si gratis accepit, tenetur comperto domino ipsi restituere, non autem furi à quo accepit. *ibidem q 4 punct 1. & punct 2. n. 1 & 2.*

84. Quid faciendum, quando ego bona fide emi equum, illumque bona fide vendidi Cajo; & post venditionem cognosco equum fuisse alienum, sed non invenitur Cajus, cui ego vendidi, quæritur utrum ego tenear aliquid Cajo, aut vero domino restituere? Dicendum me non teneri quid-

quam

quam restituere Cajo, cum is nullum reportet damnum, neque domino, quia res aliena apud me non extat, nec in aliquo factus sem locupletior, *ibid punct 2 n.10.*

65. Qui restituit creditori sui creditoris, quod debet suo creditori; videtur satisfacere, & non teneri ad novam restitutionem, modo debitum sui creditoris sit liquidum, nec ipsius creditor inde damnum patiatur. *ibid. punct. 3. n. 1.*

86. Sciens aliquid ab alio injuste possideri, non potest auctoritate propria, aut per vim illud accipere, ut restituat vero domino: sicut enim illud non est licitum vero domino præterquam in flagranti delicto, ita multo minus poterit alter qui non est proprius dominus, hoc licite præstare. *ib. n. 3.*

Ubi, cujus expensis, & quo tempore & ordine facienda sit restitutio.

87. Quando restitutionis obligatio nascitur solum ex re bona fide accepta, restitutio facienda est in loco ubi res habetur tunc temporis quo cognoscitur esse aliena, nec est injungendum onus possessori bonæ fidei, ut illam mittat domino suis expensis: quare si ego emi equum hic Parisiis, & posteà comperio esse cujusdam Bergomensis, satisfacio restituendo equum hic Parisiis, ubi equum habeo: si vero dominus est absens, re interim tuto loco conservata, admonendus est ut significet quid fieri velit de re sua, vel res ad ipsum mittenda erit ipsius expensis, prout magis expedire visum fuerit. Quando vero restitutionis obligatio nascetur ex injusta acceptione, facienda est restitutio expensis debitoris in loco, ubi dominus rem suam possessurus erat, si res illi ablata non fuisset; quia ratio dictat & suadet, ut onus imponatur debitori qui rem alienam injuste abstulit: non tenebitur tamen suis expensis restitutionem facere, quando majores expensæ faciendæ essent, quam res ipsa valeat, alioqui loco æqualitatis quæ servari debet, magna esset inæqualitas. *ibid q. 5. punct. unic. n. 1 & seq.*

88. Quando restitutionis obligatio consurgit ex contractu, vel quasi contractu celebrato in aliquo loco certo, restitutio facienda est in eodem loco, in quo res accepta fuit, nisi aliud in contractu fuerit expressum; aliquando tamen tacite censetur designatus locus is, seu domicilium, in quo creditor habitat. Sed quæres, cujus expensis facienda sit hæc

hæc restitutio? Respond. quando res accepta fuit in utilitatem debitoris, restitutio facienda est expensis debitoris: quando vero in utilitatem creditoris, res illi restituenda est suis expensis; nam ipsius negotium agitur; propterea depositum, commodatum & mutuum restituendum est in loco ubi acceptum fuit, expensis depositoris, commodatarii & mutuatarii, quandoquidem id in ipsorum commodum vergat. *ibid. n. 9. & seq.*

89. Quæres, an debitor qui non tenetur propriis expensis iem debitam restituere, teneatur eam suis expensis restituere, quando timet eas sibi non esse resarciendas à creditore? Respond, non teneri, non enim tenetur jacturam expensarum pati. *ibid. n. 8.*

90. Quicumque obstrictus est onere restituendi ratione rei acceptæ, vel injustæ acceptionis, aut detentionis, tenetur restituere statim moraliter ac commode potest, nisi dilationem obtineat à creditore, aut nisi creditor sit irrationabiliter invitus. Unde qui dum in lecto decumbit, vel existit ad mensam, recordatur se teneri ad restitutionem, non tenetur statim à mensa recedere, vel surgere è lecto, ut restitutionem faciat, *ibid. q. 6. punct. unic. n. 1 & 2.*

91. Ille tamen qui non restituit, cum possit restituere, tenetur ad restitutionem damni ex dilatione secuti, manetque in statu peccati mortalis quamdiu non restituit, nisi forte à mortali excusetur ratione parvitatis materiæ, aut brevitatis temporis: quod si longo tempore differat cum commodè possit restituere, tot peccata committit, quot sunt actus intentionis & voluntatis non restituendi. Neque Confessarius absolvere potest pœnitentem non habentem firmum propositum restituendi quamprimum poterit, data opportunitate. Idem dicendum quando non vult restituere nisi per partes, cum possit totum restituere; aut quando sæpius Confessario promisit restituere, sed nondum restituit de facto, cum posset commode restituere, nec obtinuit dilationem à creditore. *ibid n. 5. 6. 7. 9. 14. & seq.*

92. Inter cooperantes ad damnum ille principaliter tenetur ad restitutionem, qui præcepit damnum, modo in illud influxerit & habuerit auctoritatem supra illum cui delictum præcepit, qualis est judex respectu sibi subditi, dominus respectu servi, &c. Post causam vero præcipientem principaliter tenetur exequens qui per se ipsum physice cooperatus

est ad delictum patrandum: post causam exequentem principaliter tenetur consulens & mandans: post consulentem & mandantem, tenetur principaliter receptator: post receptatorem, principaliter tenetur non impediens & non manifestans, qui tenebatur ex officio impedire vel manifestare, vel clamare. Adverte tamen ante hos omnes prædictos eum principaliter & primo loco teneri ad restitutionem, qui rem alienam habet apud se extantem formaliter, vel inæquivalenti. *ibid. q 8 punct. 1. num. 4 1. 9. & 10.*

93. Causa minus principali restituente, causa principalis non tenetur quidquam restituere parti læsæ, (cum ei integre satisfactum sit à causa minus principali) verum tenetur servare indemnem causam minus principalem refarciendo quod ab ipsa fuit solutum parti læsæ. *ibid. n. 12.*

94. Similiter quando plures æqualiter tenentur restituere, sed unus integre restituit, ceteri tenentur ad restitutionem illi qui solvit; propterea una ex concausis minus principalibus restituente in defectum principalis, ceteri tenentur suam portionem illi refundere, seu refarcire ad ratam suæ cooperationis. *ibid. num. 14. & 15.*

95 Quando tres æqualiter tenentur ad restitutionem trecentorum aureorum, & unus integrè solvit, aliis duobus nolentibus restituere, sed posteà alter duorum proponit restituere, satisfacitne restituendo centum illi qui integrè solvit? Non satisfacit, sed debet adhuc quinquaginta. *ibid. n. 16.*

96 Quando vero plures damnum intulerunt, & dominus condonavit causæ principali obligationem, ceteri qui fuerunt causæ minus principales liberi sunt ab onere restitutionis, secus si condonavit uni tantum ex minus principalibus. Quod si omnes æqualiter teneantur ad restitutionem, & pars læsa remittit uni obligationem, cæteri tenentur in solidum ad restituendum residuum, detracta parte quæ restituenda fuisset ab eo cui facta fuit remissio. *ibid. n 17. & 18.*

97. Debitor qui non potest omnibus satisfacere, tenetur præferre eum, qui sibi credito vendit rem quæ adhuc extat apud ipsum debitorem, quia videtur contra rectam rationem, ut res adhuc extans apud emptorem nondum soluto pretio, tradatur potius extraneo, quam illi qui eam vendidit, Item habens multa debita, quorum aliqua sunt certa, & aliqua incerta, debet prius persolvere certa, quam incerta, si non est omnibus solvendo: ita enim dictat ratio naturalis.

Item

dem habens multa debita, quorum aliqua contracta sunt ex delicto, & aliqua ex contractu licito, & non tenetur prius persolvere contracta ex delicto quam ex contractu. *ibidem tract. 2. num. 8. & seq.*

98. Habens debita ex contractu oneroso, & aliqua ex contractu gratioso, tenetur prius persolvere debita ex contractu oneroso, ut si quis debeat Titio centum nummos ex contractu oneroso, ut si quis debeat Titio centum nummos ex contractu emptionis, & Cajo debeat centum ex promissione gratuita, tenetur in solutione facienda præferre Titium Cajo. Similiter in persolvendis debitis, prius facienda est solutio creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus, quam creditoribus personalibus hypothecam vel pignus non habentibus, qui communiter appellantur *creditores chirographarii*. Quando vero eadem res fuit pluribus hypothecata, sed non sufficit ad satisfaciendum omnibus, prius restitutio facienda est illi, cui prius fuit hypothecata, quia qui prior est tempore, potior est jure. Similiter quando res aliqua diversis temporibus vendita fuit multis in solidum, præferendus est primus emptor, si res nulli tradita fuit. Quod vero attinet ad creditores personales, dicendum illos habere æquale jus, consequenter nullum præferri debere, etiamsi forte unus petat ante alium, aut sit in extrema necessitate; tunc enim debitor tenetur prius petenti solvere. Non peccat autem creditor curando ut sibi fiat solutio ante alios, utitur enim jure suo, & nihil accipit alienum: secus dicendum de debitore, qui propria sponte tradit solutionem uni creditori, ut illi rem gratam faciat, peccat enim, cum sciat se impotentem reddi ad satisfaciendum omnibus creditoribus. *ibid. num. 12. & seq.*

99. Quando bona hereditatis non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus, possunt prius deduci expensæ necessariæ ad funus debitoris sepeliendi; quia expensæ funeris præcedunt omne debitum. *ibid. num. 25.*

100. Qui aliquid bona fide contractu oneroso accepit à debitore, nesciens alienationem esse in fraudem creditorum, non tenetur ad restitutionem, postquam cognovit alienationem factam esse in fraudem creditorum à debitore. Qui vero aliquid accepit à debitore titulo gratitudinis, ignorans acceptionem esse in fraudem creditorum, tenetur restituere id in quo factus est ditior, modo repetatur à creditoribus

ditoribus intra annum à die scientiæ *ibid. num. 27.*

100. Petes, utrum debitor qui non est creditoribus solvendo, peccat contra justitiam, & teneatur ad restitutionem damni quod passi sunt creditores, eo quod debitor repudiaverit legatum vel hereditatem, qua non repudiata satisfeciisset creditoribus? Resp. in foro conscientiæ peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem damni, quia censetur respuere media ad satisfaciendum *ibid. num. 36.*

Causæ propter quas differri vel omitti possit restitutio.

102 Damnum ipsius creditoris vel tertiæ personæ est causa sufficiens ad differendam restitutionem. Propterea quando restitutio creditur futura graviter perniciosa ipsi creditori, vel quando creditur allatura nocumentum alteri, differri potest in tempus congruum & magis opportunum. Hinc sequitur, me posse, imò etiam teneri denegare alteri gladium apud me depositum, petenti ad se vel alterum occidendum; & eum posse restitutionem differre qui commodato accepit equum, quem novit statim à furibus surripiendum. *ibid q. ult. punct 1. n. 1. 2. & 3.*

103. Potestne, vel teneturne debitor restituere rem, qua scit suum creditorem abusurum? Resp quando creditor abusurus est tantummodo in suum detrimentum, ex. gr. in ludos, ebrietates, meretrices, &c. debitorem posse, & teneri restituere præmissa correctione ne abutatur; secus si creditor abusurus sit in detrimentum & injuriam tertii. *ibid. nu. 4.*

104. Præterea causa sufficiens ad differendam restitutionem, est incommodum & damnum quod debitor longe majus patitur statim restituendo, quam patiatur creditor ex dilatione restitutionis. hoc tamen intellige de damno distincto à re ipsa restituenda. *ibid. num. 11.*

105. Hinc patet à fortiori debitorem posse restitutionem differre ob vitandum magnum & probabile periculum salutis animæ suæ & suorum: neque tenetur debitor restituere bona inferioris ordinis cum notabili jactura bonorum superioris ordinis; idcirco femina quæ suscepit filium ex adulterio, non tenetur manifestare suum adulterium ad impediendum damnum filiorum legitimorum, si ex ea manifestatione periculum incurrat vitæ vel famæ, quæ enumerantur inter bona superioris ordinis. Debet tamen fieri restitutio

in tali casu per Confessarium, si hoc modo restituendo non adsit periculum infamiæ, vel corporis. *ibid. numer.* 12. *& seq.*

106. Item debitor potest licite differre restitutionem, quando eam præstare non potest, nisi cadat à proprio statu juste acquisito, etiamsi debitum contraxerit ex delicto; ut excomessationibus, ludis, scortis, &c. neque Confessarius eum ita cogere debet ad restitutionem, ut ex tali restitutione debitor cogatur emendicare; debet tamen aliquid de victu suo & vestitu detrahere, ut restituat quantum potest salva decentia status bona fide acquisiti. *ibid. num.* 24. *&* 25.

107. Impotentia debitoris ad solvendum est similiter causa sufficiens differendæ restitutionis, quia impossibilium non est obligatio. Ad hanc causam revocari potest necessitas extrema debitoris; imò etiam necessitas gravis, modo creditor non existat in pari necessitate. Adverte tamen rem acceptam in extrema necessitate, sed adhuc extantem post necessitatem, transacta necessitate restituendam esse. *ibid. nu.* 30 32. *&* 34.

108 Cessio bonorum est adhuc causa sufficiens differendi restitutionē; quandoquidem is qui cessit bonis, censeatur esse impotens ad satisfaciendum debitis existentibus post cessionem. Qui cogitur cedere bonis suis, potest abscondere & retinere quantum necesse est ad tenuem sui & eorum quos alere tenetur sustentationem, juxta suum statum. *ibid. num* 36. *&* 37.

109. Omitti autem potest restitutio vel obtenta remissione debiti, modo facta sit omnino libere, nec sit à jure impedita, vel facta compensatione servatis debitis conditionibus ad justam compensationem requisitis, vel per compositionem obtentam à Summo Pontifice, quando ignoratur cui facienda sit restitutio, vel per præscriptionem legitimam *ibid. punct* 2. *num.* 1 10. 27. *&* 29.

110. Debitor excusaturne à restitutione ob ingressum in religionem? Respond debitorem non posse ingredi religionem, quando prævidet fore, ut ingrediendo nequeat satisfacere creditoribus, quibus satisfaceret manendo in sæculo, sive sit debitor ex contractu, sive ex delicto. Ratio est, quia obligatio justitiæ præferenda est consilio: religio autem est de consilio. *ibid.* §. 1. *num.* 1.

111 Debitor potestne ingredi religionem, quando dubitat

an manendo in sæculo satisfacturus sit creditoribus. Non potest, quia possessio stat pro debitoribus; secus dicendum si agatur tantum de promisso obsequio adimplendo, potest enim ingredi religionem ante illius adimpletionem; & hoc verum est, etiamsi promissioni additum sit juramentum: neque ingrediens religionem in prædicto casu, tenetur ad resarcienda damna quæ ex illa promissione non adimpleta obveniunt promissario, quamquam si adimpletio promissionis sit actus compatibilis cum religione, tenetur promittens eam adimplere etiam existens in religione. *ib. n. 3 & seq.*

112. Debitor qui religionem ingressus est ante præstitam satisfactionem, quam præstare poterat manendo in sæculo, tenetur curare ut suo labore vel arte acquirat bona quibus satisfaciat, ex gr. scribendo, vel aliquid aliud faciendo, quantum decet statum religiosum & regularem observantiam, interveniente licentia sui Superioris, quam Superior potest & tenetur concedere, ipse conscius erat debitorum, antequam debitorem admitteret ad religionem. Professio debitoris ingredientis religionem ante factam restitutionem valida est. Vide motum Pii V. super hac re. *ibidem, num. 7. 8.*

113. Qui alium induxit ad peccatum, vel abduxit à bono opere absque vi vel fraude, non tenetur ex justitia, sed ex charitate curare, ut à peccato resipiscat; secus si per vim, vel fraudem, v. g. falso dogmate induxerit ad peccatum, vel retraxerit à bono opere, v. g. ab ingressu religionis; is enim tenetur ex justitia vim & fraudem auferre, & curare ut à peccato resipiscat, & si commode potest, alium inducere ad religionis ingressum. *tom. 2. de restitutione in particulari, disp. 2. q. 1. punct. unic. n. 1. & seqq.*

ADDITIO.

De restitutione vid. Joan. Med. Pet. Nav. Lud. Carb. Nav. *lib. 7.* Salon. *q. 62. art. 2. contr. 1.* Thom. Mercat. Val. Bannes. Less. *l. 2. c. 7. & seq.* Syl. *restitutio 3. n. 2.* Nav. *l. 1. c. 21.*

Ad restitutionem tenetur & medicus, & advocatus, & confessor, ex negligentia, quæ damnum dedit iis, quorum causam agebant. Nam confessor, qui damnum dedit cui restituendum erat, non monendo restituere, non ei tenetur, causa enim non ejus, sed pœnitentis agit, quidam putant te-

neri,

neri, si ex crassa ignorantia dixit, ne restitueret. Confessor) Syl. *l.c.* Si ex crassa) vid. Nav. *c.* 17. *n.* 22.

Restituere non tenetur, qui sine vi & fraude impedivit liberam donationem, aut collationem beneficii, ad quod nondum erat jus acquisitum. Aut qui testamentum curavit mutari, etiam dolo, nondum enim per illud acquisitum jus, secundum quosdam; at alii merito istum teneri dicunt, quia contra justitiam faciens læsit. Vid. Salon. *l.c. controv.* 25 Joan. B Corr. *q.* 116. Sot. *l.c. art.* 3. *prop. fin.* Nav. *c.* 17. *n.* 70. Covarr. *in peccatum.* 2. *p.* §. *in fin.* Adria. *de restitut.* Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. Sylv. *rest.* 3 D. Thom. Cajet. 2 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 4 Vid. Tol. *lib.* 5. *c.* 19. *Testamentum*) Navar. *l.c.* Cord. *q.* 100. *At alii*) Cov Joan. B Corr. *l.c.* vid. Mercat. *de rest c* 17. Nav *l.c.*

Qui vulneravit, non tenetur de fœditate relicta à vulnere, sed sed de damno, atq; injuria. Navarr. *c.* 15, *n.* 22. Sed Sot. *l.c. art.* 3. *col* 13. deformitatem in mutilo repensandam putat. Scot. *d.* 13 *q.* 3. Palud *ibid. q.* 2 pro ablata vita, & pro mutilatione, præter damna, satisfaciendum putat. Sot *l.c col.* 19. veniæ petitione, aut alia arbitraria pœnitentia satisfaciendum ait. vid. Bannes. *l.c. dub.* 4.

Nec qui bona fide fecit, tenetur ad damnum inde secutum.

Nec meretrix mendaciis usitatis multa extorquens. Sot. *l.* 4. *q.* 7. *art.* 1. *col* 9. Bannes *l.c. art.* 1 *dub* 5. Nav. *c.* 17. *nu.* 41. *in fin.* At si fraude usa esset, dicens, se esse virginem, aut à viro principe tantum cognitam, teneretur. Lopez *p.* 1. *cap.* 96. Sot. Sanchez *l.c.* Cajet. 2. 2. *q* 62. *art.* 5. *ad* 2. Lopez *l.c.* cum Cajet. *in summ.* non communibus, sed importunis mulierum blanditiis extorta, restituenda esse ait.

Nec qui in extrema necessitate sua & creditoris, sibi retinuit; id quod quidam extendunt etiam ad uxoris aut filiorum extremam necessitatem Sot. *l.c. col.* 19. Scot. & Rich. in pari necessitate creditori à debitore, dum agitur de vitæ periculo, restituendum putant. Contrarium probabilius putat Sot. *l.c.* cum D. Thom. & Cajet. & problema putat de patre & creditore. *l.c* Leg P. N. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 2. 5. *de restit.*

De ordine restitutionis P. N. *l.* 4. *c. ult.* Nav. *c.* 17. *num.* 47. Med *de restit. quæst* 2. Angl 2. *p. Flor* C. Ant. 2. *p. tit.* 2 *c* 7 §. 3. Sylv *restitutio.* 7 Tol. *l.c. c.* 25. Carb. *de restit.* Lopez *p.* 1. *c.* 111. Ang. *restitutio,* 2. *n* 16. Less. *l.c. c.* 15. *d.* 1. 2 3 4 5. 6. 7.

In debitis ejusdem ordinis, ceteris paribus, solvenda prio-

ra, alioqui majori damno prius occurrendum. *Priora*) Vid. Sylv. *restitutio* 6. §. 5.

Restituendum, quantum acceptum est, nam restitutio ad æqualitatem reducit, S. Thom *q. 62. art. 3.*

Statuta regionum, aut civitatum de ordine restitutionis, contra jus naturale non valent. P. N. *l. 4. c. n.* 18. ex Cajet.

Reus.

Vide v. *Accusator.*

S.

Sabbatum.

Vide v. *Decalogus.*

Sacramentum.

Vide v. *Baptismus, Confirmatio,* &c.

SAcramentum est signum sacrum non solum significans, verum etiam infallibiliter efficiens rem sacram, sanctificantem homines.

Sacramentum non est ens rationis, quia vim habet efficiendi & significandi, etiam nullo cogitante intellectu, differtque sacramentum à sacramentalibus, quod illa suo usu præcise, & per se, & ex opere operato non conferant gratiam; sacramentum vero ex sua natura infallibiliter producit gratiam in suscipiente, nisi ponatur obex. Differt adhuc sacramentum à sacrificio ut sic, quod sacrificium institutum sit ad indicandum divinam excellentiam, non vero ad sanctificandum sacrificantem. *tom. 1. de Sacramentis in genere, disp. 1. q. 1. punct 1. n. 1. & seq.*

2. Tripliciter sacramentum dici potest signum, videlicet rememorative, ut passionis; demonstrative, ut gratiæ; & prognostice, ut gloriæ.

De ratione sacramenti est, ut sit signum, similitudine repræsentans id quod significat. *ibid. n. 7. & 8.*

3. Sacramenta novæ legis septem esse docet Concilium Tridentinum; Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucha-

charistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Inter hæc ordine necessitatis primum locum tenet Baptismus, deinde Pœnitentia; ordine vero perfectionis, primus locus debetur Eucharistiæ, quia continet Christum veræ sanctitatis auctorem. In statu innocentiæ non extiterunt sacramenta, justitia originali tunc sufficienter præstante, quod sacramenta præstitissent; in statu verò naturæ fuerant aliqua sacramenta, sicuti & statu legis scriptæ, videlicet Circumcisio, Sacrificium, Agnus Paschalis, & alia, quæ erant propriè dicta sacramenta, licet difficiliora & imperfectiora sacramentis novæ legis; nec conferebant gratiam ex opere operato, ut patet in Circumcisione. *Ibid. punct. 2. num. 1. & 3. & punct. 3. n. 2. 7. & 9.*

4. Sacramenta non sunt absolute & ex natura rei necessaria ad salutem, quia Deus potuisset alia media ad nostram salutem instituere; suppositâ tamen Christi institutione sunt necessaria, saltem aliqua, necessitate medii ad salutem, & similiter necessaria necessitate præcepti. *Ibid. punct. 4. num. 2. & seq.*

5. Omnia sacramenta novæ legis constant materia & forma: vel, ut alii loquuntur, rebus & verbis; verbis ut forma, rebus ut materia *Ibid. q. 2. punct. 1 num. 3.*

6. Materia sacramentorum duplex est, proxima scilicet & remota, v. g. in sacramento Baptismi materia remota est aqua, proxima verò ablutio, ut patebit ex dicendis propriis locis. Sacramentorum materia ita determinata est à Christo Domino, ut ab Ecclesia mutari aut variari non possit; ne quidem in ipso sacramento matrimonii formaliter & propriè. Et sicut est determinata materia sacramentorum, ita etiam est determinata forma seu verba; ita ut si verba formaliter seu substantialiter varientur, sacramenta subsistere non possint. Neque loco verborum formæ, possunt adhiberi nutus, aut signa, aut scriptura, cùm Christus pro forma sacramentorum instituerit verba, excepto matrimonio, in quo præscripsit id quod requiritur ad humanum contractum, qui celebrari potest iis nutibus & signis, quibus contrahentium consensus & animus sufficienter manifestatur. *Ibid. n. 6. 7. 11. & seq.*

7. Prædictis adde, non solum peccare eum qui utitur in sacramentis conficiendis forma dubia; verum etiam, qui utitur forma certa, sed ei aliquid addit vel detrahit; facit enim contra ritum Ecclesiæ in re gravi. *Ibid. num. 32. & 34.*

8. Adde denique iterandam esse formam, seu Sacramentum

iterum esse administrandum, quoties quis advertit se in forma defeciſſe, aut non rectè protuliſſe, modo non ſit neceſſitas conficiendi & ſuſcipiendi Sacramentum. *ibid.* n. 35.

9. Res & verba, ſeu materia & forma, non ſolum ſunt partes intrinſecæ Sacramentorum novæ legis, ſed etiam ſunt de eſſentia; tribus enim perficiuntur Sacramenta: rebus, ut materia; verbis, ut forma; cum intentione miniſtri, ut habet Concilium Florentinum, *in decreto unionis*. Ad validitatem Sacramenti ubique terrarum ſufficit eadem materia & forma in ſingulis Sacramentis, quæ forma tota & integra proferenda eſt ab uno & eodem miniſtro, *ibid. punct.* 2. *num.* 3. & *punct.* 3. n. 1. & *punct.* 4 n. 1.

10. Omnia Sacramenta fuiſſe à Chriſto inſtituta per poteſtatem excellentiæ, patet ex definitione Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 1. quam poteſtatem inſtituendi Sacramenta potuit communicare Apoſtolis, vel Eccleſiæ, quod tamen non fecit; tum ne plura eſſent capita in Eccleſia, tum ne homines ponerent ſpem ſuam in hominibus *Ibid. q.* 3 *punct.* 1. *num.* 5. & *ſeq.*

11. Quod ad cauſam miniſterialem Sacramentorum attinet, ſolum homo de potentia Dei ordinaria, eſt miniſter neceſſarius & ſufficiens, quamvis Angeli ex divina diſpenſatione poſſint eſſe miniſtri Sacramentorum, ipſique dæmones de potentia Dei abſoluta poſſint in aſſumpto corpore valide baptizare de mandato Dei. *ibid. num.* 8. & *ſeq.*

12. Quæ verò conditiones requiruntur in miniſtro Sacramentorum, patet ex dictis de ſingulis Sacramentis; nunc ſufficiat dicere, ad validè conficiendum Sacramentum requiri neceſſario in miniſtro intentionem faciendi quod intendit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit. Per *intentionem*, intellige virtualem, non autem habitualem, quæ non ſufficit, ſicut nec habitualis attentio; ſed eſt neceſſaria virtualis, aut actualis. *Ibid. punct* 2 §. 3, *num.* 5 8. & 11.

13. Nec refert, quod intentio ſit conditionata: Sacramentum enim adminiſtratum ſub conditione de præſenti, vel de præterito, validum eſt, ſi res ita ſit ſicut exprimitur in conditione: ſecus dicendum de Sacramento ſub conditione de futuro adminiſtrato, quod non eſt validum, excepto matrimonio, de quo ſuo loco. *Ibid num.* 18. & 19.

14. Omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato, ut patet ex Trident. *ſeſſ* 7. *can.* 8. 9 ſemperque gratia confertur ea ſuſcipienti, niſi ponat obiçem, id eſt, niſi Sa-

Sacramenta suscipiat sine dispositionibus debitis, aut cum peccato mortali actualiter tunc commisso; neque Sacramenta solum conferunt gratiam justificantem, verum etiam gratiam virtutum, seu donorum, & gratiam sacramentalem. *Ibid. §.4 punct.1.n.2.5.& 6.*

15. Baptismus & pœnitentia ex sua institutione conferunt primam gratiam, id est, eam, quæ nullam aliam supponit in subjecto, reliqua verò Sacramenta instituta sunt ad augendam gratiam, & supponunt suscipientem constitutum in gratia, nec conferunt primam gratiam primario, & per se. *Ibid. punct. 2.num.1.*

16. Dispositio requisita in suscipiente Sacramenta duplex est, una in intellectu, ut fides; altera in voluntate consistit, ut attritio; & qui recipiunt Sacramenta ejusdem speciei cum æquali dispositione, recipiunt æqualem gratiam: non nego tamen, quin Deus possit æqualiter disposito majorem gratiam conferre, sed talis excessus gratiæ non erit effectus Sacramenti, sed donum à Deo gratis & liberaliter datum. *Ibid. n.4 & punct 3 num.1.*

17. Recipientes Sacramenta ejusdem rationis cum inæquali dispositione, inæqualem gratiam recipiunt, quæ inæqualitas gratiæ non causatur à meliori ministro, quia gratia non confertur ob meritum ministri, sed ob merita Christi, quæ non minuuntur ob indignitatem, & improbitatem ministri. *Ib punct.3.n 2.& punct 4.n.1.*

18. Gratia quæ confertur in sacramentis non est diversa essentialiter, sed est ejusdem speciei in omnibus sacramentis: verum tamen est gratiam sacramentorum esse diversam accidentaliter. *Ib.punct 5.n.1.*

19. Difficultas est quomodo sacramenta conferant, vel producant gratiam, moraliterne scilicet, an physicè? Dicendum sacramenta non modo esse causam moralem instrumentalis gratiæ, verum etiam causam physicam verè producentem ipsam gratiam immediatè, non enim implicat, Deum uti creatura ad aliquid supernaturale, & ad faciendum id quod ipsa creatura viribus naturæ facere non potest, ut patet in Christi humanitate, quæ fuit instrumentum physicum efficiendi gratiam & miracula. *Ibid.punct.6.n.3.*

20. Quæres, quo tempore sacramenta conferant gratiam? Resp. quando sunt in esse completo sacramenti, v.g. Baptismus causat gratiam in eo instanti, in quo ablutio & prolatio ver-

verborum gignit perfectum sensum, & sic de reliquis sacramentis *Ibid. punct. 7. n. 1. & seq.*

21. Secundarius sacramentorum (saltem horum, Baptismi scilicet, Confirmationis, & Ordinis) effectus est character, sive qualitas spiritualis animæ divinitus infusæ, qua homo redditur aptus ad sacramenta suscipienda, vel administranda, & ad alia divini cultus opera: quem characterem sacramenta veteris legis conferebant. *Ibid. q. 5. punct. 1. num. 2. & seq. & punct. 2. n. 1.*

22. Character semel susceptus semper durat & permanet: unde fit, ut Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis non sint iterabilia *Ibid. punct. 3. n. 4. & 5.*

23. Subjectum sacramentorum capax, nullum datur præter hominem in hac mortali vita degentem; qui non semper tamen est capax omnium sacramentorum, ut patet in femina, quæ est incapax Ordinis, Hermaphrodito, & similibus *Ibid. q. 6. punct. 1. num. 1. & 5.*

24. Angeli, utpote spirituales, sunt incapaces sacramenti, quod in rebus materialibus consistit; secus dicendum de beatis, qui de potentia Dei absoluta possunt recipere sacramentum, cum id non implicet contradictionem. *Ib. n. 2. & 3.*

25. Mus comedens hostiam, aut equus hauriens aquam Baptismi, non dicuntur idcirco sacramenti capaces, cum non sumant ut sacramentum. *Ibid. num. 4.*

26. Præterea in homine adulto recipiente sacramenta, requiritur debita intentio (saltem habitualis) suscipiendi sacramentum, sicut & in ministro requiritur intentio conficiendi sacramenta. Hinc deducitur eum non recipere sacramentum, qui habuit voluntatem numquam recipiendi sacramenta, & postea illa suscepit in amentia, antequam alio modo revocaverit dictam voluntatem; aut qui sacramentum accepit cum intentione neutrali, ut patet ex dictis, verb. *Baptismus. Ib. punct. 2. num. 1. 5. & 7.*

26 In pueris rationis usu carentibus, non requiritur intentio sacramentorum, cum non possint actum voluntatis elicere. *Ibid num. 2.*

28. Præter intentionem in adulto recipiente sacramenta, requiritur talis dispositio, qua recipiens sacramentum ita disponatur, ut sit capax saltem principalis effectus, seu gratiæ. *Ibid. n. 10.*

29. Qui accepit aliquod sacramentum cum fictione (ut qui

quia deficit intentio) sublata illa fictione, & mutata voluntate non recipit effectum; secus dicendum de eo, qui recipit pœnitentiæ sacramentum, prætermissa inculpabiliter attritione, & dolore requisito ad fructum sacramenti, sublata enim fictione, id est, posita attritione, consequitur effectum sacramenti & gratiam respondentem sacramento præterito. *Ibid. punct.* 3. *n.* 2. 3. *&* 4.

30. Non sunt administranda sacramenta peccatori publico indigne petenti, neque graviter suspecto de gravi crimine: secus dicendum de peccatore occulto, si petat publice, & repelli non possit sine scandalo & infamia. *Ibid. punct.* 4 *num.* 2 *& seq.*

31. Nomine *publici peccatoris*, intellige Histrionem, qui comœdias turpes publice repræsentat; arcendus est enim à sacramentis, donec illam artem deserat. Idem dic de usurario publico & notorio: potest tamen Sacerdos peccatori publico, ob metum administrare sacramenta, neque potest hujusmodi peccatori hostiam non consecratam præbere. *Ibid num.* 7. 9. 14. & 15.

32. Sicut non licet administrare sacramenta indigne petenti, ita neque recipere sacramenta extra necessitatem à ministro administraturo in peccato gravi; in necessitate verò licitum est sacramenta petere à quocumque Sacerdote peccatore, neque tenetur qui vult recipere sacramenta ab aliquo Sacerdote, inquirere an Sacerdos sit probus, & an ea administraturus sit in peccato. *Ibid. punct.* 5. *num.* 1. 2. *&* 5.

33. Sacramenta nec licite nec valide administrantur sine ritu essentiali; quandoquidem ritus essentialis consistat in materia, forma, & debita intentione ministri. Administrantur tamen valide, sed non licite, sine ritu accidentali, quos ritus accidentales variare, est peccatum mortale ex suo genere, quamvis levitas materiæ possit à mortali excusare. *Ibid. q. ult. punct. unic. num.* 1 *& seq.*

ADDITIO.

Quæres: Sithe necessaria fides in ministerio sacramentorum. Resp. Non esse necessariam. 1. Quia ita definitum est in Concilio Nicæno 1. teste Aug. & Hieron. Ratio: Quia minister nihil facit in sacramento nisi virtute divina *Ioan* 1. *Ipse est, qui baptizat in virtute spiritus*. E. auctoritas conferens sacramenta, data est in utilitatem aliorum. E. non debet auferri culpa alterius. Hæc Busæus.

Quæ-

Quæres: An sit necessaria intentio in ministro? Pro intelligentia nota duplicem esse intentionem, unam faciendi tantum actum externum sacramenti, ut abluendi puerum aqua, alteram faciendi præterea quod facit Ecclesia, & Christus instituit. Catharin. *in opusc. de intention. mis.* putat priorem intentionem, tantum esse necessariam, & hanc Palud. putat esse probabiliorem. Sed contraria sententia est communis Doct. utramque esse necessariam, quod jam est de fide. Prob 1 Quia Concil. Trident. *sess. 7. can.* 11. expresse definit, requiri intentionem faciendi id quod facit Ecclesia 2. quia minister sacramenti est agens liberum, & ratione præditum: at de ratione agentis liberi est, ut prævia intentione operetur. 3. verba illa sacramenti possunt variè significare, v. g ego te baptizo, id est abluo, ut refrigerationem, humectationem, purgationem à sordibus. E. intentione ministri debent determinari ad significandam purgationem à peccatis. Hæc Busæus.

Quæres: An in ministro necessaria sit probitas, ut conficiat sacramentum. Olim Donatistæ negabant, posse peccatores conficere sacramentum. Apostolici verò, Albigenses, & Waldenses negarunt etiam occultos peccatores conficere posse sacramentum. Verum de fide certum est, non esse necessariam probitatem. Et probatur. Quia Judas licet peccator & reprobus, tamen verè baptizabat, teste Aug. *5. tract. in Ioan.* 2. Quia minister sacramentorum non operatur virtute propria, sed ut instrumentum, virtute aliena Dei & Christi, ergo ejus malitia non potest impedire effectum sacramenti. 3. Probatur similibus, quibus utitur Aug. ut aquæ, quæ æquè pura per lapideum quàm argenteum canalem derivatur: boni seminis, quod æquè sordidis ac puris manibus plantatur. Hinc sequitur, etiam excommunicatos, schismaticos, apostatas, vera conferre & conficere sacramenta, si sunt Episcopi, vel Sacerdotes, excepto uno pœnitentiæ sacramento, quia hoc requirit jurisdictionem, quæ per excommunicationem ei est sublata. Busæus.

Quæres: An liceat accipere sacramenta à ministris malis. Pro solutione nota, ministros dupliciter se posse habere, 1. ut sunt parochi, vel prælati proprii, qui tenentur suis subditis ministrare sacramenta; vel ut non sunt tales, sed tantum simpliciter sacerdotes. 2 ut sint ad ea administranda parati, vel non. Respond. ergo 1. A ministro malo parato ad administrandum sacramentum, licitum esse illud accipere, sive sit extrema necessitas, sive non. Ita habetur 15. q. 8. *in c. suscitantis.* & 1. q. 1. can.

can. per Esaiam, & ex Concil. Constant. sess. 10. Resp. 2. minis-trum malum si sit parochus, etiam imparatum posse induci ad administrandum sacramentum, ut Cajet. & alii docent. Respond. 3. In extrema necessitate posse etiam induci ministrum non parochum, maximè autem in Baptismo, & confessione. Patet, quia in extrema necessitate non est verisimile, Deum nos obligasse ad Parochum. Hinc sequitur tandem, mortaliter peccari, quando quis extra necessitatem inducit ministrum non parochum, ad sacramenta administranda.

Quæres: An liceat sacramenta accipere à concubinariis ministris, vel officium Missæ ab iis dictum audire. Pro intelligentia nota ex S. Thom. *in 4. d. 13 q 1. art. ult. & quodlib.* 11. *a.* 2 Concubinarium sacerdotem vel esse occultum, vel notorium. Et rursum, notorium posse esse tribus modis, ut indicatur *c. quæsitum, de cohab. cler. & mul.* 1 sententia judicis Ecclesiastici, 2. spontanea criminis confessione: & utraque notorietas dicitur juris. 3. evidentia facti, quæ nulla tergiversatione celari potest Nota 2. Omnes DD. convenire, quando sacerdos nullo istorum modorum est notorius, etsi aliquis sit rumor & fama, non peccare, qui ab eo divina officia audiunt, vel sacramenta etiam extra necessitatem suscipiunt, ut habetur *c. vestra, & c. quæsitum, l. c.* Deinde certum est, si sit notorius vel sententia judicis, vel confessione propria in judicio, non posse ab eo suscipi sacramenta, vel divina officia audiri. Id enim prohibetur *in c. nullus d.* 32. *& c. præterea hoc. d.* 32. *& in c. vestrum. & c. tuæ nostræ. de cohab.* Et ratio est, quia eo ipso non toleratur ab Ecclesia, sed ut omnes fere dicunt, sunt suspensi. Ita S. Thom. *l. c.* Dubium autem est, an liceat suscipere sacramenta à concubinariis notoriis, evidentia facti. Hugo, Archid. Landulph & alii, volunt requiri monitionem Episcopi, seu prælati. Contrarium sequitur Raymund. Joan. Andr. Ostiens. Anton. de Butr. Panorm. *in cap. vestra*, & D. Thom. *l. c.* non requiri monitionem. Quam sententiam probabiliorem putant Ant. Tabien. Sylv. Fum. Rosell. Et ratio eorum est, quia in *can. iam cis.* nulla fit mentio monitionis. Addunt tamen Rosell. Tab. & Fum. *c.* 29. *n.* 29. eos, qui probabiliter ignorant legem humanam prohibentem, ne quis missam notorii concubinarii audiat, non peccare, quia ignorantia probabilis juris excusatur. *c.* 2. *de const.* Hæc Busæus.

ADDI-

ADDITIO.

Sacra.

Sacræ vestes pollutæ luxuria, iterum benedicendæ. vid. Sylv. *verſ. veſtis.* Graff *l* 2. *c.* 41. *n.* 7.

Sacra vendita ad usus profanos, prius dissolvenda, sic ut formam amittant: quod si lapides sint & ligna dirutæ Ecclesiæ, possunt verti in usum profanum de Episcopi licentia. vid. Ang. *verſ consecratio veſtimentorum.*

Sacra tangi à laicis sine contemptu, non est peccatum mortale. Ita Sot. *d* 13 *q* 2. *art.* 3. *ad* 3 vid. etiam Suar. *t.* 3. 81. *sect.* 3. & *c. veſtimenta. c. in sancta. d.* 1. Graff. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 7.

Sacra vetustate consumpta, comburenda, & cineres in Ecclesia reponendi, ligna tamen & lapides possunt servire loco religioso, honesto. *c. altaris. de consecr. d* 1.

Sacra vasa & vestimenta habere enormiter immunda, mortale est, & iis qui habent, & prælatis qui non provident. Syl. *vaſa ſacra.*

Sacer dicitur locus, cum est benedictione deputatus ad officia divina, aut sepulturam. Vid. Sot. 32. *q.* 1. *art.* 3. Azor. *lib.* 6. *c.* 27. *q.* 5.

Sacrilegium.

Vid. v. *Immunitas, Suſpenſio.*

1. Sacrilegium est violatio rei sacræ, v. g. sacramentorum, vestium sacrarum, &c. vel personæ Ecclesiasticæ, vel locorum auctoritate Episcopi consecratorum. Ex quo fit ut sacrilegium committat qui abutitur verbis & sententiis sacræ Scripturæ ad superstitiones, vel ad ridicula. Tangens quoque imagines ex contemptu, vel eas indecore pingens, vel irreverenter tractans, committit sacrilegium. Idem dic de abutente vasis, vestibus sacris, vel injuriam inferente sacramentis. Item effringentes & spoliantes loca sacra, committunt sacrilegium, & excommunicationem ipso facto incurrunt. Adverte tamen ad incurrendam dictam excommunicationem requiri, ut eodem tempore concurrat effractio & spoliatio loci sacri: neque incurritur ab eo qui effringit Sacristiam disiunctam ab Ecclesia. Est reservata Papæ, sed tantum post denuntiationem. *tom.* 2. *circa*

tinet 1 Decalogi præceptum, disp. 3 q. 6. punct. unic. n. 1. & seq.

2. Placita judicum & ministrorum regularium exercita in Ecclesiis vel cœmeteriis, valida non sunt: imò Episcopus aliique Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes concedere nequeunt judici sæculari facultatem exercendi actus judiciales in Ecclesiis, neque examinandi reum in loco sacro, *Ib. num.* 17. 18. & 20.

3. Committitur sacrilegium per effusionem seminis vel sanguinis, & per extractionem personæ è loco sacro præterquam in casibus paulò post afferendis. *Ibid. nu.* 21. & 22.

4. Per quodcumque furtum in Ecclesia commissum, sive res sit sacra, sive non, sive quocumque modo custodita, &c. committitur sacrilegium: secus si furtum fiat contra Ecclesiam, modo res non sit Ecclesiæ. *Ibid. n.* 23.

5. Existens in Ecclesia cum animo furandi, fornicandi, occidendi, &c. non committit sacrilegium, modò non intendat hæc facere in eadem Ecclesia. *Ib. n.* 24.

Sacrilegium in materia luxuriæ.

6. Sacrilegium est peccatum luxuriæ, quo res sacra violatur, sive res illa sit persona Deo dicata per votum, sive sit locus consecratus, sive sit alia res sacra. Hinc fit, ut committat sacrilegium qui copulam habet, aut desiderat habere cum moniali. Similiter religiosus aut sacris initiatus, patrans aliquod luxuriæ peccatum, committit sacrilegium: & etiam is, qui exercet aliquem actum luxuriosum circa rem sacram. *to.* 1. *de iis, quæ pertinent ad usum matrim. qu.* 4. *punct. ult. num.* 1. & *seq.*

7. Non est sacrilegium copulam habere cum femina habente sacras reliquias ad collum, secus dicendum, si tradantur res sacræ pro copula, aut copula habeatur in loco sacro absque necessitate. *Ibid num.* 5. & 6.

8. Concupiscere feminam existentem in Ecclesia, vel in ea delectari, non est speciale sacrilegium, quia non violatur directè locus sacer, nisi concupiscens haberet intentionem habendi copulam in loco sacro. Præterea inspectiones, verba turpia, & tactus impudici facti in Ecclesia non sunt sacrilegium; modo periculum pollutionis non habeant adjunctum. *Ibid. num.* 7 & 8.

9. Nomine *loci sacri*, in hac materia intelligitur Ecclesia

consecrata, vel benedicta, cœmeteria, & oratoria constituta auctoritate Episcopi, & deputata ad divinum cultum. Hinc collige, copulam habitam in Ecclesia auctoritate Episcopi destructa, non habere malitiam sacrilegii; non enim est locus sacer. *Ibid num. 9. & 10.*

10. Locus sacer in Ecclesia vocatur spatium illud quod spectat ad interius corpus Ecclesiæ a tecto interiori usque ad pavimentum. Quare non violatur locus sacer, quando copula habetur supra tectum Ecclesiæ, aut extra parietes, modò non inserviant pro muro cœmeterii: aut quando habetur in aliquo loco subterraneo Ecclesiæ, qui tamen non sit sepultura: aut in campanili: aut extra limen Ecclesiæ: aut in Ecclesia diruta quæ non est amplius Ecclesia. Committitur sacrilegium quando copula habetur in Capella de novo addita Ecclesiæ, quia pars addita fit unum corpus cum priori; consequenter gaudet illius privilegiis. *Ibid. num. 11 & seq.*

11. Ecclesia polluitur per voluntariam seminis aut sanguinis humani effusionem injuriosam in ea, aut quando datur causa naturalis talis effusionis aut mortis. Polluta Ecclesia censetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum. *Ibid. num. 19. 20. & 21.*

12. Polluitur etiam Ecclesia, quando benedicitur vel consecratur ab Episcopo excommunicato publico; aut quando in ea sepelitur paganus aut infidelis; aut quando parietes Ecclesiæ majori ex parte ita destruuntur, ut Ecclesia reædificari debeat. Quando inter celebrandum Ecclesia violatur, debet Sacerdos intermittere sacrum inchoatum, si nondum inchoatus est Canon; si verò inchoatus sit, debet sacrificium perficere. *Ibid. n. 22 & seq.*

13 Celebrans in Ecclesia polluta ab eo die quo delictum in ea commissum publicatum fuit, incurrit suspensionem. *Ibid. num. 26.*

14. Probabile est unum tantummodo sacrilegii peccatum ab eo patrari, qui cùm sit simul Sacerdos & religiosus professus, committit nihilominus aliquod luxuriæ scelus. Idem dici potest de femina copulam habente cum Sacerdote religioso professo. Quare pœnitens accusans se de copula, satisfaciet dicendo in confessione se esse religiosum vel Sacerdotem, vel habuisse copulam cum Sacerdote. *Ibid. n. 28. & 29.*

Satis-

Satisfactio,

& quomodo injungenda à Confessario.

1. Satisfactio est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus & laboriosis taxatis à Confessario Satisfactio a Confessario imposita non semper remittit omnem pœnam peccatis debitam; cùm ipse Confessarius non cognoscat quanta pœna peccatis debeatur: estque validum sacramentum pœnitentiæ, etiamsi (præcisa tamen malitia pœnitentis) Confessarius nullam pœnitentiam injungat, cum satisfactionis injunctio non sit pars essentialis sacramenti: tenetur tamen Confessarius, per se loquendo, pœnitentiam seu satisfactionem convenientem injungere quantum fieri poterit, pro qualitate criminum, nisi fortè pœnitens infirmus esset, ac morti proximus *tom. 1. de Pœnitentiæ Sacramento, disp. 5. quæst. 5. sect 3. punct. 1. n. 1. & seq & punct. 2. n. 1 & seq.*

2. Non est injungenda pœnitentia, quando Confessarius adeo contritum videt pœnitentem: ut credat integre Deo satisfecisse. Quæ doctrina extendenda est etiam ad scrupulosum, frequenter intra eamdem horam accedentem ad Confessarium. *Ibid punct 2 n 3. & 4.*

3. An possit absolvi pœnitens nulla injuncta pœnitentia, quando probabiliter creditur nullam acceptaturus, dissentiunt Doctores; videturque talis indignus beneficio absolutionis. *Ib. num. 5.*

4. Confessarius tenetur satisfactionem injungere, & non quidem per modum consilii, sed prout necesse judicaverit, potest illam sub disiunctione præcipere. Advertat tamen Confessarius ut opus quod in satisfactionem injungitur; sit opus bonum pœnale, qualia sunt oratio, jejunium, eleemosyna, & similia quæ ad illa revocantur. *Ibid. num. 6 & seq.*

5. Meditationes, & opus alias præceptum, injungi possunt in satisfactionem: imponens tamen pœnitentiam, & nihil aliud exprimens, non censetur injungere opus alias debitum ex præcepto, v. g. is cui injunctum est jejunium, non satisfacit pœnitentiæ jejunando eo die quo tenetur ex Ecclesiæ præcepto jejunare. *Ibid. num. 10 & seq.*

6. Non solùm injungi possunt opera pœnalia in particula-

ri, verùm etiam in generali; sicuti & prò peccatis publicis pœnitentia publica, non autem pro occultis, ne periculo exponatur fama pœnitentis absque sufficienti causa. *Ibid. n.* 13 & 14.

7. Confessarius potest magis contrito leviorem pœnitentiam injungere, sicuti etiam & homini fragili & debili juxta ipsius fragilitatem; & tempore Jubilæi aut indulgentiarum injungens tamen levissimas pœnas pro mortalibus tenetur pœnitentem admonere de levissima, & non sufficienti pœna illi imposita. Idcirco autem mitior pœnitentia injungi solet, ne pœnitens gravitate pœnæ terreatur, sed potius levitate pœnitentiæ alliciatur ad sacramentum *Ibid n.* 16. *& seq.*

8 Confessarius, per se loquendo, potest satisfactionem injungere, tam ante quám post absolutionem sacramentalem: non potest autem pœnitentem obligare ad satisfactionem adimplendam ante absolutionem, si pœnitentia consideretur ut est compensatio pro pœna temporali; secus dicendum si consideretur ut medicina. Neque si pœnitentia adimpleatur ante absolutionem, sacramentum statim non habet suum effectum ex opere operato, cum sacramentum non producat suum effectum, nisi sit perfectum: non est autem perfectum ante sacramentalem absolutionem. *Ib. n.* 19. *& seq.*

9. Confessarius ex justa & rationabili causa potest in confessione diminuere & commutare pœnitentiam à se, vel alio Confessario inferiori, vel æquali, vel etiam Superiori injunctam, quando id postulat bonum animarum: imò verò potest etiam pœnitentiam præservativam in aliam præservativam & salutarem justa & rationabili de causa commutare.

Similiter carens facultate absolvendi à reservatis, potest pœnitentiam pro reservatis à Superiore impositam, justa interveniente causa commutare. Hæ tamen supradictæ pœnitentiæ commutationes extra confessionem fieri non possunt. *Ibid. punct.* 3 *num.* 1 *& seq.*

10. Pœnitens oblitus totius pœnitentiæ aliàs injunctæ teneretur saltem præcipua peccata iterum confiteri, ut congruam commutationem obtineat. Imo sunt qui velint eum qui omnino oblitus pœnitentiæ, teneri iterum confiteri ad servandam integritatem sacramenti, nec potest aliam quam ipse voluerit pœnitentiam ex arbitrio suo adimplere; aut in æquale, aut in melius commutare: liberum tamen erit pœnitenti facta commutatione pœnitentiæ, quam voluerit eligere. *Ib. n.* 8. *& seq.*

Pœni-

Pœnitentis obligatio circa pœnitentiam acceptandam & adimplendam.

11. Pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptatamque adimplere. Quod si pœnitentia gravis & rigorosa sit, poterit rogare Confessarium ut eam mitiget & minuat: qui si nolit mitigare, poterit pœnitens alium Confessarium adire. *lb. punct. 4 n. 12. & 3.*

12. Non solùm peccat mortaliter pœnitens non adimplendo pœnitentiam, sed peccat etiam non adimplendo intra tempus præfixum à Confessario; quia facit contra obligationem in re gravi. Quòd si nullus terminus præfixus sit, tenetur adimplere quàm primum commodè potest: & quidem in statu gratiæ; alioqui peccat, quamvis injunctæ à Confessario pœnitentiæ satisfaciat etiam in statu peccati. *Ib. n. 4. & seq. item n. 15.*

13. Si pœnitens re ipsa suscipiat indulgentiam respondentem satisfactioni pro pœnis debitæ, satisfacit pœnitentiæ injunctæ. Cessat item obligatio pœnitentiæ, quatenus est satisfactio, non solùm per indulgentias, verùm etiam per remissionem pœnæ alia via obtentam, ut per alia pia opera satisfactoria propria, vel aliena sibi applicata; ratò tamen remittendæ sunt pœnitentiæ sacramentales ob susceptionem indulgentiarum, vel ob alia pia opera *Ibid. nu. 7. & 8.*

14. Satisfactio injuncta à Confessario non potest per alium adimpleri, sed per ipsummet pœnitentem adimplenda est, nisi Confessarius aliud expresserit: nam obligatio pœnitentiæ est personalis; secus dicendum, si pœnitens nequeat per se ipsum adimplere pœnitentiam, & pœnitentia non consistat in actione personali, sed in illis operibus quæ per alium ramquã per merum instrumentum fieri possunt. *Ibid. num. 11. & 12.*

15. Qui non potest satisfactionem per se ipsum adimplere, tenetur eam per alium adimplere *Ib n. 13.*

16. Pœnitentia in peccato facta non remittit pœnam durante statu mortalis peccati, quia peccatum mortale nondum remissum, est obex; quo sublato pœnitentia in mortali facta, prodest: & in eo differt pœnitentia sacramentalis à reliquis operibus in statu peccati mortalis factis, quod hæc sint mortua, & non reviviscant. *Ib. n. 16 & seq.*

Sacramenti pœnitentiæ effectus.

17. Pœnitentiæ effectus sunt remissio peccatorum mortalium & venialium, irrevocabilitas peccatorum, recuperatio virtutum, meritorum & gratiæ; ac obligatio sigilli, *ib. q.* 6.

18. Pœnitentia delet peccata mortalia licet gravissima & plurima, toties quoties homo peccaverit, & legitimè pœnitentiam susceperit, potestque homo à peccatis semper resurgere: neque datur certus peccatorum cumulus, quo posito nequeat homo á peccatis resurgere. *Ib. q.* 6. *sect.* 2, *punct.* 2. *n.* 1. *& seq.*

19. Pœnitentiæ sacramentum nequit unum peccatum mortale sine alio remittere; alioqui posset quis esse amicus Dei, & ejus inimicus. *Ibid. punct.* 3.

20. Remisso peccato mortali quoad culpam, necesse est de potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ, ut patet ex Trident. *sess.* 6 *c.* 14. sed non semper remittitur totus reatus pœnæ temporalis, qui reatus aliquando est major, aliquando minor juxta majorem vel minorem contritionem. *Ibid. punct.* 4 *n* 1. *& 2.*

21. Datur sacramentum pœnitentiæ informe (id est sine gratia & charitate) defectu attritionis; qua posita, sacramentum confert suum effectum, sublato scilicet obice seu fictione: sufficitque attritio ut sacramentum præcedens informe conferat suum effectum, si tamen post susceptum pœnitentiæ sacramentum informe, nullum aliud de novo commissum est peccatum mortale: tunc enim requireretur contritio, vel novum pœnitentiæ sacramentum formatum. *Ibid. punct.* 5. *n.* 3. *& seq.*

22. Omnia peccata venialia remittuntur per sacramentum pœnitentiæ, nisi ponatur obex. Remittuntur etiam ex opere operantis peccata venialia per sacramentalia, quæ sunt hoc carmine contenta:

Orans tinctus, edens, confessio, dans, benedicens.

Ibid. sect. 2. *punct.* 1. *& punct.* 2.

23. Peccata venialia non solùm delentur per contritionem formalem, verùm etiam per dilectionem, seu amorem Dei perfectum, qui sit incompossibilis cum ipsis peccatis venialibus. *Ibid punct* 5. *num.* 3.

24 Per nullos alios actus peccata venialia remittuntur extra

tra sacramentum, quam per actus contritionis & dilectioni. lib n 6.

25. Unum peccatum veniale remitti potest sine alio, si actus amoris non sit ita perfectus, ut habeat oppositionem cum omnibus: peccata mortalia similiter remitti possunt absque remissione peccatorum venialium, quia non omnis dispositio sufficiens ad remissionem peccatorum mortalium, sufficit ad remissionem venialium: secus dicendum de venialibus, quæ non possunt de potentia Dei ordinaria remitti sine remissione peccatorum mortalium *lib punct. 4. n. 2 & 4.*

26. Quamvis remissio venialium in hac vita numquam fiat sine infusione vel augmento gratiæ habitualis, tamen ad illorum remissionem non requiritur per se formaliter gratia quæ illa expellat. *Ibid. num 5. & 6.*

27. Peccata ita delentur per pœnitentiam, ut de lege ordinata non redeant, nec etiam redire possint de potentia Dei absoluta etiamsi nova peccata multiplicentur: nam si revivisceront, id fieret miraculum, cùm idem numero effectus non possit viribus naturæ reparari & reproduci: sed non fit miraculose; alioqui reviviscentia peccatorum tribuenda esset principaliter Deo, quod dici non potest. *ibid sect. 3. punct. 1. num 1.*

28. Peccata commissa post præcedentia remissa, graviora sunt ratione ingratitudinis peccatis antea remissis. *Ibid punct. 2. n. 4.*

29 Peccata prius remissa non redeunt, nec etiam redire possunt de potentia Dei ordinaria, quoad reatum pœnæ per subsequens peccatum: quamvis aliquo modo, ratione scilicet majoris ingratitudinis dici possunt redire, tamen in se formaliter non redeunt quoad reatum pœnæ per subsequens peccatum. Ratio est, quia reatus pœnæ sequitur culpam, sed culpa non redit in se formaliter, ergo, &c. *Ibid. punct 3. n. 1.*

30. Peccata non ita delentur per pœnitentiam, quin reatus peccatorum præcedentium de potentia Dei absoluta redire possit per subsequens peccatum: cum peccata possint remitti sub conditione, ut si peccator de novo peccet, redeat idem pœnæ reatus, ac si peccata remissa non fuissent. *Ibid. n. 4.*

Opera per pœnitentiam an reviviscant.

31. Opera mortua privativè non reviviscunt, nec fiunt meri-

ritoria vitæ æternæ per subsequentem pœnitentiam; cùm ejusmodi opera non sint facta ab homine existente in gratia, *Ib. sect. 4 punct. 1. n. 2*

32. Opera mortificata per peccatum, valent per subsequentem pœnitentiam ad vitam æternam consequendam: quæ sublata causa, scilicet peccato, cessat effectus, id est, iterum incipiunt valere, *Ibid. n. 3.*

33. Per pœnitentiam non solum recipitur nova gratia, verum etiam restituitur tota gratia præcedens, quæ præcedentibus meritis respondebat. *Ib punct. 2 n. 4.*

34. Item virtutes infusæ quæ ita connexæ sunt cum gratia, ut simul cum ea amittantur, beneficio pœnitentiæ subsequentis recuperantur, juxta gradum gratiæ respondentem: sunt enim accessorium gratiæ: accessorium autem sequitur principale, nempe gratiam. *Ib. n. 6. & 7.*

ADDITIO,

Satisfieri posse Deo per pœnitentiam factam in peccato mortali pro peccatis remissis, alii ajunt, alii negant. Illud certum, satisfieri tunc præcepto Confessoris pœnitentiam imponentis, nec esse opus de eo postea confiteri, & probabile illud recedente peccato, valere illam pœnitentiam apud Deum, ut volunt quidam valere indulgentiam, recedente peccato, in quo est accepta. Tres sunt sententiæ de hac re: vide Joan. Med. *quæst. 2. de satisfact.* Sylv *satisfactio n. 7. Aiunt*) Med. *l. c.* Sylv. *dist. 15 Negant*) D. Thom. 4 *dist. 15 quæst. 1, art. 3.* Bonav. Richar. *eod. dist.* Alens. 4 *p. 85. membr. 1.* Cajet. *quæst. 2. de satisfact.* & v. Satisfactio. Sot. *dist. 19. qu. 1. art. 4. concl. 2.* Tol. 3. Val. *c. p. 3. Illud certum*) Tol. *l. c.* Sylv. *satisfactio num. 4* Fum. *eod. n. 5.*

Probabile illud) Cajet. *v. satisfactio. 8. quæst. 2. de satisfact.* Navar. *cap. 3. num 3.* Tol. *l. c.* verum Adrian. *in 1. quæst. 1. de satisf.* Sot. *l. c. art. 5.* Val. *l. c.* non reviviscere ajunt.

Potest quis satisfacere per alium de licentia confessoris, etiam secundi, itemque cum non potest per se. An verò qui pro alio satisfacit, possit simul pro se satisfacere, alii ajunt, alii merito negant. Potest unus pro alio satisfacere, si uterque sit in gratia, Sot. *l. c. quæst. 2. art. 4.* Tol. Val. *l. c.* vid. Vival. *l. c. num. 12.* Syl. *l. c. n. 5.* Fum. *l. c. num. 6. An vero*) vid. Syl. *l. c. n. 5.*

Potest in pœnitentiam imponi opus alias debitum. Tol. *l. c.*

l.c. Nav. *cap.* 26. *num.* 24. Cajet. *quæst.* 1. *de satisfact.* Sot. *l.c. quæst.* 2. *art.* 1 *col. penultim* contra Scot. *dist.* 15 *quæst.* 1. Palud. 16. *art.* 2. Capriol Syl. *l.c n* 8.

Qui non fecit pœnitentiam tempore præscripto, debet facere alio.

Etsi omne opus ex gratia profectum, est satisfactorium, magis tamen ceteris paribus satisfacit, cùm pœnale est ex se, vel ex parte complexionis pœnitentis. Vide Val. *l.c. col* 5.

Pœnitens dicens aliis impositam pœnitentiam, non peccat mortiferè, nisi id grave damnum adferat. Syl. *confessio.* 1. *n.* 23. Vival. *de satisfact. num.* 33.

ADDITIO.

Scandalum.

Scandalum est re mala, vel speciem mali habente, alteri data peccandi mortaliter occasionem, quod si id intendas, vel ex se res ad id inducat, mortale est. Vide Cajet. *vers. scandalum.* Syl. *eod. num.* 1. Fum. 16.

Si scandalum oritur ex alterius malitia, non ideo omittendum opus licitum; si verò ex infirmitate, vel ignorantia, differendum est, si differri sine peccato potest. Vide Fum. *l.c. n.* 2. Syl. *l.c. n.* 3

Scandalizatus dicitur populus, si decem graves viri & honesti scandalizantur.

Schisma.

1. Schisma est voluntaria & pertinax subtractio & separatio ab obedientia universalis Ecclesiæ, vel Summi Pontificis, qui principem in Ecclesia locum tenet. Hinc habes eum qui se separat ab obedientia sui Prælati, vel Principis, vel particularis Ecclesiæ seu diœcesis, non esse propriè schismaticum; sed ut quis sit propriè schismaticus, debet esse rebellis formaliter in Papam ut Papa est, seu quatenus est supremus Christi Vicarius. *tom.* 2. *circa primum Decalogi præceptum, disp.* 3. *qu.* 4 *punct. ult. §* 5 *n.* 1 *&* 2

2 Schisma est peccatum mortale gravissimum ex suo genere, quod reddi nequit veniale ex parvitate materiæ: & si accedat error intellectus, aut contemptus specialis, continet mali-

malitiam specialis inobedientiæ, aut hæresis. *lib. n. 11. & seq.*

3. Schismatici privantur jurisdictione, saltem postquam denominati fuerunt tales; excommunicantur ipso facto statim ac schisma factis, aut verbis, aut alio signo externo manifestant; incurrunt pœnam inhabilitatis ad beneficia; non tamen incurrunt ipso facto privationem beneficiorum prius adeptorum præciso alio delicto, neque irregularitatem quamdiu delictum non sit notorium. *lib. n. 7. & seqq.*

4. Suscipiens ordines à schismatico, saltem denuntiato, incurrit suspensionem ab usu ordinum ab eo susceptorum: suscipiens autem beneficia vel dignitatem, privandus est beneficio vel dignitate Ecclesiastica *ibid. n. 13.*

Scrupulus.

Vide v. *Peccatum.*

Secretum.

Vide v. *Detractio, Restitutio.*

1. Revelans secretum, cujus revelatio redundat in alterius grave damnum vel injuriam, mortaliter peccat, præsertim si commissum fuit ei secretum sub sigillo. Revelare tamen uni vel duobus qui illud celabunt, non videtur peccatum mortale, nisi id quod detegitur, vergat in infamiam aut grave detrimentum alterius; aut modò non detegatur illi cui certo vel probabiliter creditur eum, qui secretum commisit, voluisse celari. *tom 2. de restitutione in particulari, disp. 2. quæst. 2. punct. unic n 1. & 2.*

2. Qui aperit secretum magni momenti, quod credebat esse parvi momenti, non videtur peccare mortaliter, modò adhibuerit debitam diligentiam ad cognoscendum num secretum esset magni momenti. *lib. n. 3.*

3. Violans secretum absque justa causa cum alterius detrimento, tenetur ad restitutionem; censetur enim causa injustè damni. Et hoc verum est, etiam quando secretum commissum fuit cum pacto tacito; ut accidit quando quis gratia petendi consilii aliquid manifestat Advocato vel Confessario, &c. intendens secretum celari. Hinc infer, aperientem & le-

gen-

gentem litteras sigillo munitas, aut quæ servabantur in secreto loco, mortaliter peccare, si hoc faciat prævidens fore, ut inde aliquod notabile damnum oriatur, secus si id faciat ob curiositatem, causa sciendi nova, aut ridendi ob inelegantem & barbaram compositionem; aut credat adesse interpretativam voluntatem ejus qui scripsit, vel illius ad quem mittitur Similiter non peccat qui litteras aperit ad propriũ periculum præcavendum, quod sibi timet. *ibid. nu. 4. & seq.*

4. Qui novit secretum alterius, non peccat quando vi tormentorum & mortis compellitur ad illud revelandum; habet enim justam causam revelandi, nec tenetur celare secretum cum tanto suo incommodo. Intellige tamen modò ex ea revelatione non oriatur grave damnum publicum, ad quod vitandum quilibet tenetur mortem subire. *ibid. num. 8.*

5. Quando secretum vergit in damnum innocentis, detegendum est, etiamsi promissum sit cum juramento: detegendum est adhuc, quando quis juridicè interrogatur de aliqua re, de qua tenetur loqui & respondere secluſa promissione secreti eo quod alia via scierit. *ibid num 9.*

6. Petes, an is cui concreditum est secretum, possit judici interroganti respondere cum juramento se nihil scire? Potest addita restrictione, *ut illi aperiat*, vel æquivocatione; non enim potest judex cogere ad manifestandum secretum quod ex obligatione naturali servandum est. Et qui per fraudem vel injuriam extorsit secretum, aut qui novit aliquid ab altero, cui commissum erat sub secreto, tenetur illud servare secretum. Vide verb. *Ludus ibid num. 10. & 12.*

ADDITIO.

Sepulturæ.

Sepulturam sibi eligere potest quisque pubes; quod si non elegit, sepeliendus in sua Ecclesia, peregrinus in parochiali, vel cathedrali, uxor cum viro, spurius cum matre non illustri, naturalis cum patre non in dignitate constituto.

De variis exequiarum moribus Covar. *cap ult. de testam.*

De sepultura Val. *t. 3. disp. 3. quæst. 9. p. 2.* Navar. *l. 3. cons. multis consil.*

De jure sepulchri Mol. *disp* 214.

De funere Bellarm. *t. 2. l. 2. de purgat. cap. 19.* ubi probat funeris

neris cereorum, hymnorum, & aliorum usum, errores quosdam refellit, explicatque utilitates, quas ex funere tum vivi tum defuncti percipiunt. *Sepulturam*) Mol. *l.c. sepultura, n.7.*

Sepultura non potest impediri prætextu debiti, aut illius obligationis, at potest ex causa negari condemnatis ad mortem. Mol. *dist.255. col.2.* Covar. *c. Raynaldus*, §.3 *nu.1.* Molin *fin. l.c.* imò ante æs alienum funeris impensa deducitur. *ibid.* vid. Sylv. *sepultura n.12.*

Ossa fidelis à sepultura perpetua non transferenda sine Episcopi licentia.

Episcopus ex causa potest in sepulchro unius alium sepelire, eo invito. Sylv. *l c n 3.*

Jus sepulturæ non datur sine Episcopi consensu, in Ecclesiis ei subjectis.

Abusum quidam dicunt esse sepelire passim in Ecclesia, sed immerito, & in hac re standum consuetudini patriæ. Olim quidem fideles in cœmeterio sepelichantur, solùm excellentes quidam in Ecclesia.

Clerici non obligati alioqui ad officium sepulturæ, possunt pro eo aliquid accipere in sustentationem, vide Sylv. *l.c. num 2.*

De impensa funeris, æris alieni deductione, familiæ alimentis. Mol. *dist 235.*

Honorifice, moderate tamen, humana cadavera sepelire, pium est, propositio est de fide. Bannes 2.2 *quæst.32. art.* Val. *l.c.*

Quartam debitam Parocho solvunt religiosi solum de oblatis die sepulturæ.

ADDITIO.

Servus.

Servus captus in bello etiam justo, potest fugere, etiam ab eo qui se emit à captivitate, nisi promisisset non fugere. Cov. *reg. peccatum. p 2.* §.11. *n.7.* Val *t.3. dist.3 q.16. p.3. col. ult.* Ban. *2.2. quæst.40. art.1. dub ult.* Salon *2.2. qu.3. art.1. de dom pg. 116.* addens, si sine vi, & dolo Sor. *l 4 quæst.1 art.2*

Sed Mol. *dist.37.* justo bello captum leviter peccare fugiendo, ait, tenerique se domino restituere, pro qua sententia lege Gl. *c. jus gentium dist* 1. Sylv. *servitus. n.3.* Turrecr. *ibid.*

D.

D. Anto 3 *p.t.3.c.6* § 4. Fortun. *l manumissio ff. de just. & jur.* Nav. *c.17.n.103. Nisi promisisset*) Sot. *loc.c.col* 4. Bannes *l.c. dub pen.* Sal *l.c* naturali enim jure servanda fides.

Redimens aliquem ab hostibus, accipiet pretium, vel quinquennii servitutem.

Servi bona ludo, aut dono, aut hereditate acquisita, non sunt domini. quod de captis in bello tradit Sot. *l.4. de just. qu. 1 art.* 2. idque alii extendunt etiam ad emptitios.

Libertus debet patrono egenti alimenta; & decedenti sine liberis, succedit patronus ab intestato. V. Sylv. *manumissio. num.6.*

Sigillum confessionis.

Vide v. *Confessio.*

1. Confessarius non solùm tenetur jure naturæ & divino ad sigillum confessionis, verùm etiam Ecclesiastico, peccatque contra justitiam, (consequenter tenetur ad restitutionem damni inde secuti) & religionem, peccato sacrilegii facit injuriam sacramento pœnitentiæ: tamque stricta est obligatio sigilli confessionis, ut illud violans, semper peccet mortaliter; nec datur in hac parvitas materiæ excusans à mortali peccato. Pertinet autem cognitio fractionis sigilli ad judicem ordinarium ipsius Confessarii, cui subjectus est. *tom.1. de Pœnitentia Sacramento, disp 5. quæst.6. sect.5 punct 1. num.1. & seq.*

2. Ea omnia cadunt sub confessionis sigillum, quæ manifestata sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem sacramentalem, factam animo se accusandi. *Ibid. punct.2 num.1.*

3. Hinc colligo non oriri obligationem sigilli, quando pœnitens scienter manifestat peccata sua laico, vel clerico quem scit non esse Sacerdotem. Neque similiter ad sigillum is, cui aliquid manifestatum est sub sigillo ab eo, qui non habebat intentionem confitendi. *Ibid. num.2 & 3.*

4. Confessarius tenetur ad sigillum confessionis, quando dubitat aliquid sibi revelatum fuisse per ordinem ad confessionem: secus dicendum, quando quis ad ipsum accessit, ut ipsum pertraheret ad peccatum. *Ib. n. 4. & 5*

5. Confessarius obligatur ad ea reticenda quæ in confessione audivit, etiamsi pœnitentem ob aliquem defectum non ab-

absolverit: nam illa audivit per ordinem ad confessionem. Idem dicendum de proposito committendi aliquod peccatum, quoties pœnitens illud manifestavit Confessario animo se accusandi. *ibid. num. 6. & 7.*

6. Parochus qui in confessione novit aliquod impedimentum, tenetur illud sub sigillo reticere; consequenter non potest matrimonium pœnitenti denegare, quem in confessione novit obstrictum esse impedimento dirimente. *ibid. num. 8.*

7. Sub sigillum cadunt peccata tam venialia quam mortalia quamvis publica, si aliunde Confessarius non habuit illorum cognitionem, quam per confessionem sacramentalem. Item & omnes circumstantiæ quamvis inutiles in confessione manifestatæ. *ibid. num. 9. & 10.*

8. Denique ea subjiciuntur sigillo quæ quis aperit Sacerdoti animo se accusandi in foro sacramentali. *ibid. n. 12.*

9. Illi tenentur ad sigillum confessionis qui aliquid norunt occasione confessionis: quales sunt Confessarius, Superiores quibus Confessarius aliquid in confessione auditum legitima de causa manifestavit. Illi adhuc tenentur ad sigillum, quibus Confessarius, dum consilii gratia aliquid manifestaret, imprudenter manifestavit pœnitentis personam. Item interpretes quibus pœnitens utitur in confessione; & ii qui ex malitia vel casu peccata pœnitentis audierunt, aut chartam invenerunt, in qua expressa erant alicujus peccata per ordinem ad confessionem: hi enim saltem tenentur ad secretum naturale, peccantque legendo aliquid, postquam cognoverunt in ea charta contineri peccata *ibid. punct. 3. num 1. & seq.*

10. Confessarius loquens de auditis in confessione absque manifestatione personæ & sine periculo, ut audientes veniant in cognitionem, vel suspicionem personæ, non dicitur frangere sigillum: caveat tamen ne loquendo suspicionem ullam ingerat, ne unum pœnitentem nimium laudet; & ne dicat aliquem sibi confessum fuisse tali occasione; &c. *ibid punct. 4 num 1. & 2.*

11. Confessarius non frangit sigillum testando in tali civitate multos improbos adesse, vel talia crimina perpetrari; aut dicendo, *absolvi Petrum* Secus si diceret: *Titius mihi confessus est casum reservatum, vel gravia peccata*: tali enim locutione efficit, ut pœnitens magis peccator cognoscatur *ibid. num. 3. & seq.*

12 Si dicatur, *Non absolvi Titium*, frangitur sigillum: ingeritur enim audientibus suspicio gravis alicujus defectus; secus si dicatur, *nondum absolvi Titium*. Neque tenetur Confessarius schedulam confessionis præbere illi, quem ob aliquam causam non absolvit. *Ibid. n* 6. & 7.

13 Confessarius non potest extra confessionem sine libera pœnitentis licentia uti scientia confessionis ad aliquid faciendum, vel omittendum, quoties periculum imminet revelationis, directè vel indirectè alicujus peccati in confessione auditi: sed perinde se debet gerere, ac si nihil sciret in iis rebus, ex quibus pudor, seu confusio, aut damnum pœnitenti sequeretur. *Ibid. num.* 8.

14. Quando pœnitens dat facultatem Confessario loquendi de auditis in confessione, non censetur etiam facultatem concedere revelandi personam sui ipsius. Et licentia loquendi de auditis in confessione, debet esse expressa saltem æquivalenter, nec sufficit tacita aut præsumpta. Ex quibus colligo Confessarium non frangere sigillum, si cum pœnitente loquatur de auditis in confessione, de quibus pœnitens Confessarium alloqui cœpit: neque si admoneat pœnitentis heredes juxta pœnitentis præscriptum. Collige præterea Confessarium ob peccatum in confessione auditum non posse punire pœnitentem officio, etiamsi officium esset amovibile: sicut nec famulum suum dimittere, quem per solam confessionem novit esse furacem: neque pœnitenti electionem ad beneficium denegare, quem improbum & indignum tantummodo per confessionem cognovit. *Ibid. num* 9. *& seq.*

15. Confessarius sive sit Parochus, sive alius, non potest Eucharistiam denegare ob peccatum in confessione auditum: inde enim proveniret pudor & confusio pœnitentis: neque potest Confessarius uti scientia confessionis cum revelatione pœnitentis ad tuendum bonum temporale: adeo enim inviolabile est sigillum confessionis, ut numquam licitè violari possit: & in hoc differt ab alio secreto in alia materia, quod aliquando licitè violari potest. Neque licet Confessario peccatum in audienda confessione commissum manifestare, quando periculum est, ut alter Confessarius veniat in cognitionem peccati alterius pœnitentis. Similiter qui per confessionem solam novit Ecclesiam esse pollutam, non potest detegere ut reconcilietur: nec Confessarii qui ejusdem pœnitentis confessiones exceperunt, possunt

sunt ad invicem de peccatis in confessionibus auditis loqui. His adde Confessarium non posse ex notitia in sola confessione habita corrigere complicem pœnitentis; nec faciem superiorem pœnitenti præbere ob peccata in confessione audita. *Ibid. num* 17. *& seq.*

16. Confessarius qui in confessione novit sibi insidias parari ab alio, potest se domi continere, aut recedere à loco in quo sibi parantur insidiæ: imò potest Missam prætermittere, quando per confessionem novit vinum esse veneno infectum, potentque ob audita in confessione cautior & vigilantior reddi. *Ibid. nu.* 27. 28. 29. *&* 30.

17. Si Confessarius interrogetur de peccato in confessione audito, non potest respondere juxta interrogantis mentem, licitumque erit ei uti restrictione debita, aut tergiversatione, aut amphibologia. *Ibid. num.* 31. *&* 32.

18. Si Confessarius certò sciat delictum pœnitentis extra confessionem, & pœnitens rogatus à Confessario nolit peccatum suum manifestare & explicare, debet illum repellere: indignè enim petit absolutionem. *Ib. n.* 33.

ADDITIO.

Prodere crimina in confessione audita, dum pœnitens non prodatur, non est contra sigillum, unde non franguntsigillum, qui scelera audita in confessione viris doctis narrant, consilii captandi causa, dum illi pœnitentem agnoscere nequeant. Sigillum frangere numquam licet, ne pro salute quidem totius Reip. Si Confessarius crimen suum in confessione explicare nequeat, sine revelatione peccati in confessione auditi, sileat, donec confessarium habeat qui pœnitentem ignoret.

Cognita extra confessionem non debet Confessarius pœnitenti dicere, sed caute interroget, & responsis ejus acquiescat, interdum ne interroget quidem, ut si ex alterius confessione crimen ejus agnoscat.

Clemens VIII. anno 1593. sanxit, ne Regularium superiores notitia ex confessione habita, ad externam gubernationem utantur.

Simonia.

1. Simoniæ nomen dedit Simon Magus Dei donum seu Spi-

spiritum sanctum emere volens, ut illud venderet. Actor 8. Simonia autem est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi aut vendendi, seu commutandi contractu oneroso, & non gratuito rem sacram seu spiritualem, vel spirituali annexam pro temporali. *tom. 1. de Simonia, disp. 1. q. 1. num. 1. 2 & 3.* Quare

2. Qui ministerium aliquod spirituale exercet spe lucri, aut ob humanum amorem, vel preces, &c. non committit peccatum simoniæ, quia nullum facit contractum onerosum, nec spirituale ministerium exercet tamquam pretium rei temporalis. Intentio quoque decipiendi non inducit simoniam in eo qui pecuniam promittit pro beneficio animo non verè emendi: neque permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali: neque is qui consanguineo præbet beneficium propter consanguinitatem, incurrit simoniæ labem. Item neque beneficii collatio facta in gratiam, seu petitionem alterius, simoniaca est; secus dicendum de debitore beneficium conferente suo debitori cum pacto ut sibi debitum solvat. Idem valet in conferente beneficium filio judicis, vel eum præsentante cum pacto absolvendi reum, vel mitigandi pœnam vel rigorem justæ sententiæ. *ibid. numer. 4. & seq.*

3. Non committitur simonia contra jus humanum vel divinum, dando beneficium alicui, vel faciendo aliquid spirituale ex metu imminentis mali, ut ex timore amissionis vitæ, famæ, honoris, lucri cessantis, vel damni emergentis. *ibidem num 8.*

4. Pretium quod pro re spirituali tradi solet, & cujus traditione committitur simonia, triplex est, videlicet à manu, à lingua, & ab obsequio. Bona temporalia revocantur ad munus à manu, vel munus à lingua, & munus ab obsequio. Nomine autem *muneris à manu* intellige quælibet bona externa pretio æstimabilia, sive sint mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia. Idem dic de promissionibus, vel obligationibus illorum. Hinc sequitur debitum Ecclesiæ remittentem, ut beneficium obtineat, aut pensionem promittentem vel recipientem, pro beneficii collatione, vel præsentatione, simoniam committere. Idem sentiendum de conferente beneficium vel recipiente sub conditione mutui, cum mutuum secum afferat temporalem utilitatem. *ibid. §. 1. num. 1. & seq.*

5. Præsentatus ad beneficium, simoniæ labem incurrit promittendo præsentatori, aut electoribus se non exacturum decimas, aut promittens Canonicis electoribus se remissurum partem præbendæ, &c. Secus si liberè & sine pacto largiatur. *ibid. num.* 6.

6. Per *munus ab obsequio* intellige opus hominis conducens ad utilitatem, seu commodum hominis: quare qui beneficium confert cum pacto præstandi obsequium aliquod temporale, simoniacus est: secus si conferat cum pacto præstandi onera beneficio annexa seu imposita tempore institutionis, seu vacationis. Præterea qui beneficium confert vel procurat in compensationem obsequiorum, seu ad extinguenda debita, simoniacus est: secus si beneficium conferat vel procuret animo conciliandi sibi benevolentiam, etiamsi mediante benevolentia, seu amicitia temporale lucrum speret. *ibid. num.* 8 *& seq.*

7. Aulici vel famuli obtinentes beneficia à Cardinalibus vel aliis Prælatis quibus inserviunt, simoniam non committunt, modò inserviant absque pacto tacito vel expresso recipiendi beneficium propter obsequium præstitum. *ibidem num.* 12.

8 Per *munus à lingua* intellige actionem precum, seu supplicationum & intercessionum quæ lingua exerceri solent in favorem illius qui rem spiritualem confert. Ut autem hujusmodi actio, seu preces rationem pretii habeant, opus est, ut fiant ex pacto expresse vel tacitè inito cum eo qui spirituale confert; tunc enim pretio æstimantur, & commutari videntur cum re spirituali. Unde qui pecunia inducit familiarem vel amicum Episcopi ad petendum prose, vel pro alio beneficium, simoniam committit, cum pecunia paret sibi viam ad beneficium. *ibidem n.* 13 *&* 14.

9. Verum tamen est familiares Prælatorum non esse reos simoniæ, dum pecuniam accipiunt ob facilem ingressum, quem aliis præbent ad Prælatum, neque etiam admonentem Prælatum, & certiorem facientem de meritis oratoris, modò intercessoris officium non gerat. Denique neque is est simoniacus, qui precibus impetrat sibi vel alteri beneficium, modo nullum intercedat pactum, *ibid. nu.* 15. *& seq.*

19 Ad cognoscendum an res temporalis tradita sit pro re spirituali, judicium ferendum est ex assertione delinquentis, & ipsius judicio standum est; quia culpa simoniæ magna ex

parte

parte pendet ab intentione operantis. *ibid.* §. 2. *num.* 1.

Quotuplex sit simonia.

11. Simonia triplex est, mentalis, conventionalis & realis. *ibid. q.* 2 *n.* 1.

12. Mentalis dupliciter accipitur: primò pro nudo proposito seu desiderio committendi simoniam; & hæc nullâ ratione cum externo actu conjungitur: secundò simonia mentalis accipitur pro illa actione quæ fit quidem mente simoniaca, sed ex se, & ex circumstantiis simoniam non præfert, nec apparet exterius ullâ simoniæ labes *ibid. n.* 2.

13. Simonia conventionalis consistit in pacto, seu conventione expressa vel tacita, dandi vel recipiendi temporale pro spirituali: hæc simonia distinguitur à mentali ob conventionem externam, quam non includit mentalis; distinguitur verò à reali, quia non habet adjunctam rei traditionem *ibid. num.* 3.

14. Simonia realis est illa qua res temporalis traditur vel accipitur pro spirituali: hæc incompleta dicitur, dum ex unâ tantum parte res traditur; completa verò, dum res ex utraque parte traditur. *ibid. n.* 4. & 5.

15. Datur adhuc simonia confidentialis realis, dum videlicet beneficium re ipsa renuntiatur, vel confertur cum pacto ut sibi vel alteri restituatur, vel ut sibi vel alteri pars fructuum tradatur. *ibid. n.* 6.

16. Simonia ficta committitur dum quis exterius promittit rem spiritualem pro temporali, vel rem temporalem pro spirituali absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam; & hæc simonia non est vere simonia, sicut fictum aurum non est aurum.

17. Sed modò dubium est, utrum mentalis simonia semper committatur tradendo temporale occasione spiritualis, vel è contra? Respondetur non committi, nisi spirituale intendatur tamquam pretium rei spiritualis, vel temporale tamquam pretium rei spiritualis, vel nisi mens seu intentio feratur in objectum simoniacum solum ob Ecclesiæ prohibitionem, seu nisi intentio sit prava. *ibid. n.* 9. & 10.

Simonia quo jure prohibita, quare peccatum sit, quænam illius materia.

18. Simonia prohibita est jure naturali, divino, & humano : quamquam dari potest solo jure humano prohibita, quia Ecclesia facere potest rem immunem à laica potestate, & prohibere ne res aliqua annexa rei sacræ vendatur in reverentiam talis rei. Simoniæ humanæ materia sunt permutatio, vel venditio, vel resignatio beneficii propria auctoritate & illegitimè facta; præterea acceptio quoque alicujus rei occasione examinis, & quælibet Ecclesiastica officia spiritualia, seu habentia onus spirituale, aut administrationem Ecclesiasticam *ibid q.* 1. *num.* 1. *& seq.*

19. Simonia ex suo genere opponitur religioni, estque gravissimum crimen, nec fit veniale ratione parvitatis materiæ, si res temporalis tradatur pro spirituali; imò simonia formaliter adeo mala est, ut numquam licita fiat, ne quidem per divinam potentiam. *ibidem n.* 1. *& seq.*

20. Materia simoniæ est res aliqua sacra spiritualis & supernaturalis; unde committitur simonia vendendo gratiam sanctificantem. *ibid. q* 4. *n.* 1. *&* 2.

21. Spiritus sanctus vendi potest non de jure, sed de facto, si v.g. vendatur Sacerdos intuitu sacerdotii. Similiter vendendo Christum committi potuit simonia, habita ratione unionis hypostaticæ, vel donorum sacrorum & supernaturalium in Christo existentium Item & Eucharistia tam ratione contenti quam specierum consecratarum est materia simoniæ; sicut & sacramenta aut sacramentalia, & reliquiæ; secus dicendum de misericordiæ operibus externis, videlicet de actionibus & obsequiis sepeliendi mortuos, visitandi infirmos, &c. quia hæc opera ex se non sunt res sacræ, sed naturales *ibid. n* 1 *& seq.*

22. Simonia committitur dando pecuniam pro Missæ sacrificio; secus si detur titulo eleemosynæ, aut congruæ sustentationis, vel laboris extraordinarii. Item, vendendo rosarium pluris, seu majori pretio, ex eo quod reliquias Sanctorum attigerit. *ibid. nu.* 9 *&* 10.

25. Coadjutoria Ecclesiæ, & Commendæ clericales sunt materia Simoniæ, sive perpetuæ sint, sive temporales, sive dentur ob utilitatem ipsius Ecclesiæ commendatæ, sive in favorem

favorem commendatarii; secus dicendum de commendis militaribus, quæ conferuntur titulo laico. *ibid. n.* 14. *& seq.*

14. Committitur simonia accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, ut sunt quid conflatum ex materia & forma, cum ut sic sint res sacræ: non autem committitur tradendo vel accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, ut pro pane, vino, oleo, &c. *ibid.* §. 1. *num.* 1. *&* 2.

15. Quæres, an pro Sacramentis nonnumquam prævia pecunia recipi vel dari possit absque simoniæ labe: Respondetur pecuniam tradi posse non pro ipsis Sacramentis, vel eorum administratione, sed ad removendum impedimentum, vel ad redimendam injustam vexationem, dum gravis urget necessitas recipiendi illa Sacramenta. Imò Sacramentum accipi potest tradita pecunia, etiam quando administrans pretium petit, tamquam pretium administrationis, modo petens pretium pro Sacramento non petat illud in contemptum seu injuriam Christianæ religionis. *ibid. nu.* 3. *& seq.*

16. Ceremoniæ & benedictiones sacræ, seu Sacramentalia tam transeuntia quam permanentia, sunt materia simoniæ; vendi tamen possunt Sacramentalia permanentia ratione materiæ præcise absque simoniæ labe; secus dicendum de agnis Dei benedictis, quos vendere specialiter prohibitum est in urbe Roma. *ibid* § 2. *num.* 1. *& seq.*

17. Suscipiens ordines prævia pecunia, seu pretio, patronus præsentans aliquem ad ordines cum pacto, ut ab eo nihil petatur; ordinum collatores accipientes aliquid in collatione ordinum, etiamsi sponte offeratur, simoniaci sunt: Notarius tamen potest aliquid loco stipendii accipere pro litteris testimonialibus, dimissoriis, &c. dum ei salarium constitutum non est. *ibid.* § 3. *n.* 1. *& seq.*

18. Functiones ordinum, tam majorum quam minorum, sunt materia simoniæ; sicut & etiam prima tonsura, officia divina, orationes privatæ, & exequiarum vel funerum actiones spirituales, v. g recitatio & cantus Psalmorum. Cantor canens tamquam laicus pretio accepto vel promisso, non incurrit simoniæ labem. *ibid* § 4. *n* 1. *& seq.*

19 Dubium est an simonia committatur vendendo sepulturam? Resp. probabilius videri committi peccatum simoniæ jure humano prohibitæ, si pretium exigatur pro ipsa terra deputata communi sepulturæ fidelium; non autem com-

committi simoniam, si in venditione habeatur ratio loci honoratioris ob rationem & respectum aliquem temporalem. Idem militat in jure stalli, seu sedendi aut standi certo loco in Ecclesia. *ibid.* §. 6 *n.* 3. *& seq.*

30 Quæres, an committatur simonia promittendo vel dando temporale alicui, ut opus spirituale præstet? Resp. committi, quia simonia committitur emendo aut vendendo spirituale pro temporali: at qui tradit aliquid alteri ut peccatum vitet, vel ut opus spirituale faciat in solius operantis utilitatem, relicta illi facultate & libertate faciendi tale opus, non committit simoniam, nec alia ratione peccat præciso scandali periculo, sive tale opus sit consilii, sive supererogationis, sive præcepti. Similiter non committitur simonia promittendo aliquid alteri tradendum sub conditione, si tale opus spirituale præstiterit. Idem militat dum temporale traditur sub conditione operis spiritualis; etiam dum recipiens obligatur ad restitutionem rei acceptæ, nisi spirituale opus præstiterit. *ibid.* §. 7. *n.* 2. *& seq.*

31. Nihil tradi vel accipi potest tamquam pretium pro ingressu in religionem, seu pro ipsa professione vel statu religioso; cum status religiosus sit res spiritualis; non committitur tamen simonia tradendo aliquid pro congrua religiosi sustentatione. *ibid.* § 8. *n.* 1. *& 2.*

32. Committiturne simonia accipiendo pecuniam pro abstinendo à bono opere? Resp. non committi si opus sit naturale, & non pertineat ad religionem; imò omissio actus spiritualis, vel pravi operis quod quis facturus erat in rigore loquendo non est materia simoniæ; neque occultans peccatorem accepta pecunia, est simoniacus propriè loquendo. *ibid.* §. 9 *num.* 1. *& seq.*

33. Committiturne præterea simonia vendendo scientiam & doctrinam, id est, docendo ratione pretii, vel docendi licentiam concedendo? Resp. scientiæ & doctrinæ, etiam miraculosè obtentæ actum, seu exercitium, veritatem naturalem, &c. vendi posse absque simoniæ labe; potestque pretium justum taxari habita ratione qualitatis personæ, quare docens Theologiam prævia pecunia, simoniæ labem non incurrit; neque præbens consilium in facultate Theologica, etiamsi consilium hujusmodi detur ad pacandam alterius conscientiam. *ibid.* §. 10. *num.* 1. *& seq.*

34. Con-

34. Concio est materia simoniæ si ipsa per se spectetur, & nihil accipi potest pro ea, præciso labore & sustentatione quæ in pactum deduci potest: at licentia docendi, etiam in sacra Theologia, non est materia simoniæ; sicut neque Doctoratus seu magisterium, quia hujusmodi gradus & actus docendi non est spiritualis *ibid. num.* 8. 10 *& seq.*

35. Quæres, utrum materia simoniæ non solum sint res sacræ & spirituales secundum se, verum etiam illæ quæ spiritualibus sunt annexæ? Resp. annexum antecedenter spirituali ut sic esse materiam simoniæ, secus si per se spectetur. Jus patronatus numeratur inter annexa spiritualibus antecedenter, & ut sic vendi non potest. Idem dic de ipsa præsentatione, seu actu præsentandi, quia est actio spiritualis. *ibid.* §. 11. *num* 2. *& seq.*

36. Annexum spiritualibus comitanter, vel consequenter est materia simoniæ; ergo vendi non potest absque simonia, sequitur enim naturam principalis, seu spiritualis cui adnexum est ideo beneficiarius resignans alteri beneficium, non potest quicquam exigere ab eo cui beneficium confert, etiamsi intendat aliquid exigere ratione fructuum, & beneficiarius resignans beneficium accepto pretio ratione fructuum, simoniam incurrit etiam contra jus divinum. *ibid. num.* 7 *& seq.*

37. Episcopus seu beneficii collator nihil exigere potest ob beneficii collationem, licet hoc facere intendat intuitu temporalis incommodi; potest tamen Episcopus suparans Ecclesiam sui juris à sua dignitate, aliquid exigere in recognitionem juris antiqui. *ibid. num* 11. *&* 12.

38. Etiam ipse Papa non potest in collationibus beneficiorum quidquam exigere in sui aut alterius favorem, si beneficium spectetur ratione tituli seu juris spiritualis; potest tamen pensionem imponere, & nolle beneficium conferre, nisi illi qui vult pensionem solvere. Imo potest adhuc dum beneficium alicui confert cum pensione, æstimare totum pensionis valorem, illumque anticipate recipere, aut alteri conferre jus ad illud recipiendum. Quare resignans Episcopatum alteri, potest de licentia Papæ resignare Episcopatum cum pacto ut resignatarius statim extinguat pensionem, qua extincta mille remaneant titulari Episcopo. *ibid. num.* 13. *& seq.*

An simonia committatur in permutatione beneficiorum, aliarumve rerum spiritualium, aut occasione pensionum.

39. Permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali praecise, simoniaca non est; secus si fiat permutatio rei spiritualis cum alia spirituali, cui adnexa est temporalis, *ibid.* §. 12. *num.* 1. & 2.

40. Beneficiorum permutatio seu provisio, privata auctoritate facta, simoniam contra jus Canonicum continet. Idem valet in permutatione actionum pertinentium ad provisiones beneficiorum, si privata fiat auctoritate; quamquam permutantes beneficia possunt prius inter se agere de permutatione facienda, & obligare se mutuo ad persistendum in conventione, donec Superior, v. g. Episcopus consensum denegaverit, vel praestiterit *ibid.* *n.* 3 & *seq.*

41. Beneficia quamvis inaequalia in temporalibus permutari non possunt cum pensione, vel alia re pretio aestimabili coram Episcopo aut alio inferiore Papa etiamsi pensio aut alia res temporalis exigatur ratione beneficii pinguioris, quod cum tenuiori permutatur, ad solum enim Papam pertinet beneficiorum inaequalitatem circa proventus compensare annua pensione, vel etiam numerata pecunia titulo sustentationis, &c. ut permutans pinguius cum tenuiori indemnis servetur. Dicitur *circa proventus*, quia beneficii inaequalitas in dignitate compensari non potest pecunia, vel alia re pretio aestimabili; etiam auctoritate Papae, si dignitas praecisè spectetur *ibid.* *n.* 10. & *seq.*

42. Pensio laicalis, seu quae laicis tribuitur ob causam mere temporalem, non est materia simoniae, saltem contra jus divinum; pensio vero clericalis, seu spiritualis est materia simoniae, non solum contra jus humanum, verum etiam contra jus divinum. *ibid.* §. 13. *n.* 3. & 4.

43. Pensionarius non potest pensionem transferre accepto, vel reservata fructuum parte; verum tamen est pensionarium habentem facultatem transferendi pensionem, posse illam in totum vel in partem transferre. *ibidem numer.* 5. & 6.

44. Pensionarius non potest pensionem anticipatis quibusdam

busdam solutionibus privata auctoritate extinguere, & si extinguat, tenetur adhuc ad pensum officii cum reportarit idem stipendium. *Ibid, num 7 & seq.*

45. Pensionarius libere cedere potest pensioni privata auctoritate, cùm quilibet cedere possit juri suo, nisi lege prohibeatur. Imò vendere, vel donare quoque potest fructus suæ pensionis, etiam ad totam vitam. Et hoc valet, etiamsi pensionarius titulum pensionis sibi retineat *Ibid n. 12. & seq.*

46. Pensionis fructus emens à pensionario anticipata pecunia, non est reus simoniæ, etiamsi constituatur procurator ad exigendum fructus pensionis à beneficiario. *Ibid.* n. 15.

An simonia committatur in resignatione beneficiorum vel transactione.

47. Resignatio beneficii non pura labem simoniæ continet, si fiat coram Prælato inferiore Papa: quia quælibet pactio in beneficiis jure communi vetita est: quare resignans beneficium cum pacto ut sibi reficiantur expensæ in assecutione beneficii factæ, simoniam incurrit; si hanc resignationem faciat coram inferiore Papa. Præterea sequitur committi simoniam faciendo coram Episcopo resignationes reciprocas, ut si quis dicat; Ego resigno meum beneficium tuo nepoti, vel amico, tu vero resigna tuum mihi vel meo nepoti. Item resignatio beneficii cum designatione successoris, invalida est & illicita si fiat coram inferiore Papa: vel cum pacto ut collator conferat personæ designatæ: & Prælatus admittens resignationes cum designatione futuri successoris, incidit in graves pœnas *Ibid.* §. 14 *n.* 2 *& seq.*

48. Transactio est pactio non gratuita de re dubia & lite incerta ad litem dirimendam: fit duobus modis transactio, vel compensando rem spiritualem cum temporali, vel compensando rem spiritualem cum spirituali. *Ib* § 13. *num.* 1 & 2. Hoc posito,

49. Transactio simoniaca est, dum in ea remittitur vel retinetur jus spirituale pro temporali; hinc sequitur committi simoniam faciendo transactionem circa reliquias tradita vel accepta pecunia: transactio verò circa rem spiritualem non est simoniaca, dum res spiritualis compensatur largitione vel cessione alterius rei, seu juris spiritualis proportionati. Et hoc verum est, etiam si transactio fiat propria auctoritate, modo

non fiat in materia beneficiali, (nam hæc fit auctoritate Episcopi, vel arbitratorum,) quamquam aliquando fieri non potest sine Prælati auctoritate, ut si transigentes intendant transactionem perpetuam facere quæ successores etiam afficiat. Imò si transactio seu compositio fiat cum laicis super decimas, necessarius est Summi Pontificis consensus *Ibid. nu.* 3. *& seq.*

50. Episcopus ad dirimendam litem potest absque simonia applicare uni beneficium cum onere, ut solvat pensionem quamdiu vixerit. Imò potest etiam pensio imponi beneficiario ab Episcopo etiam ex prævia petitione & instantia partium ad dirimendam litem; modo partes non absolutè interse convenerint de hujusmodi pensione, & posteà illius confirmationem petant ab Episcopo. *Ibid. num.* 9. *& seq.*

51. Litigantes circa beneficium possunt communi consensu clericum arbitrum eligere, etiam si arbiter non sit Prælatus, vel judex causæ, cùm hoc nullibi vetitum reperiatur. *Ibid. num.* 12.

52. Quæres, utrum simonia committatur, tradendo vel accipiendo aliquid pro actibus jurisdictionis fori interni? Resp. actus jurisdictionis fori interni, v.g. absolutionem censurarum, peccatorum reservationem esse materiam simoniæ, committique simoniam tradendo vel accipiendo pecuniam seu pretium pro illis actibus, sicut & pro indulgentiarum concessione, pœnitentiæ impositione, &c. Idem dic de facultate audiendæ confessionis. Non committitur tamen simonia tradendo pecuniam, ad tollendum injustum impedimentum absolutionis, seu injustam vexationem, quia tunc pecunia non datur pro actu spirituali, sed pro removendo impedimento illo injusto. In praxi tamen id faciendum non est, nisi pœnitenti immineat inde grave aliquod damnum. *Ibid.* § 16. *num.* 1. *& seq.*

53. Parochorum acta pertinentia ad pastoralem curam sunt materia simoniæ; & Parochus nolens matrimonio assistere absque pretio, simoniacus est; quamquam Parochus præbens facultatem alteri assistendi matrimonio, non committat simoniam ineundo pactum de tradenda sibi pecuniæ parte, quæ illi ea occasione tradetur. *Ib num.* 6 *& seq.*

54. Sacerdos, cui data fuit pecunia ad tribuendam absolutionem, simoniacus est, si re ipsa non intendat absolvere: non erit tamen reus simoniæ injungendo pœnitenti eleemosynam in satisfactionem peccatorum; secus si obliget ipsum ad tradendam sibi pecuniam. *Ib. n.* 9. *&* 10.

55. Si-

55. Simonia non committitur dando vel accipiendo temporale pro actibus jurisdictionis laicæ & temporalis, seu politicæ: unde Prælatus Ecclesiasticus concedens licentiam docendi vel legirimandi ad honores temporales, vel ad successionem in bonis, non est reus simoniæ. Committitur tamen simonia tam dando vel accipiendo temporale pro jurisdictione Ecclesiastica voluntaria vel contentiosa, quam dando vel accipiendo temporale pro actibus jurisdictionis: hinc colligesententiam judicis Ecclesiastici in causa spirituali, v.g. in causa hæresis, esse materiam simoniæ. *Ibid.* §. 17. *n* 1 *& seq.*

56. Officia, ut Auditoratus Cameræ, &c. non sunt materia simoniæ si per se spectentur, seu potius ratione emolumentorum, quæ talia officia consequuntur. *Ibid. n.* 5.

57. Papa in dispensationibus concedendis aliquid exigere potest his de causis; videlicet ob sustentationem Summi Pontificis, & onus ac laborem officialium; ob commutationem unius operis in aliud; ob pœnam delicti, & ut homines retrahantur ab illis petendis. *Ibid. n* 6.

58. Advocatus non incurrit simoniæ labem impendendo operam suam in judiciis; neque similiter Notarius, per se loquendo, accipiens aliquid pro scripturis, seu litteris. *Ib. n* 7 *&* 8

59. Testis accipiens aliquid pro ferendo testimonio, simoniæ labem non incurrit, secus si accipiat aliquid ut inducat judicem ad judicandum vel dispensandum in causa spirituali. *Ibid. num.* 10.

Quinam simoniæ labem committere possint.

60. Omnes cujuscumque conditionis homines possunt esse rei simoniæ juris naturalis divini, etiam Papa: similiter omnes cujuscumque conditionis homines baptizati incurrere possunt simoniam juris Canonici; etiam Papa, nisi prius secum dispenset in lege; Cardinales quoque, religiosi, Prælati, &c possunt esse simoniaci: neque tolerantia Pontificis excusat à simonia, nisi talis adsit scientia, tolerantia, & consuetudo, ut judicio prudentum ea lex sublata censeatur. *Ibid. qu.* 5. *num.* 1. *& seq.*

Quæ causa excusare possint à simonia.

61. Non committitur simonia dum occasione rei spiritua-

lis

lis accipitur pecunia seu res pretio æstimabilis, non tamquam pretium rei, sed gratis, vel titulo gratitudinis, & non in pretium rei spiritualis. Hinc patet non committi simoniam, quando aliquis gratitudinis gratia dicit conferenti beneficium vel alteri cujus opera usus est in obtinendo beneficio, *omnia quæ ego habeo, etiam ipsum beneficium, sunt di ata tuo obsequio & voluntati*, &c. *ibid. q.* 6 *punct.* 1. *n.* 1. *& seq.*

62. Obligatio antidoralis, quam quis sperat vel intendit non est materia simoniæ; neque amicitia vel benevolentia quam quis intendit in collatione rei spiritualis, collationem enim beneficii necessario sequitur benevolentia ex natura rei. Unde fit ut simonia non committatur tradendo beneficium seu aliquid spirituale intentione adimplendi suam obligationem, quam quis contraxit ob acceptionem rei temporalis. Item simoniacus non est qui temporale tradit intentione ut sibi aliquid spirituale conferatur titulo gratitudinis, etiamsi ab eo cui temporale tradit, petat gratitudinem vel recognitionem suæ obligationis naturalis: non potest tamen obligatio antidoralis in pactum deduci pro re spirituali. *Ibid. nu.* 7.

63. Sustentationis titulus excusare debet à simonia, potestque sustentatio in pactum deduci absque simonia, modo non adsit prohibitio aliunde, vel excessus: accipiens enim plus pro sustentatione quam ferat ratio laboris & operis, injustitiam committit, imò incurrit suspicionem simoniæ, quia tunc præsumitur accipere tamquam pretium rei spiritualis. *Ibid punct.* 2. *num.* 1 *& seq.*

64. Committitur simonia accipiendo aliquid pro labore intrinseco actioni spirituali, quia labor iste non distinguitur ab ipsa actione sacra, secus dicendum de labore extrinseco; id est de eo sine quo tale opus fieri potest, consequenter cantus Missæ adjunctus non est materia simoniæ; sicut neque defatigatio & molestia percepta ex magna contentione virium, vocis vel animi; quamobrem concionator non incurrit simoniam suscipiendo aliquid pro magna contentione vocis & animi, aut pro labore & studio. Similiter iter occasione rei spiritualis susceptum non videtur materia simoniæ, sicut neque obligatio manendi in aliquo loco, vel celebrandi tali hora. *Ibid punct* 3. *n* 1 *& seq*

65. Locatio operarum, seu obligatio exercendi spiritualia (non quatenus dicit ordinem ad spiritualia ut sic) videtur pretio æstimabilis, consequenter excusare solet à simonia; cum

hujusmodi obligatio sit aliquid distinctum ab actione ipsa spirituali *Ibid. n.* 9.

66. Non committitur simonia, per se loquendo, accipiendo aliquid titulo privationis libertatis ad alia opera utilia quæ quis eo tempore præstitisset: potestque haberi ratio lucri cessantis vel damni emergentis, quod quis patitur occasione operis spiritualis peragendi: non debet tamen opus ipsum spirituale esse ratio traditionis pretii, hoc enim simoniacum est. *Ibid. punct.* 4. *n.* 1. *&* 2.

67. Titulus redimendæ vexationis injustæ, seu ut alii loquuntur vexationis de facto, non de jure, excusat à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale. Ita *cap. dilectus, de simon.* Vexatio tamen injusta non excusat a simonia, dum pro ipsa tollenda traditur res spiritualis: sicut nec vexatio justa in re spirituali excusat tradentem pecuniam ad ipsam tollendam. *Ibid punct.* 5. *n.* 1 *& seq.*

68. Adverte tamen vexationem in beneficiis illatam ab eo qui prodesse potest, non excusare tradentem pecuniam ad ipsam tollendam. Ideo si elector vexet me eligendo indignum simoniam committo redimendo talem vexationem: secus si tradam pecuniam subornanti & corrumpenti electorem ne me ipsum eligat: nam tunc non datur pecunia, ut me ipsum eligat, sed ne damnum mihi inferat corrumpendo electorem. Similiter simonia non committitur tradendo pecuniam illi qui per vim impedit meum concursum in beneficio: sicut neque etiam committitur redimendo pecunia injustam vexationem, qua quis injustè impeditur capere possessionem beneficii ad quod habet jus certum & non dubium. Idem dicendum in redemptione vexationis injustæ in ferendis vel auferendis censuris *Ibid. n.* 4. *& seq.*

69. Testi pecuniam tradens pro dicenda veritate, simoniam non committit: item electoribus volentibus hæreticum vel schismaticum, seu indignum eligere, aut iniquè impedientibus tradi potest pecunia ne illum eligant: secus si pecunia tradatur ut dignus vel dignior eligatur. Item Eucharistiam vel religionem conculcare volenti tradi potest pecunia, ne illas conculcet: reliquiæ quoque extrahi possunt è manibus infidelium tradita pecunia; sic enim vindicatur & redimitur injusta vexatio, quæ Eucharistiæ, aut reliquiis impendebat. *Ibid. n.* 9. *& seq.*

70. Adverte tamen non esse licitum per subornationem re-

sistere

sistere subornationi ; ut si Caius muneribus vel importunis precibus pervertat aliquos electores ad sui electionem, non licet mihi alios electores eadem ratione pervertere, aut eosdem vehementius inducere, & in mei favorem pertrahere. *Ibid. num. 15.*

71. Consuetudo non est titulus sufficienter excusans acceptionem vel traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretii ; quia hoc est intrinsecè malum & simoniacum contra jus naturale divinum, quod nulla consuetudine abrogari potest. Potest tamen consuetudo conferre jus ad majores proventus, saltem titulo sustentationis ; modo hujusmodi consuetudo suspicionem aliquam simoniæ, vel turpis avaritiæ non præ se ferat. *Ibid. punct.* 6. *num* 1. *&* 2.

Pœnæ contra simoniacos latæ, & de ipsarum dispensatione.

72. Primo inducitur excommunicatio ; dum simonia est confidentialis; quæ contingere solet in resignatione, collatione, electione, vel præsentatione, hoc animo ut beneficium vel fructus in totum vel in partem restituantur vel reserventur ipsimet resignanti, conferenti vel præsentanti, aut alteri juxta ipsius electionem. Ad incurrendam hanc excommunicationem non est opus ut ista confidentia in pactum expressum deducatur, vel ut adsit ex parte utriusque, sed requiritur solum ut resignans cum hac spe resignet, & resignatarius istum resignantis animum animadvertat, etiamsi recipiens hunc animum non habeat. Unde beneficium recipiens absque intentione recipiendi illud in confidentiam, non videtur affici excommunicatione, etiamsi alter ei beneficium resignet cum spe & confidentia : beneficiarius autem cui beneficium resignatur, cognoscere potest beneficium sibi in confidentiam resignari, ex conjecturis quibus adduci potest ad credendum beneficium sibi tradi in confidentiam. *Lib. 7. punct. 1 & 3. n. 1. & seqq.*

73. Simonia confidentialis committitur, etiam dum conferens, præsentans, aut eligens ad beneficium, confidit quod beneficiarius resignabit beneficium juxta suam voluntatem, aut fructus, vel eorum partem sibi vel alteri tradet; & hoc verum est, etiamsi conferat, præsentet vel eligat personam alioquin dignam. *Ibid. num 7.*

74. Simonia confidentialis inducit excommunicationem sta-

statim ac pensio vel beneficium sub spe & confidentia receptum fuit, etiamsi nondum capta sit pacifica beneficii possessio. Quod dictum est de simonia confidentiali in beneficiis, dicendum debet de confidentiali in pensionibus. *Ibid. num.* 8. & *seq.*

75. Cardinales & alii Prælati committentes simoniam confidentialem videntur potius affici pœna interdicti quam excommunicationis. *Ib n.* 12.

76. Materia excommunicationis contra committentes simoniam in ordine, (etiam in prima tonsura,) vel beneficio, est sacrilegium quod consistit in his actionibus: dare temporale pro spirituali vel è contra in beneficio, aut etiam in ordine; accipere temporale pro spirituali, vel è contra pro beneficio, aut etiam pro ordine: & denique mediatorem esse seu procurare ut temporale tradatur pro spirituali. Hinc sequitur, simoniacum in collatione, aut consecutione pensionis non ligari excommunicatione, cum pensio non sit beneficium: debetque simonia esse realis; propterea simoniacus in ordine vel beneficio non ligatur excommunicatione, effectu nondum secuto, sed excommunicatio solum incurritur statim, ac pretium traditur. *ibid.* § 2. *num.* 1. & *seq.*

77. Cognoscens beneficium acquisitum fuisse per simoniam ab altero commissam, ipso inscio, tenetur quidem beneficium resignare, sed non incurrit excommunicationem, illud retinendo. Item obtinens beneficium per simoniam ab altero contractam ipso inscio, non incurrit excommunicationem, si cognito simoniæ crimine restituat pecuniam, quam alter pro consecutione beneficii erogaverat. *Ibid. nu.* 13. & 14.

78. Simoniam sciens ab altero commissam in ordine vel beneficio, absolvi non potest, nisi delinquentem denuntiet. *ibid. n.* 16.

79. Simoniaci absolvi debent à Summo Pontifice ob excommunicationem contractam in simoniaca collatione vel receptione ordinis, aut beneficii. *Ibid. num.* 20.

80. Petentes, vel exigentes aliquid in collatione aliave provisione beneficiorum, aut admissione ad illorum possessionem, gravibus pœnis subjiciuntur in Bulla 104. Pii V. quæ incipit, *Durum nimis.* Hæ pœnæ non incurruntur, dum in provisione beneficiorum exigitur aliquid convertendum in pios usus juxta consuetudinem vel constitutiones Ecclesiarum. *Ibid.* § 3. *num.* 1. & 5.

81. Ur-

81. Urbanus IV. *in cap sane, de simonia*, excommunicationem imposuit singularibus personis dantibus vel recipientibus aliquid ex pacto pro ingressu in religionem: Capitulis verò & Conventibus pœnam suspensionis injunxit, ideò pecuniam tradens ut in religionem admittatur, excommunicationem incurrit, etiamsi mentem suam recipienti non aperiat. Simonia tamen non committitur, dum aliquid traditur vel recipitur pro sustentatione ingredientis religionem, etiam si monasterium dives sit & locuples, licet multi Doctores oppositum sentiant. Hinc moniales nolentes aliquam in monasterium admittere, nisi congruam dotem afferat, non liguntur excommunicatione, licitumque est monasterio mutuam pecuniam, depositum, vel commodatum recipere à parentibus, vel curatoribus puellæ: excusarique potest à simonia Abbatissa, quæ certam pecuniæ quantitatem paciscitur, vel recipit, donec dos conventui promissa pro novitia ingrediente solvatur, si hanc pecuniam accipiat ratione damni emergentis, quod interim monasterium patitur ob dotem non solutam. *Ibid.* §. 4. *num.* 1 *& seq.*

82. Subjectum hujus excommunicationis impositæ in hac Extravaganti sunt omnes singulares personæ quæ aliquid dant vel accipiunt pro ingressu in religionem, sive sint viri, sive feminæ: Collegium verò vel conventus incurrit pœnam suspensionis ab officio & beneficio simul. *Ibid. num* 9 & 10.

83. Simonia committitur non solum dum aliquid traditur, vel recipitur tempore professionis, verùm etiam in ipso ingressu & receptione ad habitum; quamquam in hoc secundo casu non incurritur censura donec professio emittatur. *Ib n* 11.

84. Religionem ingrediens simoniam quidem committit, sed excommunicationem non incurrit, dum aliquid ex pacto petit vel accipit à monasterio, ut ingrediatur, *ibid. num* 12.

85 Simoniacè professus per sententiam expellendus est, & in arctius monasterium conjiciendus ad agendam pœnitentiam *Ibid num* 13.

86 Pius V in Bulla 99. quæ incipit, *quam plenum*, censuram excommunicationis imposuit iis, qui concederent ob quæstum indulgentiam, aut facultatem absolvendi, sive id per se faciant, sive per alium; imò Episcopi, aliique Præsules, seu Antistites, etiamsi Cardinalatus dignitate præditi sint, si præfata faciant, incidunt in suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & à perceptione fructuum, reservatam Summo Pontifici, à qua ab-

absolvi nequeunt, nisi præstita satisfactione. Hic tamen advertе, simoniacam publicationem, vel concessionem alicujus facultatis non inducere pœnam censuræ, exceptis indulgentiis, & facultatem absolvendi, quæ adhuc non incurritur, nisi effectus publicationis secutus sit. *Ibid.* §. 5. *num.* 1. & *seq.*

87. Publicationi vel concessioni indulgentiarum ob quæstum cooperantes, non subjiciuntur excommunicationi, quia Bulla de his non loquitur *Ibid. nu.* 8.

88. Indulgentias de novo concessas nullus, ne quidem religiosus exemptus, publicare potest in sua Ecclesia absque licentia ordinaria. Ita Trident. *sess.* 21. *cap.* 9. & *sess.* 22. *cap.* 5. Imò in hoc decreto Concilii prohibentur pravi eleëmosynarum quæstores; debentque ordinarii locorum advigilare ut collectores eleëmosynarum sint honestæ vitæ & bonæ famæ, ut non publicent indulgentias, & ne circumferant reliquias, &c. *Ibid. num.* 9. & 10.

89. Non solùm excommunicatio, verùm etiam suspensio contrahitur ob simoniam tam ab eo qui ordines simoniace confert, quam ab eo qui ordines per simoniam suscipit. Materia autem hujus suspensionis est susceptio ordinum cum vitio simoniæ commisso ab ipso susceptore ordinum, vel illi quoad culpam imputato *Ib.* §. 6 *n.* 1.

90. Ordinatus per simoniam ab alio commissam ipso inscio, suspensionem non incurrit, cùm hic culpa careat, ut supponitur. Item ordinatus bona fide per simoniam ab alio commissam, non ligatur suspensione, etiamsi post ordinationem approbet simoniam ab alio commissam. *Ibid. nu.* 2. & 3.

91. Ad incurrendam hanc suspensionem opus est ut simonia sit completa, quia censura non incurritur, nisi adsit effectus completus sub censura prohibitus *Ibid. num.* 4.

92. Subjectum hujus suspensionis sunt omnes cujuscumque gradus & conditionis homines suscipientes ordines simoniace, etiamsi regali vel alia quavis Ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgeant. *Ib. n.* 5.

93. Quæres, an mediatores simoniæ sint etiam suspensi? Respond. quoslibet mediatores non esse suspensos, sed præsentatores ad ordinem: nam contra eos *in cap. pen. de simon.* alia lata est suspensio per triennium ab ordinum executione. *Ib. n.* 6. & 7.

94. Effectus quem parit ista suspensio, est suspendere ab exercitio & executione ordinum susceptorum, & ab aliis suscipiendis. *Ib. n.* 8.

95. Suspensio lata contra simoniacum in ordine, non suspendit à beneficio & officio, quia hoc nullo jure probatur, nec Sixtus V. hanc pœnam imposuit. *Ib. n.* 9.

96. Suspensio lata contra simoniacos in ordine, perpetua est, cum jura absolutè loquantur: si jus antiquum spectemus, Episcopus absolvere potest ab hac suspensione: si verò inspiciamus constitutionem Sixti V. non potest Episcopus absolvere, saltem in delicto publico. *Ibid. num.* 10. *& seq.*

97. Suspenduntur quoque per Bullam Sixti V. quæ incipit, *Sanctum & salutare*, conferentes ordines vel tonsuram simoniace. *Ibid. §.* 7. *num.* 1.

An acta simoniace, valida sint.

98. Actiones seu functiones ordinis vel jurisdictionis simoniace factæ, validæ sunt, per se loquendo, quia nullibi est constat irritari. Adverte tamen hoc esse peculiare in sacramento pœnitentiæ, ut simoniace collatum, irritum sit. Et Ecclesia quæ per pactionem consecrata fuit, potius execrata, quàm consecrata dici debet, quia consecrans quantum est ex parte sua, illam polluit, & contrectat tamquam rem profanam. *Ibid. punct.* 2. *num.* 1. *& seq.*

99. Beneficii acquisitio simoniaca, inspecto solum jure naturali divino, valida est, sicut & etiam professio facta per simoniam. *Ib. n.* 6. *&* 7.

100. Omnis actio jurisdictionis, vel administrationis quæ ordinatur ad obtinendam beneficii provisionem, si fiat per simoniam, irrita est, non quidem jure naturali, vel divino, (cùm nihil desit ad substantiam acquisitionis,) sed jure Ecclesiastico, ut patet *ex cap. Matthæus, de simonia.* Ex quo licet inferre, provisum per simoniam, licet occultam, teneri beneficium dimittere (nullum enim acquisivit jus in beneficium) & eum restitutionem fructuum ex hujusmodi beneficio perceptorum facere debere successori in beneficio, aut Cameræ Apostolicæ, aut Ecclesiæ beneficii. Et hoc valet etiamsi provisus simoniam ignoraret. *Ibid. n.* 10. 11. 13. *&* 19.

101. Beneficii provisio simoniace facta, irrita est, etiamsi crimen simoniæ commissum sit à tertia persona, nisi fortè provisus contradixerit, seu nisi pecunia data sit à tertia persona in odium & detestationem provisi. *Ibid. n.* 17.

102. Approbatio simoniæ post obtentum beneficium non ir-

rritat consecutionem beneficii præcedentem. Item, juxta nonnullorum Doctorum sententiam, pensionis collatio facta per simoniam valida est. *Ib. n.* 18 & 22.

103. Regula de triennali possessore favet obtinenti beneficium per simoniam quam ipse obtinens ignorabat. *Ib. n.* 20.

104. Officium Auditoratus vel Clericatus Cameræ Apostolicæ valide obtinetur, etiamsi per simoniam acquiratur. Idem dicendum juxta nonnullos de officiis religionum spiritualibus *Ibid. num.* 23. & 24.

105. Advertè autem beneficii provisionem, &c. simoniacam non esse invalidam, nisi secuta simonia realis & completa, non autem conventionali & semireali tantum. Unde beneficiarius simoniacè acquirens beneficium retinere potest beneficium, modo simonia nondum sit completa. *Ibidem numer.* 25. & 26.

106. Promissio pecuniæ pro obtinendo beneficio vel re spirituali, non est adimplenda, etiam obtento beneficio seu re spirituali, alioqui completetur simonia realis. Promissio beneficii facta per simoniam secuto effectu, & completa simonia reali, ità irritatur, ac si ab initio conventionis irrita fuisset. Probabile tamen est beneficia aut beneficiorum fructus perceptos ante completam realem simoniam restitui non debere, juxta sententiam nonnullorum Doctorum *Ibid. num.* 27. 28. & 29.

107. Examinatores simoniam committentes privantur beneficiis riteante obtentis, si occasione examinis aliquid accipiant. Potest tamen illis aliquid ab Episcopo conferri titulo præmii vel sustentationis: secus si assistentes examini alunde habeant quo se sustentent. *Ibid. diffic.* 1. *num.* 5. & *seq.*

108. Simoniacus in beneficio efficitur inhabilis ad obtinendum illud beneficium, in quo simoniam commiserat, nisi habilis ad illud efficiatur per dispensationem à Summo Pontifice obtentam. Imo efficitur etiam inhabilis ipso facto ad alia beneficia in futurum obtinenda. *Ibid. diffic.* 2 *nu.* 1 & *seq.*

Vtrum simonia inducat obligationem restituendi accepta simoniace.

109. Qui pretium accepit pro re spirituali, tenetur jure naturali divino illud restituere illi qui pretium dedit, etiamsi res spiritualis nondum tradita sit. Advertè tamen pretium simo-

niace, sed non injuste acceptum, non esse obnoxium restitutioni jure naturali divino; secus si pretium simoniace & simul injustè acceptum sit. *Ibid. punct* 3. *diffic* 1. *n.* 1. 2. 3. *&* 5.

110. Obligatus ex justitia ad aliquam functionem gratis præstandam, tenetur ad restitutionem pretii accepti pro illa functione. Idem vendens beneficia vel officia quorum non est dominus, tenetur quoque ad restitutionem pretii accepti. Similiter electores beneficiorum accipientes pretium pro eligendo digno & omittendo indigno, tenentur jure naturæ ad restitutionem. Reliquiarum quoque pretium acceptum restituendum est; secus dicendum de pretio accepto pro vasis sacris, oleo sancto, chrismate, & his similibus, si tamen pretium æquivaleat valori materiæ, & nihil detur pro spirituali. Item pretium acceptum pro functione spirituali quantum valet ipsa functio per se & materialiter spectata, non est obnoxium restitutioni. Idem sentiendum si accipiens poterat tantumdem exigere titulo sustentationis *Ibi*, *n.* 6. *& seq.*

111. Vendens officium Ecclesiæ non tenetur ad restitutionem pretii, si officium illud adnexum habeat temporale commodum. *Ibid. n.* 13.

112. Religio pretio admittens aliquem, non tenetur jure naturali ad restitutionem, modò non plus accipiat quàm ferat onus sustentationis. Item imaginis miraculosæ pretium acceptum ob lucrum; vel ob aliud commodum temporale, restituendum non est jure naturæ. *Ibid. num* 15. *&* 16.

113. Pretium acceptum pro ingressu in religionem, restituendum non est ante judicis sententiam: sicut neque pretium acceptum in collatione ordinum vel sacramentorum. *Ibid. n.* 20. *&* 21.

114. Res spiritualis simoniace accepta, etiam jure Canonico non est obnoxia restitutioni ante sententiam, exceptis beneficiis. *Ibid. diffic* 2. 2 *n* 3.

115. Mediatores simoniæ commissæ in beneficio, tenentur ad restitutionem, non solùm pretii accepti, verum etiam fructuum beneficii in defectum benficiarii, quia ipsi censentur causa & cooperatores damni; cooperatores autem damnificantes tenentur ad restitutionem in defectum causæ principalis *ib. n.* 6

116. Dispensatio in simonia à nullo homine obtineri potest excepto Papa, qui dispensare potest in simonia juris Canonici. Nulla verborum forma necessaria est ad dispensandum in simonia, quia nulla hujusmodi forma in jure præscripta extat. *Ibid. punct.* 4. *n.* 1. *& seq.*

ADDI-

ADDITIO.

De simonia Barth. Ugolinus, P. à Sot. *sect. ult. de ord.* P. N. *l. c. n.* 383. Navar. *c.* 13. *à n.* 103 *& multis cons.* Coron. 3 *p.* 70. Sot. *l.* 9. *q.* 5. *art.* 1. Val. *t.* 3. *d.* 6. *q* 16. D. Thom. 2. 2. *q.* 100. Cajet. *ibid.* De simonia, quæ accidere potest in religionis ingressu. Dion. Carthus. opusculum extat.

Bulla contra confidentias intelligenda de simoniacis, scil. ubi pactum saltem tacitum intervenit. Vid Nav. *l. c. n.* 109.

Renuntians simoniace puniri potest, & privari beneficio, non tamen perdit ipso jure illud, quia renuntiatio est nulla. Nav. *c.* 23. *n.* 105. Nec obstat constitutio Pii V. quæ de acquirentibus simoniacè, non de resignantibus loquitur.

Bulla Pii V. qua adeptus officium, aut beneficium simoniace, fit inhabilis ad alia, intelligitur in foro exteriori. Nav. *cons.* 34 *de simon.* Paris. *de resignat. lib.* 4. *quæst.* 2.

Qui simoniacè beneficium accepit, in foro conscientiæ tenetur beneficium relinquere, & fructus etiam consumptos restituere. Vid D. Thom. *l. c. art.* 6. *ad* 3 *de simoniaco. cap. de regular. de simon. c ordinationes* 1 *quæst* 1. Covar. *l. c.*

Quæres: Quæ sint pœnæ simoniacorum. Resp. à DD. numerari septem. Prima est pœna æterna, nam omnis simonia in suo genere est peccatum mortale. 2. est restitutio pretii, & resignatio rei spiritualis, cùm potest resignare. 3. excommunicatio latæ sententiæ. 4. suspensio ab ordine & beneficio. 5 Infamia 6 inhabilitas ad beneficium simoniacè acceptum. 7. privatio omnium beneficiorum, etiam justè acquisitorum, & ad omnia inhabilitas. ita habetur *in decreto* 1 *canon requiruntur* & *in decretalibus can. de hoc.* & *in extravag. cum detestabil* & in Bulla Mart. V. in Conc. Constant. *sess* 45 & Pii V. apud Nav. *cap.* 13 *n* 14.

Quæres: An mentales simoniaci incurrant has pœnas. Respond duplicem esse mentalem simoniã, 1. est, qua quis cupit emere vel vendere rem spiritualem, sed non facit, & hæc tantum incurrit pœnã externã. 2. est qua quis cupit emere, & facit, sed sine ullo pacto adjuncto. Et de hac controversum est inter DD. an obligetur ad restitutionem, aliasque Juris pœnas Sot *lib.* 9 *quæst.* 8. *art* 1. & Adrian. *quodl. lib.* 9. & alii putant, obligari. 1 quia quidquid est simoniacè acceptum, est injustè acceptum, ergo debet restitui. 2. quia usura mentalis obligat

ad restitutionem, ut habetur *c. consulit. tit. de usur.* ergo & simonia mentalis. Sed communior sententia est S. Tho. *quæst.* 10. *a.* 9. & Cajet. *ibid.* & Nav. *c.* 23. Sylv. *v. simonia q.* 10. Innocent. Panorm. Joan. And. *in c. simonia* docent, nec in externo, nec in interno foro, obligare ad ullam pœnam juris. Ratio est, quia *in cap. fin. de simon.* Gregorius XI. disertè docet, mentales simoniacos non teneri ad restitutionem, & addit, solam eorum pœnitentiam sufficere coram Deo. Soto quæritur, textum esse corruptum, vitio typographi. Verum olim ita legit Innocent. qui tempore Gregorii IX. vixit, & ei in Pontificatu successit, & D. Tho. qui fuit paulò post, & omnes veteres Interpp. ita legunt. 2. probatur ratione, quia obligatio ad restitutionem non sequitur, nisi acceptionem per se injustam: at acceptio, quæ in hac mentali simonia est, est per se justa, cùm sit ex dono gratiæ & injusta tantum per accidens, ratione intentionis, ut declaratur exemplo. Nam si tortor suspendat furem justè à judice damnatum, sed intentione perversa, quia est inimicus ejus, peccat quidem, sed non tenetur restituere, quia occisio illa fuit tantum injusta per accidens, justa verò per se. Ad rationem autem jam respondit Sot. acceptionem illam tantum esse injustam per accidens. Ad 2. respondeo, Usurarium teneri ad restitutionem, quia accepit usuram ab invito, dans enim usuram dat ut redimat vexationem, neque enim qui dat, intendit voluntariè dare. At qui dat simoniacè voluntariè dat saltem exterius, secundùm formam doni, licet interius dat animo emendi. Emere autem natura sua est contractus voluntarius. Hæc Busæus.

Quæres: Sitne simonia, si canonicus novus, ratione statutorum, vel consuetudinis dare cogatur certam pecuniæ summam pro Ecclesiæ fabrica. Resp. 1. esse simoniam, si ratione statutorum aliquid solvatur. Et ratio est, quia illa solutio videtur introducta ratione taxationis, at taxatio est vetita, *can. ex multis 1. q. 3.* Respondent alii quidam, esse quidem simoniam, si id quod solvitur, dividatur inter canonicos, non tamen esse, si convertatur in omnem Ecclesiæ utilitatem. Sed hanc distinctionem refellit Panorm. *ibid.* eo, quod *in d. can. ex multis* Alexander Papa diserte prohibeat, ne quis audeat aliquid pro Ecclesiæ beneficio recipere, etsi detur pro fabrica Ecclesiæ, vel pro pauperibus. Resp. 3. si ratione consuetudinis aliquid solvatur in usum Ecclesiæ, id sine ulla simonia fieri posse. Ratio discriminis est, quod statutum est, non habet principium vo-

voluntarium, sed necessarium, consuetudo verò habet voluntarium principium, utpote, cum ex pietate Canonici novi dederunt aliquid usibus Ecclesiæ applicandum, ex quibus voluntariis oblationibus tandem nata est consuetudo laudabilis, Conc. verò Trid. *sess. 24. de reform. c. 14.* videtur æquare statutum consuetudini, ut benè observavit Nav. 23. *man. num.* 101. cum mandat consuetudines cum receptione Canonicorum servari solitas ab Episcopo examinandas, & laudabiles approbandas. Quare non est necesse, sequi distinctionem illam Panorm. sed simpliciter asserere possumus, non committi simoniam, si aliquid pro Ecclesiæ fabrica exigatur, ut docet Navar. Hæc Busæus.

Societas contractus.

1. Societas est conventio duorum vel plurium conferentium suam pecuniam vel industriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem ad lucrum commune. Ad societatem hæ conditiones requiruntur; ut fundetur in negotiatione licita & honesta; ut singuli aliquid conferant in commune, sive conferant pecuniam, sive operam, sive industriam; ut servetur æqualitas inter socios, ita ut lucrum, expensæ, & damna sint communia omnibus ad ratam pecuniæ vel industriæ in societatem collatæ; ut sors seu pecunia quam socius in communem contulit, subjaceat periculo conferentis, illique pereat (est enim dominus, res autem domino perit,) nisi aliter justè conventum sit; & ut serventur pacta, quoties servari possunt, quia fides data, servanda est. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. quæst. 6. punct. 1. num. 1. & seq.*

2. Quæres: an qui societatem iniit, seque ad operas in una societate obligavit, peccet, & teneatur ad restitutionem, ineundo alias societates, suasque in iis operas impendendo? Non peccat, nec tenetur ad restitutionem, quoties hoc præstare potest absque præjudicio prioris societatis. *lib. n. 4.*

3. Contractus societatis regulariter celebrari potest ab iis qui facultatem habent disponendi ad suum libitum de rebus quas conferunt ad societatem; & consequenter iniri potest societas inter patrem & filium, quando filius confert ad societatem bona castrensia vel quasi: aut quando pater ponit pecuniam, & filius operam & industriam. Item celebrari potest societas inter fratres, salvo tamen jure patris. At neque

pupillus, vel minor absque licentia tutoris, neque rationis usu carentes, neque religiosus, cum non sit sui juris, neque Medicus cum infirmo, Advocatus cum cliente, tutor & curator cum pupillo & minore, &c. valide possunt societatem inire, *Ib. punct. 2. n. 1. & seqq.*

4. Quomodo facienda divisio in societate? Faciendae est ad æqualitatem, habita ratione illius quod quisque contulit in societatem: propterea, qui æqualiter posuit pecuniam vel industriam, debet recipere lucrum æquale; inæquale verò, si inæqualiter posuit: at qui posuit solas operas, par non est, ut recipiat aliquid loco capitalis, cùm nihil posuerit in sorte vel capitali. *Ib. punct. 3. n. 3.*

5. Quæres, quomodo possit recipi lucrum ab eo, qui pecuniam posuit in societate, cùm pecunia sit infœcunda & infrugifera? Respondetur non recipi lucrum ex pecunia, prout est pecunia & pretium rerum venalium, sed quatenus exponitur negotiationi periculo ipsius apponentis *Ibid n 4.*

6 Damna, quæ patitur socius ex causa proxima societatis, debent esse communia, modò non eveniant ex levi culpa socii. Et si res societatis furto sublatæ fuerint, damnum debet esse commune, si absque culpa sociorum sublatæ fuerint. Item expensæ quæ non superfluè fiunt à socio apponente industriam, faciendæ sunt ex communi pecunia societatis, nisi aliter conventum sit inter socios, aut aliter lege cautum, vel consuetudine receptum. Unde eleemosynæ quas facit socius apponens industriam, si moderatæ sint & discretæ, fiantque intuitu felicis exitus societatis, rationabiliter solvendæ videntur ex communibus lucris. *Ibid. punct. 4. num 1. & seq.*

7. Quando faciendæ sunt aliquæ expensæ in utilitatem societatis, socius tenetur eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab aliis petere, si non possit extrahi pecunia è societate ad eas faciendas; ipsi tamen competit jus repetendi à sociis, quod insumpsit, cùm utiliter gesserit negotium societatis, non secus ac si fuisset proprium negotium. *Ibid. n 5.*

8. Petes, quid requiratur ad contractum societatis circa animalia? Ut unusquisque sociorum aliquid conferat in societatem, sive conferat animalia, sive custodiam, sive industriam; ut servetur æqualitas, ita ut damna, expensæ & lucra provenientia ex causa societatis sint communia; ut animalia stent periculo apponentis, ità, ut si pereant, pereant apponenti. Quare iniquus est contractus societatis, quo tradun-

tur

tur animalia hoc pacto, si pereant, æqualiter pereant apponenti & recipienti; si verò non pereant, capitale detur apponenti, fructus verò dividantur æqualiter. Iniquus est similiter ille contractus, quo quis tradit animalia pastori cum pacto, ut ea custodiat & pascat, & semper serventur in eodem numero, ita, ut si aliqua pereant, compleatur numerus ex fœtibus; & pastor in fine singulorum annorum accipiat dimidiam partem reliquorum fœtuum: in hoc enim contractu deesse videtur æqualitas, si pastoris industria pluris æstimetur, quam valeat numerus animalium ipsi constitutus & assignatus: secus si non pluris ipsius opera & industria æstimetur. *ibid. punct. 5. nu. 2. & 5.*

9. Licita videtur societas, qua traduntur animalia hoc pacto, ut lucrum sit commune, & qui animalia recipit, nihil capiat, donec pretium animalium domino fuerit persolutum, *ibid. num. 4.*

10. Animalia, quæ culpa socii perierunt, restituenda sunt, juxta valorem & æstimationem; quam habebant tempore amissionis seu læsionis; nam ad dominum pertinet incrementum & decrementum rei, nisi aliud in justum pactum deducatur; consequenter animalia restituenda sunt, juxta valorem quem habebant tempore amissionis, seu læsionis, cum animalia ad illud usque ad tempus essent domini, seu apponentis. *ibid. num. 7.*

11. Illicita est societas inita cum pacto, ut lucrum dividatur, pretium verò ovium tradatur apponenti, juxta valorem quem oves habebant tempore traditionis, hoc tamen limita, nisi gravamen justa mercede compensetur. *ibid. n. 9.*

Societas inter fratres.

12. Fratres defunctis parentibus habere solent bona indivisa per modum societatis, ita ut lucra & damna sint communia; quamquam hæc societas extendit se tantum ad bona hæreditaria, & ad lucra ex illis provenientia, nisi aliter deductum sit in pactum. Propterea si unus negotietur altero nihil conferente, non dicitur societatem cum altero iniisse; imò si uterque negotietur, non videntur societatis contractum celebrasse, si nihil ad negotiationem conferant. Quare societas inter fratres extenditur solum ad ea quæ inter se fratres communicant, & in commune conferunt animo

conferendi in commune, non vero se extendit ad bona aliunde à fratribus acquisita. *ibid. punct. 7. n. 1.*

13. Fratres indivisi ex bonis communibus possunt facere sumptus ordinarios & competentes; extraordinarios vero non possunt; quamobrem si unus fratrum propter aliquod delictum cogatur solvere pœnam, non potest hos sumptus facere de communibus societatis bonis. *ibid. num. 4.*

14. Petes, quænam bona sint è fratribus ad partitionem adducenda secluſa societate? Respondetur bona tantummodo profectitia, quæ filius accepit à patre vel ab avo, cui succedit, adducenda esse à filio cum reliquis quibuscum succedit in hæreditate: bona vero castrensia, vel quasi, non sunt conferenda, quia dominium eorum pleno jure pertinet ad filium. Præterea bona adventitia quoad proprietatem similiter non conferuntur, cum pertineant ad filium quoad proprietatem *ibid. §. unic nu. 3.*

15 Filius teneturne cum aliis fratribus conferre, quæ à patre accepit causa dotis, vel ad ordines, vel titulo legati? Non tenetur, si velit ab hæreditate abstinere contentus re sibi tradita, sicut neque tenetur conferre quæ pater consumpsit in studio ipsius filii, quia hæc censentur condonata, nisi forte filius habuerit unde se aliunde sustentare potuerit. Idem dicendum de iis quæ pater illi tradidit præ aliis ad cibum, vestitum, equitatum, & ludum; imò & de libris vivente patre traditis, & expensis factis ratione convivii à patre facti occasione sacri à filio celebrati, vel occasione Doctoratus adepti, vel professionis in religione; secus de vestibus pretiosis, torquibus, arrhis, & aliis largitionibus sponsalitiis factis propter nuptias, aut propter redemptionem filii à captivitate; hæc enim adducenda sunt in divisione paternæ hereditatis. *ibid. n. 4. & seq.*

ADDITIO.

De societate Lopez. *de contract. l. 1. à c. 61.* Sot. *l. 6. q. 6. a. 1.* Tol. *l. 5. c. 41.* Nav. *c. 17. à n. 251.* Cajet. & D. Thom. *2. 2. q. 78.* Garz. *c. 41.* Mol. *ad 411* Covar. *l. 3. var.* Bannes *qu. 78. art. 3.* vid. Tol Nav *n. 2. 252. l. c.* Mol. *d. 416.*

Societas in dubio intelligitur contracta secundum consuetudinem, Mol. *l. c. n. 2.* Lopez. *l. c. n. 64.*

Dissoluta societate (dissolvitur autem unius morte, aut perdito

perdito capitali fere toto) nisi aliud sit conventum, reddito capitali ei, qui posuit, solutisque debiis factis ab aliquo, nomine societatis, lucrum pro rata dividendum. vid. Lopez. c.5.6.7. *Dissolvitur*) vid. Mol *d.* 144. Lop. *l.c.*

Societates officiorum Romæ solitæ fieri, non possunt fieri ultra valorem officiorum. Ex Pio IV. vid. Tol. *l.6 cap.* 40.

De societate animalium Lopez. *c. ulti* Mol. 410. Gart. *l.c.*

Verum de hoc contractu quærit Busæus, An licitus sit hic contractus in animalibus, ut bobus, ovibus, capris, cum traduntur in societatem ad pactum. Respond. cum Sylv. *v. societas.* Conrad. *q.* 90. Anton. 2. *p. titul.* 1. *cap.* 7. § 30. Navar. *n.* 261. esse licitum, id est, neque usurarium, neque injustum, si duæ adsint conditiones, 1. si illa animalia tradita in societatem subjaceant periculo tradentis, & non recipientis; modo à recipiente omnis absit dolus, & culpa. 2 Si iis conditionibus ineatur illa societas, ut boni viri arbitrio neutra pars nimium gravetur, hoc est, ut damnum & lucrum, secundum proportionem sit commune tradenti, & recipienti. Verum infert Conrad. duo: 1. Si consuetudo alicubi sit recepta, ut recipiens etiam dimidiam partem animalium in societatem traditorum pro se accipiat (modo commoda & damna utrimque sint communia, & alia pacta injusta non interveniant) posse licitum esse contractum 2. est, justum fore contractum, quando v.g Petrus à Joanne emit bovem duorum annorum, & relinquat ipsi Joanni in societatem, cum conditione, ut post biennium vendatur, & Petrus primo recipiat suam pecuniam quam exposuit, deinde lucrum meliorationis commune habeat cum Joanne. Busæus.

Sodomia.

1 Sodomia propriè accepta est coitus inter personas ejusdem sexus, estque peccatum turpissimum & gravissimum; & clericus exercens hoc nefandum crimen meretur pœnam depositionis; non incurrit tamen suspensionem vel irregularitatem quamdiu delictum est occultum, cum hoc non habeatur in jure expressum. Debet Confessarius severum se exhibere erga Sodomitas, nec facilè absolvere; est enim casus reservatus quando masculus abutitur masculo, aut quando feminæ sese supergrediuntur, & recipiunt semen intra vas naturale vel præposterum. Explicanda est persona in con-

confessione cum qua perpetrata fuit Sodomia; nam commissa cum religioso, aut Sacerdote, aut consanguineo, habet aliam malitiam Sodomiæ, videlicet sacrilegii, incestus, &c. *tom. 1 de iis, quæ pertinent ad usum matrim. q. 5. punct. 11. nu. 1. & seq.*

2. Vir conjugatus qui præpostero actu incipit cognoscere suam uxorem, sed actum perficit & sæminat in vase naturali, peccat mortaliter, & propter attentationem hujus peccati, Canones sentiunt posse uxorem petere divortium à marito. *ibid. n. 12.*

ADDITIO.

Quæres, Quale sit hoc, & quotuplex peccatum. Resp. 1. Esse concubitum carnalem extra vas feminæ factum. Resp. 2. Quadruplicem esse posse hujusmodi concubitum, 1. Masculi cum masculo, vel feminæ cum femina, & dicitur peccatum sodomiticum 2 Est hominis cum bruto, & dicitur bestialitas. 3. Est masculi cum femina in vase non debito. 4. Est per simplicem pollutionem, quæ dicitur mollities apud Apostol & immunditia. Et hæc quatuor genera peccatorum in confessione esse exprimenda, eo, quod specie sint distincta, secundum probabilem DD. sententiam. Hæc Busæus.

Sollicitare, Sollicitatio.

Vide v. *Denuntiatio.*

Spes.

1. Spes est virtus Theologica & supernaturalis, qua speramus beatitudinem divino auxilio obtinendam. Dicitur *Theologica*; quia versatur circa Deum tamquam circa objectum, opponiturque præsumptioni, quæ ex suo genere est peccatum mortale, nec à mortali excusatur ob parvitatem materiæ, quia gravem continet inordinationem & injuriam. *tom 2. circa primum Decalogi præceptum, disp 3. quæst. 3. punct 1 num. 1 & seq.*

2. Differens pœnitentiam usque ad mortem spe veniæ obtinendæ, potius peccat contra præceptum pœnitentiæ quam contra præceptum spei: quia hic tantum differt conversionem suam. *ibid. num. 6.*

3 Præ-

3. Præceptum spei negativum obligat semper & ad semper; affirmativum vero quando insurgunt tentationes contra spem cum periculo desperationis. *ibid. punct 2. n. 2.*

4. Is cui fieret revelatio damnationis suæ, non videtur posse vel debere amplius sperare, imò potest desperare sine mortali peccato, modo tamen negotio futuræ beatitudinis non reducatur in defectum omnipotentiæ vel misericordiæ Dei. Ratio est, quia impossibile est sperare id quod non est possibile, videlicet assecutionem beatitudinis suppositа revelatione damnationis. *ibid. num 4.*

5. Actus desperationis potest aliquando subsistere sine peccato hæresis, v.g. si quis dicat nihil judicando contra fidem, *Deus non me salvabit*: vel *numquam bene agam. ibid. num. 5.*

Sponsalia, Sponsus.

Vide v. *Matrimonium.*

1. Sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonii, v.g. quando uterque sponsus dixit, Ducam vel accipiam te in conjugem; vel promitto tibi matrimonium, censentur celebrasse sponsalia, eo quod adsit mutua promissio. *tom. 1. de Sponsalibus. q. 1. punct. 1. n. 1.*

2. Ad validitatem sponsaliorum tres requiruntur communiter conditiones: ut promissio sit voluntaria, sit mutua & accepta, & aliquo signo externo sufficienter manifestata. *ibid. n. 2.* Unde

3. In sponsalibus non sufficit propositum, sed requiritur promissio, & quidem deliberata, cum enim obligent sub mortali, requiritur deliberatio sufficiens. *ibid. nu. 3. 4.*

4. Sponsalia non obligant, quando promittens ignorabat obligationem sequi ex promissione. Imò non tenetur ducere, si sciebat obligationem sequi ex promissione, sed ipse promittens expresse noluit obligare. *ibid. num. 5.*

5. Expressa voluntas se obligandi non semper requiritur in sponsalibus, sed sufficit tacita & implicita. *ibid.*

6. Promissio regulariter non obligat antequam acceptetur: habet enim hanc tacitam conditionem, *si alter acceptaverit.* Potest quis se obligare independenter ab alterius repromissione. *ibid. n. 6. & 8.*

7. Pro-

7. Promissio in sponsalibus debet exterius manifestari; nam promissio fit homini, qui non potest obligationem acquirere, nisi signo aliquo externo sibi manifestetur, & quidem sufficienter; sive hoc signum sit verbum, aut factum, aut nutus, sive aliquid illi æquivalens. Taciturnitas, per se loquendo, non habetur pro expressione consensus; nisi forte alicubi constet ex consuetudine, vel lege, taciturnitatem accipi pro expressione consensus. *ibid. n. 9. & seq.*

8. Consensus non sufficienter videtur exprimi per hæc verba: *Non ducam aliam præter te*, cum hæc verba faciant sensum conditionatum. *ibid nu. 13.*

9. Quando verba in sponsalibus habent duplicem sensum, explicanda sunt in foro conscientiæ juxta intentionē secundum quam proferuntur. Quod si dubitetur an adfuerit animus se obligandi, judicandum est quod adfuerit; quia nemo præsumitur dicere, quod in corde non habet. *ibid. num. 14. & 15.*

10. Matrimonium, vel sponsalia valida sunt, quando verba significant consensum de futuro, & sponsi adhibent illa ad significandum consensum de præsenti, & è contra: non sunt tamen valida, quando ab altero contrahentium accipiuntur juxta communem significationem. Quod si verba dubia sint, & non constet de intentione proferentium, contrahentes compellendi sunt ad servanda verba in eo sensu, quem recte intelligentes solent communiter ex iis verbis percipere; aut standum est judicio fori externi, modo non innitatur falsæ præsumptioni. *ibid. num. 16. & 17.*

11. Hæc verba, *habebo te in uxorem*, in foro externo explicanda sunt pro sponsalibus: in foro vero interno standum intentioni contrahentium. Illa vero verba, *ex hoc tempore*, vel, *semper*, vel *deinceps*, vel *omnibus diebus vitæ meæ habebo te in uxorem*, explicanda sunt pro matrimonio de præsenti. *ibid num 18.*

12. Ex veris sponsalibus oritur obligatio sub mortali ad ipsa adimplenda, & sponsalia voluntarie & scienter celebrata à nobili vel divite, cum ignobili vel paupere obligant. *ibid. punct. 2 n 1 & 2.*

13. Ficta promissio est ea quæ fit sine animo promittendi, cum animo non se obligandi, quod si facta sit cum juramento, servanda est quando juramentum factum fuit animo jurandi & se obligandi. *ibid. n 3. 4.*

14. Vir non tenetur ducere feminam quæ simulabat se virginem aut divitem, eumque decepit ficta promissione extorquendo copulam. Similiter non tenetur ducere feminam malæ famæ, cum qua sub ficta matrimonii promissione copulam, habuit. Item vir qui ficte promisit, extorquendo copulam, non tenetur ducere feminam quæ est notabiliter impar nobilitate aut divitiis, si mulier sciebat disparitatem & inæqualitatem. Idem dic quando ambo sunt pares genere, sed notabiliter impares divitiis. Imo adhuc non tenetur virem ducere quam decepit, etiamsi femina ignorabat inæqualitatem status. damnum enim amissæ virginitatis non tanti æstimatur; nec conferendum est cum damno, quod pateretur vir longe superioris conditionis ducendo feminam multo inferiorem. *ibid. num. 5. & seq.*

15. Ad nihil tenetur vir qui vult ducere feminam cui ficte promisit, sed parentes aut ipsa recusat: nam per virum non stat, ne promissio adimpleatur. *ibid. nu. 10.*

16. Femina ut plurimum non tenetur ducere virum, à quo extorsit copulam ficta promissione matrimonii. *ib. n. 11.*

17. Qui dubitat an promiserit; vel an verba contineant promissionem, non tenetur stare sponsalibus, si dubium adhuc perseverat post factam diligentiam ad cognoscendam veritatem. *ibid. num. 12.*

18. Qui promisit seu sponsalia contraxit, tenetur stare promissioni seu sponsalibus, quando dubitat utrum promiserit animo se obligandi. Ratio est, quia actus præsumitur factus secundum suam naturam, nec ullus præsumitur dicere quod non habet in mente. *ibid. n. 13.*

Sponsalia incerta.

19. Sponsalia incerta non sunt proprie & perfecte sponsalia. Nomine *incertorum sponsalium*, intellige ea quæ fiunt cum persona incerta & indeterminata, seu quæ fiunt cum pluribus sub disjunctione, ut quando Cajus promittit tribus vel quatuor filiabus Titii se unam illarum ducturum; & ipsæ similiter repromittunt. *ibid. punct. 3. n. 1. & 2.*

20. Sponsalia incerta redduntur certa & perfecta per determinationem & electionem promissoris, qua posita statim inducitur impedimentum publicæ honestatis post Concil. Trid. *sess. 24. c. 1. ibid. n. 3.*

21. Ex

21 Ex sponsalibus incertis consurgit obligatio adimplendi sponsalia, potestque aliquis compelli ad servandam promissionem. Verum si una ex illis quibus promisit, renuat, promissor non tenetur aliam ducere. *ibid. n. 4.*

22. Pater qui promisit Cajo unam ex quatuor filiabus suis, non tenetur aliam tradere, si interim Cajus copulam habeat cum una earum: est enim impedimentum affinitatis cum reliquis.

Neque pater qui Cajo promisit unam ex quatuor filiabus suis, tenetur alteram tradere, si Cajus unam à patre electam & oblatam respuat. *ibid. num. 5. & 6.*

23. Ætas septem annorum requirtiur tam in masculo quam in femina, ad celebranda sponsalia; & celebrata ante septennium, sunt invalida, tam in foro externo quam interno; nisi adsit sufficiens usus rationis, & malitia suppleat ætatem. Imò sponsalia contracta, etiam post septennium, quando uterque sponsus, vel alter illorum nondum attigit usum rationis, sunt invalida. *ibid. punct. 4. n. 1. 2. 3. & 5.*

24. Contrahentes sponsalia ante septennium, peccant mortaliter; similiter impuberes contrahendo matrimonium ante pubertatem malitia non supplente ætatem. *ib. n 6. & 7.*

25. Parentes, aut alii, v. g. tutores, consanguinei, &c. possunt contrahere sponsalia pro filiis qui nondum pervenerunt ad septennium; regulariter tamen non tenentur filii stare sponsalibus pro se contractis à parentibus, vel tutoribus, &c. nec ullatenus ad standum compellendi sunt. *ibid. n. 8. & 9.*

26, Ad validitatem matrimonii requiritur in masculo, ut annus decimus quartus moraliter sit completus: censetur autem completus, quando duo vel tres dies deficiunt: in femina vero 12. anni sufficiunt; quia potentia generandi citius reperitur in feminis quam in viris. In casu necessitatis Episcopus dispensare potest circa ætatem. *ibid, n. 10. & seq.*

Sponsalium rescissio.

27. Obligatio in sponsalibus contracta cessat his de causis: Ob ingressum in religionem, ob votum simplex castitatis, aut sacrorum ordinum: ob ætatem, aut lapsum termini, aut discessum in longinquum; ob dolum, metum, aut matrimonium subsequens cum alia celebratum, aut impedimentum dirimens matrimoninm: ob fornicationem supervenientem

venientem: ob mutuum consensum: denique ob conditionem non adimpletam *ibid. punct. 5. n. 1.*

28. Sponsus ingrediens religionem non tenetur postea ducere sponsam si egrediatur: nam obligatio sponsaliorum extincta fuit, nec postea reviviscit. *ibid num. 3*

29. Qui contraxit sponsalia cum juramento, potest ingredi religionem ante contractum matrimonium, nisi aliud obstet, v.g. copula habita: ingressus enim religionis in hoc casu est illicitus, cum fiat cum injuria alterius; nec refert quod voverit ingredi post copulam habitam. *ibid. n. 4 & 5.*

30. Votum religionis factum à sponso postquam à sponsa copulam extorsit, obligat, etiam post dissoluta sponsalia aut matrimonium, mortua uxore. *ibid. n. 6.*

31. Qui facto voto religionis vel castitatis virginem defloravit, tenetur potius cum ea matrimonium contrahere (si illa votum ignorabat) quam votum adimplere. *ibid. num. 7.*

32. Secunda sponsalia servanda sunt, quando habita est copula cum secunda sponsa, si illa grave damnum subiret, prior vero non item. *ibid. n. 8.*

33. Habens votum simplex castitatis vel religionis, peccat mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendi religionem, antequam matrimonium consummet. *ibid. num. 11.*

34. Potest quis vovere castitatem, animo dissolvendi sponsali utitur: enim jure suo, & meliorem vitæ statum eligit. Item qui factis sponsalibus vovit castitatem, sed postea voti dispensationem obtinuit, non tenetur stare sponsalibus, cum jam fuerint extincta, nec amplius reviviscant. His adde secunda sponsalia invalida servanda non esse, si priora valida dissolvantur. *ibid. n. 14 16. & 17.*

35. Sponsus qui post celebrata sponsalia cum una, contrahit matrimonium cum alia, non tenetur mortua uxore ducere priorem sponsam. *ibid n 18.*

36. Sponsalia rescindi possunt, si unus ex sponsis voveat castitatem, salvo jure alterius. *ibid. n. 19.*

37. Qui vovit sacros ordines, non tenetur servare castitatem antequam illos suscipiat, alioqui à pari vovens ingredi religionem, tenetur ad jejunia & ad alia onera religionis antequam ingrediatur. *ibid. nu. 2.*

28. Ille qui erat pubes tempore sponsaliorum, non potest ratione ætatis præcisè resilire à sponsalibus, etiamsi impu-

bes consentiat: secùs dicendum de impubere. Sponsalia dissolvuntur quando impubes ante pubertatem dissensit, non verò acquisita pubertate. *ibid. punct. 6. num. 2 & 3.*

39. Sponsalia impuberum cum juramento celebrata dissolvi non possunt, ratione ætatis præcisè acquisita pubertate. Reclamatio & contradictio ad solvenda sponsalia fieri debet apud Episcopum, vel ejus Vicarium, aut personas honestas. *ibid. n. 4 & 5.*

40. Sponsalia possunt dissolvi per moram & dilationem alterius, quando nullus terminus fuit præfixus ad perficienda sponsalia. Sponsalia quamvis facta sint cum juramento, dissolvi possunt per discessum alterius sponsi in longinquum absque licentia alterius. *ibid. n. 7. & 8.*

41. Dissoluto matrimonio per mortem conjugis, adimplenda sunt priora sponsalia jurata, & hoc ratione juramenti. *ibid. punct. 7. n. 3.*

42. Priora sponsalia non dirimuntur per posteriora, sicut dirimuntur per matrimonium, quia nullus obligari potest ad id, quod sine peccato præstare non potest. *ibid n. 4.*

43. Sponsalia etiam jurata dissolvuntur per impedimentum dirimens matrimonium; quale impedimentum est error personæ; affinitas superveniens, &c. & etiam fama publica de impedimento, aut scandalum. *ibid n. 5. & 6.*

44. Sponsus qui post celebrata sponsalia contrahit impedimentum, tenetur illius dispensationem impetrare quando id commodè potest, *ibid. n. 9.*

45. Valida sunt & conditionalia sponsalia, contracta sub conditione; *Si Papa dispensaverit in impedimento.* Item & sponsalia clandestina valida sunt: neque illa contrahentes peccant mortaliter. *ibid. n. 10. 12. & 13.*

46. Sponsus potest resilire à sponsalibus, non solùm à femina fornicetur, sed etiam si permittat se ab alio impedicè tangi, ut per amplexus, oscula, &c. Idem dic, etiamsi fornicatio est involuntaria, & per vim cognita fuerit. *ibid. punct 8 n. 1. & seq.*

47. Quando uterque sponsus fornicationem commisit, neuter potest à sponsalibus resilire *ibid. n. 6.*

Sicut sponsalia dissolvi possunt ob fornicationem corporalem, ita etiam ob spiritualem. ut ob hæresim, vel apostasiam. *ibid. num. 7.*

48. Rescindi possunt sponsalia, quoties notabilis mutatio

tio supervenit: qualis est morbus lepræ superveniens, paralysis, morbus Gallicus, amissio oculorum, nasi, notabilis deformitas, fœtor oris valde magnus, paupertas notabilis, crimen aliquod turpe, sævitia sponsi, adventus gravis & capitalis inimicitiæ inter sponsos, si quæ putabatur virgo aut dives, est defforata & pauper. Imo possunt adhuc rescindi, quando post sponsalia incipit cognosci aliqua causa, qua cognita non fuissent celebrata. Secus dicendum, si qui vult resilire, ea causa cognita, adhuc sponsalia celebrasset. *Ibidem num.* 8 *& seq.*

49. Non tenetur stare sponsalibus qui dubitat an tempore celebrationis sponsaliorum haberet voluntatem promittendi, si cognovisset aliquod vitium; hæc enim est notabilis mutatio, maximè si vitium est grave. *Ib. n.* 20. *&* 21.

50. Valida sunt sponsalia per dolum tantummodo incidentem celebrata, si sponsus cognito dolo adhuc illa celebrasset. *Ib. punct.* 9. *n.* 3.

51. Sponsalia celebrata per metum levem incussum ad illa extorquenda, dissolvi possunt in foro conscientiæ: in jure tamen non habetur ratio metus levis. *Ibid. num.* 6.

52. Ut sponsalia mutuo consensu dissolvantur, remissio utriusque debet esse libera; est enim veluti quædam donatio; quare si alter ex metu incusso remittat obligationem, sponsalia non dissolvuntur. *Ibid. punct.* 10. *n.* 1. *& seq.*

53. Sponsalia dissolvuntur, quando non adimplentur conditiones, sub quibus celebrata fuerunt. Quando sponsalia cum juramento celebrata dissolvuntur, si natura rei spectetur, non est opus judicis auctoritate aut relaxatione sacramenti; sed rescindi possunt auctoritate propria, si causa dissolutionis est publica: si sponsalia sunt publica, vel si causa est occulta, & simul etiam sponsalia occulta. Non poterunt tamen propria auctoritate rescindi, quando dubitatur an adsit justa causa. Imò, etiamsi adsit justa causa, dissolvi non poterunt, si sponsus postea carnaliter cognoscat sponsam. Ad diimenda sponsalia in foro conscientiæ sufficit dictum unius testis *Ibid. num.* 4. *& seq.*

54. Habens copulam cum sponsa alterius, tenetur hanc circumstantiam in confessione explicare, ratione injuriæ sponso illatæ, *Ib. n.* 13.

55. In sponsalibus apponi non potest pœna solvenda ab

eo qui fregerit fidem sponsaliorum, etiamsi cum juramento apposita sit sponsalibus; peccantque mortaliter qui apponunt pœnas in sponsalibus; nam faciunt contra libertatem matrimonii Qui tamen respiceret pœnam in sponsalibus appotâ, non teneretur ad restitutionem illius ante sententiam judicis, & invalida esset promissio illius qui diceret: *Promitto tibi sub tali pœnâ me non contracturum matrimonium cum Titio. ibid. punct. ult. num. 1. & seq.*

56. Interesse damni emergentis peti potest ab eo qui dissoluit sponsalia, ratione injustitiæ commissæ ab injustè violante fidem sponsaliorum. *ibid. n. 6.*

ADDITIO.

Quæres: An sponsalia Catholici cum hæretica subsequente copula transeant in matrimonium Navarr. negat. 1. Quia omnis promissio rei turpis est ipso jure nulla. 2. 2. *q. 4. & qualiter. ff. de verb sign* At &c. Quia *in c. non solum. 28. q. 1.* dicitur, sponsalia dissolvi per supervenientem hæresin, sed in matrimonio plus obstat impedimentum præsens, quam superveniens, E. sponsalia illa dissoluta, & nulla sunt. Busæus.

Quæres de peccatis, quæ sponsi inter se committere possunt, ante contractum matrimonium. Cajetan. *in summ.* hanc dat regulam, ut quoties in matrimonii usu peccatur mortaliter, multo magis peccetur à sponsis, quando minorem potestatem habent Quod ad oscula vero, & amplexus, quæ sunt inchoationes ad copulam carnalem, si à sponsis fiunt ex benevolentia, nullum peccatum committi, secus, si cum periculo probabili, vel copulæ, vel pollutionis, ea fiant, unde cum raro absit tale periculum, numquam deberent simul habitare, vel eo loco simul versari, ne sit occasio peccandi mortaliter. Ita Navarr. *cap. 16. nu. 12.* & Cajet. 3. 354. *art. 4.* Busæus.

Quæres: An in dissolutione sponsaliorum debeat intercedere judicis auctoritas sive sententia. Quidam Canonistæ, teste Nav. *l. 2. n. 28.* putarunt ordinariè esse necessariam auctoritatem judicis. D. Thom. dicit, in duobus casibus illa auctoritate opus non esse, 1. est cum emittitur professio in religione. 2. quando sponsalia cum alio contrahuntur per verba de præsenti. Resp. 1. Si sponsalia fecit occulta, & qui

qui ea contraxit, certus est causam esse sufficientem dissolutionis, non est necessaria judicis auctoritas. Ita Rich. Palud. Ant. Nav. si autem dubitet de sufficientia causæ, consulat Jurisperitum, & si adhuc dubius maneat, denique imploret judicis auctoritatem. Resp. 2. Si sponsalia sint publica, & causa sufficiens ad ea dissolvenda eaque publica, non requiritur judicis auctoritas, ut si fornicatio sponsæ sit manifesta. Ita Rich. Palud. Nav. & alii. Addit Palud. etiam judicis auctoritate opus esse, si causa sit occulta, sic, ut in judicio nequeat probari, quod verum est si omne adsit scandalum. Et idem dicendum, quando causa quidem in judicio probari potest, sed non sine periculo probabili alicujus magni damni, tunc enim opus est judicis sententia. Hæc Busæus.

Quæres: An sponsalia possint contrahi à parentibus pro filiis Resp. 1. Non posse ante septennium completum, *c. cum fraternitas, de despons. impub.* ac proinde talia sponsalia valida non sunt. Resp. 2. Nihilominus in foro exteriori hujusmodi sponsalia ante legitimam ætatem filiorum contracta, haberi pro ratis, quia judicatur confirmatum à filiis, quando pervenientes ad ætatem legitimam promissioni parentum non contradixerint. Dixi, *in foro exteriori*, quia in foro conscientiæ revera non sunt sponsalia, nisi in animo filii verè consentiant, qui etiam parentibus hoc jure consentire non tenentur, nisi forte aliquid interveniat, quod ipsos jure obligare possit. Ex decentia tamen ferè semper tenentur, ob præceptum de honorandis parentibus, ut benè docet Sot. Busæus.

Quæres: An parentes in virtute prioris contractus teneantur cogere filios ad consensum? Resp. neque teneri, neque posse, licet teneantur bono ac humano quodam modo efficere, ut filii consentiant. Resp. 3 Quando parentes contrahunt pro filiis præsentibus, & tacentibus, si modo sint in ætate legitima, vera & valida contrahi sponsalia. *c fin. de despons. impub. in 6* Ratio, quia jure naturali propriè ad parentes spectat cura filiorum, usque ad ætatem legitimam, & eorum consensu actum præsumitur, quidquid à parentibus factum est, ut docet Covar. *lib. 3. resol. c 14. n. 3* In quem sensum paterna oblatio filii in monasterio obligat ad ibi manendum usque ad annum ætatis decimumquartum. Busæus.

Quæres: An clandestina sponsalia sint valida & licita. Resp. 1. Esse grave peccatum sponsalia contrahere clandesti-

na. Ita Cajet. *v. sponsalia. c. cum inhibitio. de sponsal.* Ratio, quia ex talibus sponsalibus sæpè multa scandala & incommoda sequuntur. Resp. 2. Sponsalia publicè contrahenda secundum morem cujusque regionis. Resp. 3. Esse rata, & valida, etiam in locis, ubi promulgatum est Concil. Trident. Busæus.

Quæres: Utrum si parens prius dissentiat, posteà consentiat, sponsalia sint valida. Sot. *in 4. dist. 29. q. 2. art. 3.* putat, priori standum esse voluntati, quod verum est, nisi novus deinceps accesserit sponsorum consensus. Idem habet Sylv. & est communis Canonistarum. Probatur ex *l si bonos. §. hoc sermone. ff. de verb. signif.* Quod si pater, ubi audierit sponsalia esse contracta à filio, taceat: putant multi DD. cum Sylv. paterna taciturnitate adimpletam conditionem, quia qui tacet, consentire videtur. Ang. & Nav. *c. 22. ma 63.* melius negant, nam regula juris est, in 6. Is qui tacet, nec fatetur, nec negare videtur, & c. *cum in jure de offic. delegat.* factum non præsumi, nisi probentur. Hæc Busæus.

ADDITIO.

Stabularius.

Stabularius potest cogi per judicem, ad recipiendum judicem.

Tenetur pro damno dato in rebus à suo famulo, non autem pro vulnere.

Tenetur pro deposito perdito etiam culpa levissima, secundum quosdam, at secundum alios solum de levi. Idem sentiendum de nauclero & caupone. Depositum autem censetur: quod in ejus, vel domesticorum ad id deputatorum præsentia ponitur; Qui vero deposuit rem clausam, probabit, quid fecerit intus, nec stabitur ejus juramento. Quod si recepit hospitio sine mercede, solum tenetur de dolo, & lata culpa, & si dedit clavem cubiculi, non tenetur) vid. Loper. *p. 55. c. 97.* Nav. *c. 17. n. 17.* Mol *dist. 527.*

Stuprum. Stuprator.

1. Stuprum stricte acceptum est concubitus viri cum virgine femina, quo virginalis carnis integritas violatur, sive puella

puella consentiat, sive sit invita. Hoc peccatum habet malitiam specie distinctam à fornicatione necessariò explicandam in confessione (quamquam in hac propositione divisi sint Doctores;) propterea in confessione explicanda est circumstantia virginitatis feminæ. *tom. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrimonii, q. 4. punct. 17. n. 1. 2. & 3.*

2. Puella corrupta per actus interiores, ut per delectationes venereas, aut per voluntariam pollutionem potest velari & sacrari; secus dicendum si per copulam corrupta fuit, dummodo per vim oppressa non fuerit; nam tunc adhuc velari potest si copula occulta fuit. Quod puella occultè carnaliter cognita veletur, tenetur postquam fuit velata abstinere ab officiis virginum, si commodè potest absque scandalo & infamia. In aliquibus locis usu receptum est, ut dispensatio petatur, quæ consuetudo tenenda est ubi viget, *ibid. n. 4. & seq.*

3. Qui per vim, aut fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à puella extorsit absque promissione matrimonii, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare, ut æquè bene nubat, ac si virgo esset. *ibid. n. 7.*

4. Stuprator non tenetur ad restitutionem, quando femina per vim vel fraudem defiorata æquè bene nupsit, ac si non fuisset defiorata, eo quod stuprum fuerit occultum; secus dicendum quando violator cognovit feminam per vim vel fraudem, quæ alias fuerat quidem cognita ab alio, sed publicè habebatur virgo, & illa ratione istius infamiæ non potest ita commodè nubere. *ibid. n. 8. & 9.*

5. Stuprator non tenetur ad restitutionem faciendam puellæ vel parentibus, quando puella condonavit stupratori obligationem restituendi, quia puella potest cedere juri suo. *ibid n. 10.*

6. Qui vi ita sollicitavit puellam ad copulam, ut ob id fuerit ipsi causa infamiæ, tenetur vel ducere vel dotare, ita ut æquè bene nubat, ac si sollicitata non fuisset. *ibid. num. 11.*

7. Quando puella vi corrupta aut ejus parentes nolunt eam tradere stupratori, stuprator tenetur eam honestè dotare, liberum est enim puellæ accipere eum in conjugem, aut dotem. *ibid. nu. 12.*

8. Qui copulam extorsit precibus, muneribus & blanditiis, non tenetur ad restitutionem puellæ aut patri, modo nulla adfuerit vis aut coactio. *ibid. nu. 13.*

9. Filius non peccat, per se loquendo, non obediendo patri in iis quæ pertinent ad vitæ statum, ut in materia religionis, aut matrimonii; per accidens tamen posset etiam in his peccare filius non obediendo patri, v.g si contrahat cum aliqua indigna, &c. & valde consentaneum est honestati ut filii non ineant matrimontum absque patris consilio, nisi fortè habeant justam causam aliter contrahendi. *ibid.nu.*18. 24 & 25.

10 Valida sunt matrimonia quæ fiunt invitis & insciis parentibus; nam filii in hac materia sunt sui juris, Ecclesia tamen prohibuit ita celebrari. *ibid n.*23.

11. Prælatus potest impedire matrimonium contrahendum à filiofamilias cum aliqua indigna, quando ex ejus celebratione prævidet grave scandalum, ac rixas inter parentes. *ibid.num.*27.

ADDITIO.

Quæres: An si virgo libere consentiat, stuprum dicatur, Resp. duplicem esse sententiam. Prima communis, esse stuprum, quod optimè explicat Cajet. *q.*15. *art.*6. sequitur Armill Nav. Med. & Azor. *c.*11. *q.*5. Secunda sententia est multorum recentiorum, non esse scilicet speciale peccatum, nec stuprum appellandum, nisi per vim tollatur carnis integritas. Petr. Nav *l.*2. *cap.*3. *n.*433. Sot *dist.*18. *q.*2. *art.*4. Vasq. 1. 2. *disp.*112. *n.*2. Resp. E. si sermò sit in rigore metaphysico, & speculativo, secunda hæc sententia videtur probabilior. Ratio, quia nisi sit peculiaris injuria, non potest esse speciale peccatum Vinc. Filliucius.

Superstitio.

Vid. v. *Decalogus, Divinatio, Idololatria, Observatio vana.*

1. Superstitio est falsa religio, id est, cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito. Superstitio contingit vel ratione rei cultæ, quatenus creatura colitur cultu Dei, vel ratione modi indebiti colendi Deum, quatenus Deus colitur modo indebito, falso scilicet cultu, v.g Judæorum, vel superfluo, ut præter Ecclesiæ usum. unde cantans in divino officio voce aut organo turpia, & vana, si hæc admisceat tamquam divini officii partem,

tem, peccat cultu falso & superfluo. *tom.2. circa primum Decalogi praceptum, disp.3.q.5 punct.1.n.1. & seq.*

Suspensio.

Vide v. *Censura, Clericus.*

1. Suspensio propriè accepta est censura Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica impeditur, ne functiones exerceat sui beneficii, vel officii, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum vel ad tempus. Multiplex est suspensio. Alia est ab officio in totum, vel in partem: alia est pœnalis, alia medicinalis: alia est temporalis, alia perpetua: alia est à jure, alia ab homine. *tom.1. de Suspensione, disp.3. punct.1.n.1 & 2.*

2. Judex vel Episcopus qui tulit censuram suspensionis, vel interdicti, potest ex justa causa illam suspendere ad tempus, & concedere celebranti ut tunc temporis non incurrat irregularitatem, quia censura non ligat ultra intentionem judicis. *Ibid.n.4.*

3. Suspensio lata absolutè absque limitatione expressa vel tacita, suspendit absolutè ab omnibus, id est, ab officio & beneficio: lata verò cum expressione alicujus effectus particularis extenditur ad illum effectum, & ad ea quæ sunt illi adnexa & non alia. Quare suspensus ab ordine, non est eo ipso suspensus à jurisdictione, vel beneficio, quia ordo non est necessario adnexus jurisdictioni aut beneficio *Ibid.punct.2.num. 1.2. & 4.*

4. Suspensus ab ordine inferiori censetur suspensus à superiori, nisi suspensio expressis verbis restringatur ad inferiorem: & suspensus ab ordine absque alia moderatione, intelligitur suspensus à quolibet ordine, sicut suspensus absolutè ab officio nulla addita limitatione, intelligitur suspensus ab officio non tantum ordinis, sed etiam jurisdictionis: suspensus tamen simpliciter ab officio, non intelligitur suspensus à beneficio, seu fructibus beneficii. *Ibid.num.7 & seq.*

5. Collatio beneficii facta suspenso ab officio, est invalida. *Ibid.n.11.*

6 Suspensus à beneficio, intelligitur suspensus tantum à fructibus beneficii, seu à jure ad fructus: hinc fit ut suspensus à beneficio, teneatur adhuc persolvere onera beneficii. *Ibid. num.12 & 13.*

7. Fructus beneficii pro tempore quo aliquis permanet suspensus à beneficio, convertendi sunt in utilitatem Ecclesiæ, (detractis iis qui traduntur substituto ad inserviendum,) distributiones verò pro eo tempore, quo clericus eas non lucratur, tradendæ sunt aliis clericis, qui intersunt divinis officiis. *Ibid. num.* 14.

8. Suspensus ab officio non potest sacramenta administrare: sicut & suspensus ab officiis divinis non potest ea ex officio persolvere. *Ibid. num.* 15 & 16.

9. Injustè suspensus ab officio distributiones potest recipere, saltem si ante suspensionem consueverat frequentare chorum *Ib. n.* 17.

10. Suspensio absolutè prolata absque conditione, vel limitatione temporis, durat donec auferatur per absolutionem; lata verò cum temporis determinatione durat intra tempus determinatum, & eo tempore elapso cessat. *Ibid. punct.* 3. *num.* 1, & 2.

11. Qui contraxit suspensionem per annum, servare debet suspensionem tot diebus quot durat annus, nempe 365. diebus, incipiendo ab eo die in quo contracta est, usque ad eumdem diem sequentis anni, vel mensis, si lata sit per mensem *Ib. n* 3. & 4.

12. Suspensus ab officio ab aliquo Superiore est ubique suspensus, consequenter non potest alibi exercere officium, modo suspensio lata sit absque loci determinatione, & suspensus peccat mortaliter ex suo genere exercendo actum, à quo est suspensus, nisi aliunde excusetur. *Ib. punct.* 4. *n.* 1. & 7.

13. Cooperans & communicans cum suspenso tolerato, seu nondum denuntiato in iis actibus jurisdictionis & officii, à quibus est suspensus, non peccat mortaliter; propterea petens sacramentum à Sacerdote suspenso ab officio, sed nondum denuntiato non peccat. *Ib. num.* 3. & 4.

14. Suspensus ex delicto fit irregularis, violando suspensionem per exercitium solemne majoris ordinis, à quo est suspensus. Nec refert quod suspensio lata sit cum restrictione ad determinatum tempus: propterea suspensus ab ordine, efficitur irregularis benedicendo aquam, juxta solemnitatem Ecclesiæ, *Ibid. num.* 5 & 6.

15. Acta per suspensum qui non est nominatim denuntiatus, valida sunt. secus dicendum de actis nominatim denuntiati, nisi adsit titulus coloratus, & error communis vulgi. *Ib. Sa-*

n 7.

Suspensio contra clericos.

16. Suspenduntur hi: Clericus aut religiosus recipiens sacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio, aut faciens pactum cum Episcopo ordinante vel præsentante non petendi victu, alimenta aut provisionem: Recipiens ordines extra const. tuta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis (non comprehenditur tamen recipiens ordines non servatis interstitiis.) *Ibid. punct. 5. §. 1, n. 1, 2. & 3.*

17. Recipiens duos ordines sacros eodem die, aut minores ordines cum Subdiaconatu, vel duos ordines sacros duobus diebus continuis sine dispensatione: Recipiens sacros ordines cum litteris dimissoriis á capitulo receptis, vacante Episcopatu, nec occasione beneficii accepti recipiendive arctatus: Recipiens ordinem per saltum: Recipiens ordines ab Episcopo excommunicato, aut interdicto denuntiato, seu vitando, vel à simoniaco per sententiam declarato: Recipiens ordines ab Episcopo qui Episcopatui renuntiavit, hoc est, jurisdictioni & officio Episcopi: Recipiens ordinem scienter per simoniam, aut in excommunicatione (non tamen recipiens primam tonsuram vel Episcopatum in excommunicatione est suspensus, cum non sit ordo) Recipiens ordines furtivè, aut post matrimonium contractum etiam non consummatum, nisi cum bona fides excuset: Item celebrans Missam nec in ea communicans: Celebrantes vel celebrari facientes in locis interdictis à jure vel ab homine: Præsumens sine gravi causa Missam incompletam omittere: Clerici, etiam exempti, aut religiosi admittentes ad sacramenta, &c. publicè excommunicatos denuntiatos, vel interdictos: Admittentes manifestos usurarios ad communionem altaris, Ecclesiasticam sepulturam, &c. Sacerdos tam regularis quàm sæcularis conjungens in matrimonium, vel benedicens subditos alterius parœciæ sine licentia: Beneficiarius publicè & absque rationabili causa partita, vel virgata veste utens; hic enim suspensus est per sex menses à recipiendis fructibus beneficiorum. *Ibid. n. 4. & seq.* Item

18. Clericus præsumens commissas sibi Ecclesias alienis debitis gravare, aut litteras, vel sigilla alteri concedere quibus possit obligari, suspenditur ab administratione temporalium & spiritualium: præterea occupantes bona Cathedralis, Regu-

lares

laris, aut collegiatæ Ecclesiæ, spectantis ad Prælatum defunctum, vel ad Sedem, vel ad successorem, Episcopatu vacante; Compromissarius eligens indignum in Episcopum, superiorem ve dignitatem: Eligentes indignos ad Episcopatum, vel ad beneficia inferiora animarum curam habentia: Impugnantes alicujus electionem, vel postulationem, & postea in probatione deficientes, id est, objicientes id, quod postea probare non possunt. *Ibid. n.* 23. *& seq.*

19. Episcoporum electores infra octo dies postquam commodè potuerint præsentationem electo culpabiliter præsentare, negligentes, à beneficiis suspenduntur. Item præsumentes ad Ecclesiasticam præbendam aliquem eligere sæcularis potestatis abusu, seu interventu & auctoritate Principis sæcularis nullum jus habentis circa ejusmodi electionem. Similiter conferentes, vel recipientes illorum beneficia, qui pro suis negotiis Romanam Curiam adierunt, aut aliqua negotia in ea exercent: Conservatoris munus exercentes, qui se scienter de aliis intromittunt, quam de manifestis injuriis, aut de iis quæ judicialem indaginem non requirunt: Judex Ecclesiasticus non Episcopus faciens injuriam contra justitiam & conscientiam parti litiganti *Ib num.* 28. *& seq.*

20. Judex excommunicationis sententiam sine scriptis, aut sine causæ expressione ferens, vel requisitus scripturæ copiam intra mensem non tradens, ab ingressu Ecclesiæ suspenditur. Eadem censura ligatur ferens censuram excommunicationis sine monitione & testibus. *Ibid, num* 33 *&* 34.

21. Visitatores Episcopis inferiores pecuniam vel munera in visitatione recipientes suspenduntur. *Ibid n.* 38. Item

22. Præsumentes in populari concione in alterutram partem de conceptione B. Mariæ Virginis disputare, aut de hac ipsa quæstione, sub quovis prætextu vulgari lingua scribere, &c. aut in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, &c. asserere audentes Beatissimam Virginem cum originali conceptam fuisse, suspenduntur. Gregorius XV. per Bullam quæ incipit, *Sanctissimus D. N. post longam*, non solùm de præfata quæstione in actionibus publicis agere, verùm etiam privatim quidquam in contrarium asserere prohibuit. *Ibid num.* 36 *&* 37.

23. Jurantes sponte de tenendo schismate, suspensione quoque ligantur. *Ibid n.* 38 Sicuti &

24. Notorius ac publicus concubinarius; item publicus pec-

peccator, vel Sodomita jure antiquo totalem suspensionem incurrebant, non tamen est expressum in jure novo. *lb. n. 37.*

Suspensio contra Episcopos.

25. Suspenduntur Episcopi, Abbates, & Prælati religionum à Sede Apostolica promoti, sine litteris authenticis ejusdem Sedis suarum Ecclesiarum administrationem recipientes. *ibid. §. 2. num. 2.*

26. Episcopus aut alius Episcopo superior qui ab excommunicatis, suspensis, &c. consecrationem accipit, suspensus remanet. Item Episcopus *Extrav. 2. de elect.* Joannis XXII. quoad fructuum perceptionem primi vel secundi anni sui Episcopatus, non servans. *Ibid. num. 2 & 3.*

27. Conferens & ordines vel tonsuram, extraneo sine licentia sui Episcopi, suspensionem incurrit; & hoc valet etiam in minoribus respectu ordinati *Ibid. num. 4.* Præterea hi omnes suspensionem incurrunt: videlicet

28. Ordinans in aliena diœcesi absque expressa licentia ordinarii, vel de licentia, personas non subditas: Ordinans religiosum non professum, seu qui votum solum temporale fecit; Ordinans Monachum sine licentia Abbatis, aut bigamum, vel eum qui facit pœnitentiam publicam: Ordinans injustè invitum, vel Sacerdotem indignum: Conferens tonsuram illiterato, id est, nescienti legere & scribere, vel infanti qui nondum complevit septennium: Conferens duos ordines sacros eodem die, vel duobus diebus immediatis: Conferens Sacerdotium indigno, aut ab illo ordine suspenso: Conferens simoniacè ordines, vel cum pacto, ut ordinatus non petat alimenta: Confirmans & consecrans jam electum in Episcopum, postquam ad Sedem Apostolicam fuit appellatum: Episcopus qui debitam diligentiam non adhibet circa electum ad curam animarum: Episcopus aut alius beneficiorum collator beneficii resignationem contra præscriptum Bullæ Pii V. admittens: Episcopus accipiens aliquid in visitatione, in pecunia, &c. ultra id quod sibi debetur, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ donec duplum restituat, non obstante quavis remissione: Extenditur etiam ad alios visitatores Ecclesiarum, & restringitur ad visitantes ordinario jure: Extenditur iterum ad religiosos, præcisis ipsorum statutis, &c. Episcopus, aut etiam Cardinalis indicem casuum, grâtiarum & indulgentiarum cer-

to

to soluto pretio proponens : Episcopus, Commissarius, vel Delegatus, &c. qui per gratiam, timorem, aut sordes in detrimentum Ecclesiæ sibi commissa potestate utuntur: Episcopi abutentes officio Inquisitorum in causis fidei. *Ibid. num. 5. & seq.*

29. Episcopi aliique Prælati procurantes ut clerici capiantur à domitiis temporalibus, ut beneficia resignent, vel citati ad Apostolicam Sedem accedere nequeant, à fructibus suarum Ecclesiarum suspenduntur. (Extenditur ad Episcopos qui simul sunt domini temporales & Episcopi) Episcopus relaxans pœnam contentam *in cap. pessimam. Ibid. n. 24. & seq.* Item

30. Episcopus alienans bona Ecclesiarum, monasteriorum, &c. absque licentia Summi Pontificis, suspensionem incurrit. Idem dic de Abbatibus. Item Episcopus bona Ecclesiarum sibi commissarum sine Capituli consensu, & Sedis Apostolicæ facultate laicis subjiciens, ab officio simpliciter, & ab administratione rerum spiritualium, & temporalium Ecclesiæ gravatæ suspenditur. *ibid. n. 27. & 28.*

31. Episcopus ingrediens monasteria monialium sine necessitate, prima vice suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, secunda à divinis, tertia excommunicatur. *Ibid. nu. 29.*

32. Episcopus Apostolorum limina non visitans singulis tribus annis, seclusо legitimo impedimento suspensionem incurrit: datur tamen longius tempus Gallis, Germanis & remotioribus. *Ibid. n. 30, & 31.*

33. Episcopus permittens usurarios publicos alienigenas conducere domos in suis terris ad exercendum fœnus, suspenditur. Item & Episcopus qui post Concilium Provinciale infra sex menses clerum non convocat, aut qui contra simoniacos procedere negligit. Eadem de causa alii Episcopis inferiores id permittentes, excommunicantur; communitates autem interdicuntur. *Ibid. n. 32. & seq.*

Suspensiones contra Conventus & Capitula.

34. Suspenduntur Capitula Ecclesiæ, vel monasterii, quæ Episcopum aut Prælatum religiosum à Sede Apostolica provisum, sine litteris ejusdem Sedis recipiunt, aut illi obediunt: Capitula & Collegia, quæ Sede Cathedrali, Collegiata vel regulari vacante occupant bona ad Prælatum defunctum, vel

ad

ad ipsam Ecclesiam pertinentia: Capitula, & Conventus, qui aliquid directè vel indirectè accipiunt ob receptionem alicujus in religionem aut post illum. Moniales tamen conventionem de dote facientes nulli pœnæ subjacent. *Ibid.* §. 3 *n.* 1. & *seq.*

35. Suspenduntur Capitula, singulæve personæ beneficiorum resignationem extra casus & formam Bullæ Pii V. *Quanta Ecclesiæ*, admittentes. *Ibid. n.* 15.

Suspensiones contra Religiosos.

36. Suspenduntur Conventus & Capitula aliquid in receptione alicujus in religionem petentia: religiosi tamen non incurrunt censuras in clericos simpliciter latas, quia religiosi simpliciter non dicuntur clerici. *Ibid* § 4. *num.* 1.

37. Prælatus Prædicatorum Minorum mendicantium admittens aliquem ad probationem nondum expleto professionis anno, suspensionem incurrit *Ibid. n* 2.

38. Item suspenduntur religiosi qui ad sacros ordines nondum professione facta promoventur. *Ib. n.* 3.

39 Suspenditur quoque Apostata sacrum ordinem in apostasia recipiens. Idem militat in eo, qui ad aliam religionem invalidè tranfit, & in ea sacros ordines recipit. *Ibid. n.* 4.

40. Religiosi quicumque monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis præsidentes, &c. & jura, reditus, vel possessiones eorumdem monasteriorum, &c. alicui quovis modo concedentes, &c pecunia etiam inde recepta, suspenduntur, & invalida est concessio. *Ibid. n* 5.

41. Gravantes, seu defraudantes Ecclesias circa decimas eis debitas, easque sine causa, vel privilegio sibi usurpare præsumentes, suspensione ligantur, donec destiterint & satisfecerint *ibid num* 6.

42. Suspenduntur fratres Ordinis Prædicatorum non reddentes ordini libros, & alia quæ habent, cum ad Episcopatum aliasve Prælaturas promoventur. Prælati quoque religiosorum, ad quos occasione prohibitorum excessuum à suis subditis commissorum aliquid quoquo modo pervenerit: hi autem excessus sunt: retrahere testantem à legatis faciendis Ecclesiis matricibus: retrahere testatorem à debitis restituendis? & procurare vel legata, debita, vel malè ablata, incerta dentur sibi aut aliis singularibus personis ordinis sui in præjudicium aliorum quibus debentur, *Ibid, n.* 7. & *seq.* 43. Præ

43. Prælati religiosorum non satisfacientes Prælato de damno à suis subditis in concione indiscreta illato, suspensi remanent. Item Confessarii qui requisiti pœnitentibus sibi confitentibus conscientiam de solvendis decimis scienter facere prætermittunt, suspensionem contrahunt. Similiter & Abbates aut alii quicumque licet exempti litteras dimissorias aliis quam suis regularibus subditis concedentes, suspensioni subjacent. Item concedentes dimissorias vel ordines novitio nondum expleto probationis anno. *Ibid. n.* 19. *& seq.*

44. Suspenditur monachus niger S. Benedicti, habitu & vestitu, juxta præscriptam formam, non utens. Iidem monachi aucupationi aut venationi clamorosæ ex proposito interessentes, suspensi remanent. *Ibid. n.* 14. *&* 15.

45. Fratres Prædicatores Inquisitoris officium à Minoribus Fratribus exercitum perturbare præsumentes, suspensionem incurrunt, & è contra. Item & religiosi conjungentes in matrimonium, vel benedicentes sponsos alienæ parœciæ absque Parochi facultate; aut præsumentes introducere mulieres in monasterio. *Ib. n.* 16. *& seq.*

Absolutio à suspensione.

46. Suspensio lata ad tempus, eo tempore lapso, cessat absque alia absolutione. sicut etiam suspensio lata cum particula, *donec satisfeceris*, exhibita satisfactione. *Ib. punct. ult. n.* 1.

47. Non sunt determinata aliqua verba ad absolvendum à suspensione: nec est necessarium in absolutione explicare causam, ob quam contracta est suspensio, petendum est tamen juramentum in delictis gravibus obediendi Ecclesiæ. *Ibid. num.* 2, *& seq.*

48. Episcopus potest absolvere suos subditos à suspensione Papæ reservata vel perpetua, modo proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum. Advertè tamen suspensionem latam in puram pœnam pro delicto præterito, auferri non posse ab ordinario, aut ab alio inferiore; auferetur enim per dispensationem, quæ non datur ab inferiore eo qui eam tulit. *Ibid. num* 5 *&* 6.

ADDITIO.

De suspensione multa Navar. *à num.* 151 *cap.* 27. Felician. Epi-

Episcop. Scal. *de censur.* Con. *in clem si furiosus.* Sot. *d.* 22. *q.* 3. Val *t.* 4. *d.* 7. *c.* 18. *p.* 1. Say. *lib.* 4. Tol. *lib.* 1. *cap.* 42. Summistæ *v. suspensio.*

Suspensionis sententia, ejusque effectus per sequentem appellationem minimè suspenditur, quia censura Ecclesiastica executionem secum trahit, ut dicitur *in cap. pastoralis.* § *verum. de appel. & c. is qui. de sent. excom. in* 6. Vgol. *de cens. Eccl. tab.* 4. *c.* 5. §. 1.

Suspenso capitulo, vel conventu, non censentur singuli suspensi, nisi sint in culpa.

Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere à suspensione non reservata, & religiosi possunt absolvere à suspensione in foro conscientiæ, quantum iis per privilegia conceditur, & regulariter potest Episcopus ab omni juris suspensione lata ob contumaciam, & à nonnullis aliis, ut explicat, & limitat Syl. *v. suspensio. n.* 8. Armill. *n.* 22. & etiam statuti synodalis à Papa confirmati, nisi Papæ specialiter reserventur, ut notat Nav. *c.* 27 *n.* 162.

Qui possit absolvere à suspensione, docet Syl. *n.* 8. Say. *c.* 17.

De suspensis ipso jure, Sum. *n.* 16. Syl. *n.* 6. Nav. *n* 155. Say. *c.* 12. 13. 14. 15. *l. c.* vid. etiam Sot. *d.* 25 *q.* 1. *art.* 3.

Quæres: Quibus casibus sit suspensus judex Ecclesiasticus. Resp. his ferè casibus suspensum esse, vel incurrere suspensionem, primò, Si ferat sententiam excommunicationis, non præmissa trina admonitione, coram idoneis testibus. 2. Si sententiam excommunicationis, interdictivè ferat, non expressa causa, ob quam fertur. Suspensus autem est ab Ecclesiæ ingressu. 3. Si contra conscientiam, & justitiam in judicio aliquid facit per gratiam, vel sortes in gravamen partis alterius. Et est per annum suspensus. Busæus.

Quæres: Quibus casibus sint Episcopi suspensi. Respond. Variis casibus in jure suspensos esse, 1. Ratione collationis ordinum suspensus est Episcopus, ordinans clericum alienum sine consensu, vel litteris dimissoriis proprii Episcopi. 2. ordinans in aliena diœcesi, sine Episcopi licentia, vel cum licentia ordinans illi Episcopo non subiectum. 3. ordinans indignos, 4 conferens primam tonsuram infanti illiterato, aut conjugato. 5. conferens eodem die, aut continuis duobus diebus ordines duos majores. 6. ordinans invitum, nisi talis cogatur ob beneficium, quod habet, suscipere ordines. Resp. 2. Ratione collationis beneficiorum suspensum esse Episcopum.

1 Si confirmet indignum in prælatum, indignus autem est ætate, scientia, probitate, 2. si usurpet bona prælatorum mortuorum, quo modo etiam capitula, & collegia etiam Canonicorum suspensa sunt. 3 Si conferat beneficia curata indignis id est, qui per se residere, & curam agere non possunt 4. Si submittat bona Ecclesiastica personis laicis absque capituli consensu, & Apostolicæ sedis licentia, 5. Si sciens clericos suos simoniam committere, eos non castiget debita pœna 6. Si cognoscat carnaliter mulierem, quam ante Episcopatum concubinam habuit. Busæus.

Quæres: An Collegia, Capitula, & conventus aliquando suspendantur Resp. Suspensos esse clericos, 1. capitulariter Episcopum eligentes indignum, quoad ætatem, scientiam, & probitatem. 2 Objicientes contra electum Episcopum, & in probatione deficientes. 3. omnes, qui defuncto Prælato, Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ, occupant, & inter se dividunt, vel surripiunt bona, à Prælato relicta, vel vacationis specie obvenientia, suspenduntur autem ab officio, & omnibus beneficiis usque ad plenam restitutionem eorum quæ dictis bonis acceperunt, 4. concedentes litteras dimissorias, contra formam juris Conc. Trid. Hæc Busæus.

ADDITIO.

Sustentatio.

Per sustentationem, ejusque nomine intelligitur victus, vestitus, & alia vitæ humanæ necessaria, secundùm cujusque status, ut benè dicit Cajet. *art* 30 *q* 100. Notandum tamen, clericos non debere principaliter respicere ad illam sustentationem, ut docet Ang. *in lib de pastor. c.* 2. unde à peccato non excusantur, qui ideò tantùm ordinari cupiunt, ut habeant ad victum necessaria. Imo S. Tho putat esse simoniam, quando quis accedit tantùm templum, quia distributiones & præsentiæ dantur, sed hoc explicat Soto *lib.* 9. *q.* 6. *art* 2. tantùm esse simoniam, quando intentio clerici est, quasi emere distributionem, vel victum temporalem, Ecclesiastico officio, si autem distributiones sint tantùm causa motiva, non esse simoniam. Not 3. posse hanc sustentationem, vel ejus partes deduci in pactum à quolibet, sive dives sit, sive pauper, qui spiritualia ministrat. Ratio est, quia ex justitia, secundum Apostolum, deben-

debentur temporalia ministranti spiritualia. Quamvis ob scandalum, & suspicionem simoniæ, talia pacta prohibentur in Jure, ut patet ex *can. quod pio 1 q 2 & can. pactiones titul de pact*, licet tamen post spiritualia administrata petere debiram sustentationem, ut si fortè neget, cogat superiorem ad illam dandam, ut S Tho & Cajet. docent. Imo addit Cajet. quod qui evidenter patiuntur necessitatem, non obstante jure Canon. possunt facere pactum, antequam spiritualia administrent, quia in talibus cessat ratio scandali. Hæc Busæus.

Quæres: In quo consistat sufficiens illa & honesta sustentatio clerici. Resp. Illam pendere ex judicio boni & prudentis viri, eo quod hæc res dijudicari non possit, nisi ex multis circumstantiis. Est enim regula juris, Determinationem rerum, quæ indeterminatè statuuntur à jure, pendere à judicio viri boni. Resp 2. sustentationem ipsam per se, non requirere solùm, ut clericus habeat solum necessaria ad victum & vestitum, & habitationem, sed etiam pro familia, quam alere debet, deinde, ut aliquando hospites excipere, amicos moderato convivio tractare, munuscula usitata donare, & pauperes tam domesticos quam externos eleemosyna juvare possit, sic ut sit extra omnem avaritiæ suspicionem, ut docet Nav. *c man* 8. & gl. *in c. addo tit. de rescript.* Resp 3 Eamdem sustentationem non consistere in indivisibili, sed habere quamdam latitudinem, ut habent pretia rerum, in emptione & venditione, ut videlicet sumptus sint infimi, medii, summi, v. g. si sumptus annuus clerici sit 200 flo medius sit 250. summus verò 300. ac proinde sustentatio sufficiens ad summum est 300. florenorum. Resp. 4 Præter hæc, ut verè honesta sit sustentatio, considerandam esse qualitatem personarum: ut si clericus sit nobilis, doctus, prælatus, de Ecclesia benè meritus. 2. conditionem temporis, num fructus agrorum vel vinearum eo anno bene provenerint, num sit bellum, pestis, caritas annonæ. 3 qualitatem redituum, qui enim pinguius habet beneficium, honestius quoque debet se ex eo quam alii sustentare. Busæus

Quæres: Quantum in particulari quilibet clericus, ratione sui status requirat ad sui sustentationem. Respond. Nav. *in lib. de orat. c. 22, n. 71*, simplici clerico sufficientem illam judicare sustentationem, unde se, unum famulum, & coquum alere possit, & honestam habitationem conducere. Simplici verò nobili, vel doctori simplici, illam esse sufficientem, unde se, & duos famulos, equum & coquum alere possit, & conducere

habitationem paulò honestiorem. Doctori verò excellenti, & filio Baronis, sufficientem esse sustentationem, si se, & quatuor famulos, unum equum, & coquum alere possit, & conducere domum honestiorem. De majoribus Prælatis; Decanis, Præpositis, filiis Principum, relinquitur aliis judicandum. Hæc Busæus.

Susurratio.

Vide v. *Detractio, Contumelia.*

1. Susurratio est peccatum linguæ, quo quis manifestat alterius defectum ad seminandas discordias inter amicos. Est peccatum mortale ex suo genere contra justitiam, continens aliquando plures malitias necessario explicandas in confessione, ut quando susurro malum, refert ad seminandas discordias inter duos conjuges, ut inde facilius occasionem arripiat adulterandi cum altero. Aliquando etiam susurratio excusari potest à peccato mortali ratione indeliberationis & inadvertentiæ; vel quando quis manifestat alterius defectum ad dissolvendam perniciosam & periculosam amicitiam, v.g. concubinariorum, nullo intercedente mendacio. Ex susurratione consurgit obligatio restituendi, ut per se patet. *tom. 2 de restitutione particulari disp. 2 quæst. 6 punct. 1 num. 1. & seq. item punct. 2. num. 1. & seq.*

T.

Tentatio Dei.

1. TEntatio Dei est actus contra religionem, quo quis absque justa causa aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum de divina perfectione, ex. g. de potentia, de sapientia Dei, &c. ut si imperitus velit absque justa causa concionari nulla prævia meditatione, seu præparatione, sperans sibi à Deo suggerendos conceptus, & hæc tentatio Dei manifestanda est in confessione, exprimendumque an fuerit tacita vel expressa. *tom. 2 circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quæst. 9. punct. unic. n. 1 & seq.*

2 Committitur autem peccatum tentationis Dei, quando experimentum conjunctum est cum aperto gravis damni pe-

ri-

piculo, ut quando quis gravi laborans infirmitate respuit absque justa causa medicinas & remedia, sperans à Deo sanitatem; quando periculum est scandali, & quando fit intentione videndi opus aliquod supernaturale, ut quando petitur miraculum ex curiositate. *Ibid. num. 5. & seq.*

Testamentum & legatum.

Vide v. *Substitutio, Heres.*

1. Testamentum est nostræ voluntatis justa sententia de eo quod quis vult fieri post mortem, cum directa institutione heredis. Differt testamentum à codicillo, quod in testamento instituitur heres; in codicillo verò neque instituitur, neque admittur, nisi alicui concessum sit privilegium instituendi heredem per codicillum. Præterea in testamento requirantur septem testes, rogati, masculi & puberes: in codicillo verò sufficiunt quinque, sive rogati, sive non; sive sint masculi, sive feminæ. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3 quæst. 17 punct. 1. n. 1 & 2.*

2. Duplex est testamentum: unum in scriptis seu clausum, eo quod testator latere velit, quid in eo continetur: alterum dicitur *nuncupativum*, eo quod testator sine scriptura coram testibus declaret, quid fieri velit post mortem, & ob id appellatur testamentum apertum. *Ibid. num. 9*

3. Ad testamentum in scriptis requiritur, ut post confectam & clausam scripturam adhibeantur septem testes masculi liberi, vel qui liberi reputentur, puberes & rogati, id est, vocati ad hoc, coram quibus testator uno eodemque tempore indicet illud esse suum testamentum, & illud propria manu subscribat, si novit & potest subscribere: si verò nescit, vel non potest subscribere, sufficit si per alium scribat. Præterea poni debet dies, mensis, & annus *Ibid. n. 10. & 11.*

4. Ad testamentum verò nuncupativum requiruntur septem testes masculi, liberi, vel qui liberi reputentur, puberes, qui videlicet compleverint decimum quartum annum, rogati, id est, vocati, seu invitati: & testes debent simul audire, & intelligere vocem & voluntatem testatoris, sive scriptam sive viva voce expressam. *Ib. n. 12.*

5. Quilibet, nisi prohibeatur, testari potest, modo sufficientem rationis usum habeat, & liberam bonorum administrationem. *Nisi prohibeatur*, quia carens usu rationis, furiosus

qui lucida non habet intervalla; surdus simul & mutus à nativitate prohibentur testari ad causas profanas. Item prohibetur qui non potest articulatè loqui, ita ut nequeat heredem exprimere; & impubes qui nondum explevit decimum quartum annum si sit masculus, si verò sit femina, duodecimum. Item prohibetur prodigus, cui prohibita est bonorum administratio; & filius familias existens sub patris potestate: præterea illi quibus ob delicta testari interdictum est à jure; quales sunt usurarii notorii, percussores Cardinalium, & hæretici damnatus ob libellum famosum; condemnati ad mortem, (quamquam alicubi aliter receptum videtur,) & religiosi qui votum paupertatis emiserunt in approbata religione. *Ibid. punct. 2. num. 1. & seqq.*

6. Beneficiarius & clericus possunt de bonis patrimonialibus, vel quasi, licite testari, mortuo patre; sicut etiam possunt de bonis castrensibus vel quasi, vivente patre; sunt enim domini istorum bonorum. Imò beneficiarius, de bonis necessariis ad congruam sui sustentationem, quæ parce vivendo subtraxit suæ congruæ sustentationi potest testari, etiam ad causas profanas; cùm possit de illis bonis disponere prout vult. *Ibid. num. 5.*

7. Omnes non solùm privati, verùm etiam communitates possunt instituì heredes & legatariæ, modò non sint incapaces hereditatis, (ut sunt fratres Minores de Observantia & Capucini S. Francisci) & à jure non impediantur, sicut impediuntur civitates hostium; & ii qui sunt inhabiles activè propter delictum, id est, qui non possunt testari ob aliquod crimen; quales sunt, qui persequuntur, & percutiunt vel capiunt Cardinales. Adde filium spurium non legitimatum non posse instituì heredem á patre, nec illi posse aliquid relinqui præter alimenta: neque pater potest aliquem instituere in heredem, rogando illum ut hereditatem restituat filio spurio; hæc enim conditio apposita, est turpis; & consequenter heredem tali conditione institutum non obligat. Sicut autem spurii non possunt succedere parentibus, ita parentes, aliique ascendentes nequeunt succedere filiis spuriis; est enim par ratio. At fratres spurii aut naturales uterini ibi invicem succedunt; secus dicendum, si non sint uterini, quamvis legitimati sint, & geniti ab eodem patre. *Ibid. punct. 3. num. 1. 5. 12. 15. 17. & 18.*

8. Filius potestne a patre privari hereditate? Non potest, nisi justa concurrente causa, scilicet ingratitudine, ut si patrem gra-

vi injuria affecerit, aut se maleficiis immiscuerit, &c. *Ibid. n.* 19.

9. Filia non potest exheredari, eo quod matrimonium contraxerit invito patre, vel cum indigno; cum hoc videatur repugnare libertati matrimonii; secus si turpem vitam agat. *Ib. n.* 20.

10. Quæres, quinam succedant ab intestato? Succedunt filii, parentes, fratres, & sorores, ita ut deficientibus descendentibus succedant parentes; & deficientibus ascendentibus & descendentibus, fratribus, & eorum filiis, succedunt propinquiores per capita usque ad decimum gradum inclusivè. *Ibid. n.* 23.

11. Occidens aliquem ut ei succedat, potest[illegible]ne succedere? Potest, donec per judicem condemnetur: hoc tamen non videtur procedere in eo qui occidit uxorem, aut eam sua culpa permittit perire. Limita tamen hanc doctrinam in viro occidente uxorem in flagranti delicto adulterii deprehensam, quam impune per leges occidit. *Ibid. n.* 24.

Substitutio.

1. Substitutio est vocatio unius aut plurium ad hereditatem in locum alterius vel aliorum. Sex modis potest quis alteri substitui: substitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommissaria, reciproca, & compendiosa seu breviloqua. *tom. 2. de Contractibus disp. 3. quæst. 17. punct. 4. n.* 1. & 2.

2. Substitutio vulgaris est substitutio directa & simplex, qua quis absque peculiari privilegio aliquem substituit. Hæc substitutio fit sub conditione, ut si ille qui fuit institutus heres, vel qui succedere debet ab intestato, nolit, aut non possit esse heres, succedat substitutus. *Ibid. nu.* 3.

2. Substitutio pupillaris est illa, qua quis proli impuberi in sua potestate constitutæ substituit aliquem; ut si pater dicat, *si filius meus infra pupillarem ætatem, id est ante decimum quartum annum decedat substituo Titium*; quo casu decedente filio infra ætatem pupillarem, ei succedit Titius. *Ibid. num.* 4.

4. Substitutio exemplaris ea est, qua quis filio amenti, vel prodigo, vel alia ratione prohibito testari, substituitur. *Ib. n.* 5.

5. Substitutio fideicommissaria, ea est, per quam heres ab intestato, vel testamento constitutus gravatur restituere hereditatem, vel partem ejus aliquotam, ut tertiam vel dimidiam partem, alteri post mortem. Quod si heres gravatus profes-

fessionem faciat in religione alia quam Minorum, non idcirco hereditas devolvitur ad fideicommissarium, sed expectanda est mors naturalis heredis licet religiosi, *Ib. n.* 6 & 9.

6. Substitutio reciproca seu breviloqua dicitur ea, qua heredes substituti sibi invicem substituuntur: ut si testator dicat, *instituo tales heredes, quos invicem substituo. Ib. n.* 18.

7. Substitutio compendiosa illa est, quæ complectitur plures substitutiones diversas quoad tempora, ut si dicatur, *instituo Caium filium meum heredem, & cùm migraverit è vita, substituo ei Titium. Ibid. num.* 19.

8. Juramentum additum contractui invalido, firmat contractum, eique robur præstat. Item testamentum factum ad pias causas, sine solemnitate requisita à jure positivo, validum est. Illud autem dicitur testamentum ad pias causas, seu legatum pium, quod relinquitur pro honore Dei vel Sanctorum, vel pro animæ salute. Et ut testatori magis prosit dispositio legatorum piorum, curandum est, ut testamentum conficiatur, dum testator existit in gratia; aut saltem ut illud ratificet postquam consecutus fuerit gratiam sanctificantem. *Ibid. punct.* 5, *n.* 6, & 7. *item Ibid. punct.* 8. § 2. *nu.* 1. & 3.

9. Testamentum & legatum semper potest revocari à testatore, (excipe religiosum professum) usque ad mortem, nisi testator juraverit se non revocaturum, non videtur amplius posse testamentum licitè revocare; quamquam si revocet, validè revocet: quia aliud est illicitè revocare, aliud invalidè, cùm multa illicitè fiant, quæ tamen facta tenent. *Ibid. punct.* 6. *num.* 1. & 5. Vide v. *Heres.*

ADDITIO.

De testamentis multa Covar. *t.* 1. Mol *à dist.* 124.

Commodè fit testamentum, scribendo quodvis, & clausum dando judici coram septem testibus signandum, testando illam esse suam voluntatem. Vid. Covar. *l. c. n.* 1. *l hac consultissim. & l. jubemus C. testam* Fum *n.* 5.

Clericus potest testari, secundum quosdam, ut miles in bello, sc. cum duobus testibus, rogatis, etiam feminis, quidam tamen negant. De clerici testamento vide Covar. *l. cum in officiis. de testam. & c. quia nos n.* 6. *vid. c. relatum. de testam.*

Qui juravit non revocare testamentum, si revocet, esse perjurum, quidam ajunt, alii negant: illud certum, valere revocationem.

Si

Si testamentum juramum nihil iniquum contineat, irrevocabile esse, docet Spec. *de instr. edit.* Host. *de sepult.* Bald. *l.1. de sacrosanct. Eccl* Bart. *in l. si quis. ff. de legat* at Covar. *2. p. rub. de test. num.* 15. cum Joan. Andr. Fel. Archid. Anch. dicit, valere revocationem, sed esse perjurium Salon. *l. c. pag.* 152. dicit iniquum testamentum sine perjurio revocari posse; denique dicit, de justo, sed imperfecto, dum justa causa revocandi intercedit, nam si nulla sit causa, vel si sit justum perfectumque, valide revocatur, sed non sine perjurio.

De executoribus multa Syl *testam. 2 num. 2.*

Femina potest esse executrix Cov. *c. cum tua. de testam.* Sylv. *num. 1 l. c.*

Duorum executorum altero mortuo, vel nolente, vel longe absente alter exequetur. Sylv. *l. c. num. 5.* vid *religiosus. §. sane. de testam. in 6.*

Quæres: An consuetudine introduci possit, ut clerici testentur ad profanos usus. Plurimi negant, posse introduci. Covar. tamen, & Julius, Canus, putant posse, & ratio est, quia consuetudo potest contra omne jus humanum. 2. quia clerici sunt vere domini suorum reditum, sicut laici, e. etiam de iis testari possunt in profanos usus Hæc Busæus.

Quæres: An novitius religionis possit testari de suis bonis. Resp. Posse, etiam sine facultate sui Superioris, ut habetur *in c. 4. de regul. lib. 6* & ratio est, quia sunt sui juris, & possunt libere exire. Resp. 2. Si novitius moriatur intestatus, bona ejus cedere legitimis heredibus, ut ex Panor. docet Nav. *in c. non dicatis. n.* 85. & ratio est, quia cum non sit vere adhuc religiosus, nullum jus in ejus bona monasterio comparavit, nisi forte ultima voluntate eis aliqua relinquat. Resp. 3. Professione facta, omnia bona novitii, si de iis non sit testatus, pertinere ad monasterium, ut habetur *in Auth. num autem. C. de Episc. & cler. & in Auth si qua mulier. de sacros. Eccles. & in cap. si qua mulier. 19. quæst. 3.* Hæc Busæus.

ADDITIO.

Testis.

Vide v. *Accusator.*

Testi uni, in re magni momenti, si est fide dignus, potest

quidem credere, sed non teneris. Aliquando tamen unus testis probat, ut cum nulli fit præjudicium, ut quod quis sit baptizatus, quod Ecclesia consecrata, vel cum impediendum peccatum, ut matrimonii illiciti, vel de consensu partium, vel cum quis dicit, se confessum, vel de ejus licentia Confessor pœnitentem esse emendatum, &c. De testibus multa Bannes *ad 2. 2. qu. 7. art. 1. 2. 3.* Salon. *ibid.* Sot. *l. 5. qu. 7.* Val. *t. 3. d. 5. q. 14.* D. Thom. *2. 2. quæst. 70.*

Quædam Nav. *c. 2. nu. 40.* P N. *l. 2. c. 3. nu. 259.* Fol. *l. 5. cap. 59.* Vid. Salon. *l. 1. contr. 1.* Syl. *testis n. 5.* Singulares testes in judicio non faciunt fidem. Sot. *l. c. art. 2.* Syl. *l. c. num. 3. Aliquando.*) vid. Bann. *l. c. art. 2. Velcum*) Testis unus integer, vel fama sufficit ad impediendum nondum contractum matrimonium. Covar. *in 4. decret. p. 2. c. 6. nu. 20.* & qui novit occultum contrahendi matrimonii impedimentum, licet sit ex occulto scelere contrahere cupientis, & probari nequeat, tenetur id judici detegere. Covar. *Ibid.*

Cum jura partium obscura sunt, favendum est reo. Ban *l. col. 9.* Salon. *l. 1. art. 2. concl. 3.* Sot. *art. 2. l. c. col. pen.*

ADDITIO.

Thesaurus.

Thesaurus est pecunia deposita à tempore immemoriali, estque reperientis. Quod si in loco alieno reperit casu, dimidium dabit domino loci: quod si sint duo domini, ut cum alter est proprietarius, alter utilis, inter illos dividet illud dimidium: & si ager est dotalis, uxori dabitur, non viro; si autem de industria reperit, siquidem domino consentiente, totum habebit, quod si illo ignorante, aut contradicente, totum ei dabit: quod si duorum alteri reperit, dabit alteri dimidium, seu potius dimidium dimidii, nam ut repertor habet dimidium, & ut dominus dominii alterius dimidium.

De thesauris nonnulla Lopez *q. 2. c. 2.* Salon. *q. 66. art. 5.* Abul. *in c. 6. Matth. q. 42.* Nav. *c. 17. à n. 176.* Covar. *regula peccatum 3. p. §. 2.* Mol. *d. 56. & alibi.* Sot. *l. 5. quæst. art. 3.* D. Thom. *2. 2. quæst. 66. art. 5.* Cajet. Jo. B. Corret. *quæst. 130.* Syl. *inventum n. 8. Thesaurus.*) Covar. *l. c.* Mol. *d. 53. Reperientis.*) Si reperiatur sine arte illicita in loco, qui nullius sit, Salon. Covar. *l. c.* quem lege.

Quod

Quod si) Nav. *l. c. n.* 172. Covar. *l. c.* si sine arte magica inventus sit, nam ita inventus, est fisci, post sententiam, Arrag. *q.* 66. *art.* 5 Nav. 171. vid. Mol. *l. c. coronam. p.* 2 *c.* 1. *in fin.* Lopez *de contract. l.* 1. *c.* 50. *Et si ager)* Vio Coron. *l. c. n.* 21.

Licite emis domum, ubi scis esse thesaurum, nec ideò debes augere ejus pretium. Nav *l. c. n.* 175. D. Thom. *l. c.* Sal. *l. c. concl.* 5. Mol *d.* 56 Sot. Med *l. c.* Quidam contrà sentiunt, v. Tolet, *l.* 5. *c.* 18. P N *l.* 3 *c.* 2. *nu* 61. priorem sententiam dubiam, quam sequitur Arragon. *q.* 66. *art.* 1.

ADDITIO.

Torneamentum.

Mortuus in torneamento, vel hastiludio, quo venerat causa pugnandi, etiamsi pœniteat, privatur Ecclesiastica sepultura, si tamen erant illicita, nam cum sic fiunt, ut non sit probabile mortis periculum, licet. Vid. Mol *d.* 111. *de torn. q.* 1. Syl. *vers. torneamentum. Liceat.)* Mol. *l. c.* Nav. *cap.* 13. *n* 9. Victor, *relect. de homic. n.* 32.

ADDITIO.

Tortura.

Torqueri non potest minor quatuordecim annis, nec gravida, nec qui est in dignitate, aut nobilis, aut Doctor.

Ad torquendum reum per viam accusationis requiritur semiplena probatio, vel clara indicia legitime probata, per viam inquisitionis, clamorosa insinuatio per testes legitime probata. Salon. *quæst.* 69. *art.* 2. *controv.* 9. *concl.* 1.

ADDITIO.

Transactio.

Non potest prælatus transigere in causis Ecclesiæ, sine Capituli consensu. Sylv. *eod. vers. col* 1.

AD-

ADDITIO.

Tyrannus.

Ad Tyrannum gubernantem licet recurrere pro justitia, si aliunde non possit. Nav. *c.* 14. *n.* 41. Vid. Carb. *de leg. l.* 7. *c.* 5. *in fin.*

Tyrannice gubernans juste acquisitum dominium, non potest spoliari sine publico judicio, lata vero sententia, potest quisque fieri executor. potest autem deponi à populo, etiamsi qui juravit ei obedientiam perpetuam, si monitus non vult corrigi. At occupantem tyrannice potestatem, quisque de populo potest illum occidere, si non est aliud remedium, est enim publicus hostis. *Tyrannice)* Val. *cap.* 2. 2. *d.* 5. *q.* 8. *p.* 3. D. Thom. *de reg. Princ. l* 1. *cap.* 6. Sot. *l.* 5. *q.* 1. *art.* 3. Salon 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. Bann. *ib.* Sylv. *verf* Tyrannus, Tol. *l* 5. *c.* 6. *n.* 17. Arrag. *q.* 48. *art.* 3. *At occupantem)* D. Thom. *l. c. at in* 2. *d.* 44. *q. ar.* 3. Tol. Sylv. Bann. Salon Arag Val. *l. c* Alph. Cast. *verf. tyr.* probat multis, nulli ex populo licere, etiam tyrannum immanissimum, occidere, cujus argumenta solvit P. N. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 308.

V.

ADDITIO.

Vana gloria.

VAnæ gloriæ causa prædicare, aut Missam celebrare, peccatum esse mortale, quidam ajunt, quidam negant. V. explicationem apud Syl. *verf vana gloria. n.* 2.

Vana gloria non est peccatum mortale, ex se. D. Thom.

Vectigal.

Vide v. *Restitutio,*

ADDITIO.

Venatio.

Capta in alieno laqueo, aut reti, esse capientis, quidam dicunt, negat Sa. cum aliis.

Potest

Potest quidem avis, & fera in loco alieno capi, & est capientis, etsi dominus loci aditum prohibuisse, & jus venandi alii locasset, nisi locus esset clausus, domini feras, ut fit, includens.

De venatione quædam Covar. *reg. peccatum. p. 2. §. 8.* Sot. *l. 4. q. 6. art. 2.* Joan. Med. *c. de restit. q. 12.* Val. *tom. 3. d. 5. art. 6. p. 6.* Mol. *à d. 43. multa.* Sal. *q. 62. art. 3. contr. 3. de his, qui*, &c. Bannes *q 64 art. 1.* Joan B. Cort. *q. 120.* Cord. *q. 119.* Lopez *p. 1. c. 147.* Abul. *in l. c. 6. Matth. 23. Dicunt*) Navar. *c. 17. n. 176.* Jo. Majo. *4. d. 15. q. 10.* Covar. *l. 12.* Cord *l. c. Sa*) Jo. B. Cord. *ad l. c.* Syl. *vers. inventum. q. 2.* Mol. *d 42.* multis hanc dubitationem pertractans distinguit. Si fera laqueo alieno capta non putetur laqueum evasura, ad eum, qui laqueum paravit, pertinet, si evadere probabiliter poterat, feræ partem, aut valorem ad arbitrium viri boni laquei domino dabit capiens. Cord. *l. c.* ait servandam loci consuetudinem. *Potest quidem*) Cov. *l. c. n. 5. 10.* Ned *l. c. v.* Mol. *d. 41. in fin. & 51. Locasset*) Vid Covar. *l. c. n. 8. & 13.*

Fera facta domestica, si bis fugiat, & de more non redeat, est capientis, imo simul ac fugit, nec dominus sic persequitur, ut possit capere v. Mol. *d. 41. & 50.* Navar. *c. 1. n. 128.*

Clericis interdicta venatio, *ext. de cler venat. cap. 1. & 2.* si adhibeant accipitres, & canes. Mol. *d. 44.* Val. *l. c.* at si sine contemptu, scandalo, aut temeritate fiat, non est in clerico p. m. Cajet. *vers clericorum peccata.* Imo forte nec veniale, si rara, & moderata sit ad reficiendas animi vires. Val. *l. c. p. 1. q. 8.*

Quousque Principes venationem aliis interdicere & sibi reservare possint docet Mol. *d. 46.*

Venditio.

Vide v. *Emptio.*

1. Quoties tacetur vitium notabile, quo cognito emptor non emisset, contractus est nullus, adestque obligatio restituendi damna; & in foro externo datur actio quæ dicitur *redhibitoria*, ad rehabendum pretium, & restituendam rem acceptam: secus quando vitium quod tacetur, non est notabile absolute, neque reddit rem notabiliter minus utilem in ordine ad usum ad quem res ipsa emitur, etiamsi venditor

tor præsumat fore, ut emptor non emeret, aut non tanto pretio, si vitium cognosceret: hic tamen contractus non est justus, & res cum hujusmodi levi vitio minus valet quam sine vitio. Ex his habes eum qui vendit semina corrupta pro recentibus, teneri in conscientia ad restitutionem, quia dolus dat causam contractui cum damno emptoris, qui censetur rationabiliter invitus. Item eum qui vendidit ovem morbidam non manifestato vitio, teneri ad restitutionem damnorum quæ consecuta sunt ex eo, quod ovis morbida alias infecit. Item eum teneri ad restitutionem qui mendaciis alios induxit, & efficaciter movit ad emendam rem notabiliter minus utilem ad usum ad quem emitur; cooperatus est enim actioni injustæ & damnificativæ; secus si mendacia non efficaciter moverunt. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 2 punct. 6 n. 2. & seq.*

2. Venditor teneturne emptori manifestare vitium patens? Non tenetur, per se loquendo, manifestare; non enim magis spectat ad venditorem hujusmodi vitium manifestare, quam ad emptorem illud inspicere; & si emptor ex sua negligentia non advertit, debet sibi imputare; secus dicendum, si venditor animadvertat vitium non cognosci ab emptore ex inadvertentia invincibili; nam tali casu debet detegere, sicut & interrogatus de occultis rei vitiis tenetur ea manifestare, quamvis non sint notabilia in se vel in ordine ad usum ad quem res emitur. *ibid. n. 13. & 14.*

3. Neque excusatur vendens rem aliquam habentem vitium particulare, quod ipse venditor laudibus vel ingenio quodam artis occultat; ut si vitium illud proferat simul cum aliis vitiis, quæ constat non inesse rei, ut mentiendo in iis quæ constat non inesse, inducat ad credendum, nec inesse occulta; ut si vendens equum occulte claudum dicat; Vendo hunc equum pro claudo, cæco, surdo, & habente omnia alia vitia; nam hæc manifestatio perinde se habet ac si non fieret, & venditor mentiendo in iis vitiis quæ constat non inesse rei, inducit emptorem ad credendum non inesse ulla alia occulta vitia. *ibid. nu. 16.*

4. Emptor qui restituit rem emptam venditori propter notabile vitium occultum non manifestatum, tenetur restituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expensis & æstimatione industriæ quam ipse adhibuit. Sed ad quem pertinebunt fructus pendentes tempore venditionis?

bis, sive maturi, sine nondum ad maturitatem pervenerint? Pertinebunt ad emptorem quoad valorem, quem habent tempore venditionis, nisi aliter conventum sit inter contrahentes *ibid. n.* 18. *& punct.* 7 § 1. *n.* 1.

5. Quando res vendita tradita est emptori, sed pretium nondum fuit solutum, nec habitum pro soluto, fructus eâ venditæ quoad valorem quem acquirunt post venditionem, pertinent ad venditorem; ideo si emptor ex re sibi tradita fructus percepit, tenetur eos restituere venditori. Quando vero venditor tradidit rem emptori soluto pretio, vel habita fide de pretio, & concessa dilatione ad solvendum, fructus omnes pertinent ad emptorem, nec emptor tenetur ad interesse pro pretio non soluto, nisi forte aliter conventum sit inter contrahentes. Hinc colligitur eum qui vendit & tradit alteri domum, posse pacisci de pretio locationis exigendo, donec pretium domus solvatur. *ibid.* § 1. *n.* 4. 5 & 6.

6. Estne licitus contractus, quo quis tradit pecuniam alteri sibi aliam rem tradenti, relicta utrique facultate repetendi rem vel pecuniam? Illicitus est, per se loquendo; potest tamen justificari ex duplici titulo ratione lucri cessantis, si lucrum cesset illi qui pecuniam tradidit; & ratione pacti retrovendendi in favorem utriusque contrahentis, ita ut tradens pecuniam obliget se ad rem acceptam restituendam, quoties qui pecuniam accepit, restituerit pecuniam, & è contra. *ibid. n.* 7.

7. Quando contractus venditionis cum pacto adjectionis in diem, vel legis commissoriæ verbis directis celebratus dissolvitur, fructus medii temporis pertinent ad venditorem: si vero contractus celebratus sit verbis obliquis, fructus medii temporis pertinent ad emptorem. *ibid.* §. 2. *n.* 3.

8. Quid sentiendum in hoc casu: Titius vendidit & tradidit equum Cajo quinquaginta nummis aureis, celebrando contractum hoc pacto, Vendo tibi hunc equum quinquaginta nummis aureis hac lege, ut si quinquaginta nummos restituero intra duos menses, equus sit inemptus: Titius vero intra duos menses restituit Cajo quinquaginta nummos, sed equus antequam Titio à Cajo restituatur, moritur apud Cajum. Quæritur utrum equus Titio pereat, an Cajo? Resp. perire Cajo: nam res domino perit, Cajus autem remanet dominus equi, donec illum Titio tradat. *ibid. nn.* 5.

9. Quando venditio dissolvitur per actum retrovendendi

di eodem pretio, fructus medii temporis, qui videlicet producti sunt à tempore venditionis usque ad tempus redemptionis pertinent ad emptorem, secundum valorem, quem habent usque ad diem retrovenditionis, quia res domino fructificat, sed tempore intermedio res fuit primi emptoris, ergo, &c. Fructus medii temporis pertinent adhuc ad emptorem, quando venditio dissolvitur eo quod pœniteat prioris contractus, & alter de novo mutuo consensu celebratur, ob vationem jam allegatam. *ibid. num.* 6. & 8.

10. Quando vero venditio celebrata fuit sub conditione de futuro, & conditio non adimpletur, fructus medii temporis pertinent ad venditorem, sive res tradita sit emptori, sive non. Propterea si quis dicat, Vendo tibi hunc equum, si intra mensem solveris pretium: aut, Vendo tibi hanc vineam, nisi alius intra mensem offerat meliorem conditionem, fructus qui percipiuntur ex vinea ante conditionis eventum, sunt venditoris: quia non adimpleta conditione, venditio nulla est, consequenter venditor est dominus rei; adimpleta vero conditione fructus sunt emptoris. *ibid. n.* 12.

11. Petes, cuinam res pereat vel deterior fiat, emptorine an venditori, si pereat vel deterior fiat ante vel post traditionem? Resp. si res vendita pereat post traditionem, perit emptori. Imò si res vendita sit certa & determinata, & post venditionis contractum pereat, vel deterior fiat ante traditionem, regulariter perit & deterior fit emptori; modo venditio sit perfecta & absoluta, nec adsit culpa, vel mora venditoris in re tradenda domino. Quod si venditio facta sit sub conditione pendente in futurum, periculum interitus rei ante conditionis eventum pertinet ad venditorem: & si uterque contrahens fuit in mora, periculum est illius qui posterior est in mora, modo tamen mora prioris non fuerit causa posterioris. Ex quibus sequitur, dolium vini quod venditum fuerat ad corpus, si pereat ante traditionem, perire emptori; & si domus vendita incendio absumatur, vel servus venditus pereat, vel aliqua corporis parte lædatur post perfectam venditionem, damnum pertinere ad emptorem, ipsumque teneri pretium venditori solvere. *ib. punct.* 8. *num.* 2. & *seq.*

12. Sed cuinam res peribit, quando ex certo numero una venditur sub disjunctione, ut si dicatur: Vendo tibi hanc vel illam ovem? Peribit venditori; nam ovibus salvis, liberum

rum illi erat tradere, quam vellet, ergo par est, ut si aliqua pereat ante traditionem, illi pereat: si vero omnes pereant simul, aut successive nulla excepta, unà perit emptori, consequenter emptor tenetur pretium solvere, quamvis res sibi nondum fuerit tradita. Ad quem vero pertinebit periculum rei, quando de communi consensu constitutus fuit terminus ad mensurandam vel ponderandam rem venditam? Periculum pertinebit ad illum qui fuit in mora *ibid. numero* 9. & 10.

13. Petes, quid sit evictio? Est rei emptæ, vel justa causa receptæ per sententiam judicis abductio, vel rei taliter acceptæ juridica amissio *ibid. punct. ultim.* 1.

14. Venditor teneturne de evictione? Tenetur, si rem alienam, quam sciebat alienam esse, vendidit emptori ignoranti alienam esse, id est, tenetur emptori pretium restituere, & quantum interest rem ipsius factam non fuisse. Et non solum in venditione, verum etiam in aliis contractibus onerosis, contrahentes tenentur de evictione: non tenetur autem in contractibus gratuitis, seclusо pacto, & culpa contrahentis; quia non est, ut donator damnum patiatur ex eo quod sua liberalitate tradit absque prævia promissione, vel obligatione. *ibid. nu.* 2. & 3.

ADDITIO.

Cum quis pro re empta plus justo dat, sine vi, metu, aut errore, præsumitur errare. De hac re D Thom. 2. 2. *q.* 77. Cajet 16. Sot. *l* 6 *quæst.* 2. Val *to.* 3. *d.* 5. *quæst.* 20. Lopez *lib.* 1. *de contract.* Garz. *de contract. à c* 13. Mol. *à dist.* 367. copiosissime, & alibi.

De cariori pretio, ob expectatam pecuniam, Sot. *l.* 6 *q.* 4. *art.* 22. Mol. *dist* 36. P N *l.* 3 *c.* 1. *n.* 98.

Justum pretium venditi sub hasta, sc. plus danti, quidam putant, quod non recedit à dimidio justi, in plus aut minus. Mol. *d.* 349. *n.* 11 Garc. *c.* 21.

Cum non est taxatum pretium rebus ad vitam non necessariis, ut aureis aut argenteis, aut margaritis, & rebus ejusmodi, potest accipi, quantum emens sciens & prudens dat. Vid. Mol. *d.* 348.

In pacto de dando pretio currente aliquo die, si varietur, dabitur medium, si autem currente septimana, aut mense,

dabitur diutius durans Vid. Nav. *c.* 17. *numer.* 239.

Si quis ex centum doliis decem vendit, indefinite, & pereant omnia, pereunt & sua emptori, quod si maneant decem, erunt emptoris; sic si vendit de duobus unum indefinite, si pereat unum, quod reliquum est dabitur emptori. Vid. Syl. *l. c.* Ang. *eod verf. n.* 11.

Quæres: sitne mercatura seu negotiatio, id est, officium emendi, aut vendendi res causa lucri, licita & honesta. Nota, triplicem esse posse negotiationem 1. naturalis, quæ est quædam emuntur & venduntur ob necessitatem privatam, vel publicam: 2 est artificialis, qua homo emit rem, ut eamdem arte & industria melioratam revendat, qua fere utuntur omnes artifices mechanici. 3. est, quæ propriè dicitur mercatura qua homo emit rem, ut illam nihil mutatam carius revendat Resp. ergo, duas illas priores negotiationes, esse licitas & honestas, & ratio est, quia Reip. est necessaria, quare & clericis utraque secundum Canones licita est. R. 2. tertiam negotiationem, vel mercaturam non esse quidem intrinsece malam, vel bonam, licitam, vel illicitam, habere tamen speciem aliquam mali. 1. pars patet ex *cap. fraternitatis. d.* 88.

Et ratio est, quia negotiari propter lucrum, nec est conforme rationi, nec cum ipsa pugnat. Unde sequitur, honestâ & licitam reddi posse mercaturam, quando redditur conformis rationi, ut cum finis ejus est honestus, ut si referatur ad sustentandam familiam, & pauperes; & commoditatem reip. 2 pars probatur: quia lucrum per se, teste Aristotele 1. *Polit. c.* 6 tendit in infinitum, & ideò speciem habet turpitudinis. 2. quia vix unquam sine multis dolis, mendaciis, & fraudibus exerceri potest. Hæc Busæus.

Quæres: Quot modis possit mercatura reddi illicita. Resp. cum Sot *l. b.* 6. *de just. q.* 2. *art* 2. multis modis reddi illicitam. 1. ratione materiæ, ut si res sacræ vendantur, vel si vendatur venenum, *l. quod sæpè. ff. de venen.* 2. ratione personarum, ut si mercatura à clericis exerceatur, vel monachis. 3 ratione emptorum, ut si quis furioso vendat gladium, vel Turcis arma. 4. ratione temporis, ut si quis die festo negotietur. 5. ratione loci, ut in templo, ut habetur *c. decet domum. Dist. de commun. Eccles. in* 6. ratione modi, ut si mercatura fiat per usuras, mendacia, fraudes, monopolia. Hæc Busæus.

AD-

ADDITIO.

Verba.

Verbum jocosum dictum causa recreationis, non est peccatum. Vid. D. Thom. 2 d 40 & 4. d. 9.

ADDITIO.

Verbera.

Verberare possunt parentes, domini & pædagogi per se, vel per alium, & religiosum incorrigibilem prælatus etiam per alium clericum, vel monachum in necessitate. *Cap. universitatis. de sentent excommun.* Sot. *l.* 5. *art.* 2. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 68. *art.* 2. Val. *tom* 3 *d.* 5. *q.* 9 *p. uni.* Salon. Aragon. 6.

Prælatus potest etiam sacerdotem verberare, & forte etiam præceptor, ut si sit talis alicubi consuetudo; & vir uxorem gravi de causa. Sot. *l. c. Et vir.*) Sot. Salon. Arag. *l. c.* 3. Si pater verberaret ex odio, vel ex iracundia rationem regente, mortifere peccare potest. Sot *l. c. col.* 3.

Episcopo non licet manibus suis verberare.

ADDITIO.

Vestis.

Veste religiosa maris aut feminæ uti sæcularem ludi causa, non est mortale.

Uti veste alterius sexus ob vanitatem, veniale est; ob justam vero causam, licitum: quamquam August. 2 *soliloq.* dubitat, an umquam viro liceat uti veste feminæ. Vid. Sylv. *v. femina.* Nav. *l. c.* ex D. Thom.

ADDITIO.

Vicarius.

Vicarius Episcopi non potest esse laicus, nec clericus conjugatus, oporteret v. habere ordines minores.

De vicario Episcopi integrum volumen conscripsit Jac. Sbrozzius, nonnulla scribit Sanchez *to. 1. de matrim. l. 3. d. 29.*

Vicarius generalis dicitur ordinarius, potestque dare dimissorias, & potestatem absolvendi à reservatis. Sanchez *l. c. d. 9 n 3.* alii tamen dicunt esse delegatum. Idem dicas de vicario Capituli, sede vacante. *ibid. num. 4* Sbrozzius, Nav. *cons. 5. de spons.*

Vicarius Episcopi eo mortuo cessat, (nisi à Capitulo confirmetur) gesta tamen per eum ante mortis notitiam valent. Sanchez *l. c. disp. 30 n 2.*

Vicarius perpetuus potest facere vicarium ad tempus seu temporalem.

Vicarius temporalis potest facere vicarium, si sit consuetudo, aut habeat speciale mandatum, aut non possit totum implere, & partem committat.

ADDITIO.

Vidua.

Vidua non dicitur, quæ non est à viro cognita.

Viduam præteritis venereis ex viro voluptatibus delectari, non est per se mortale, sed ob periculum pollutionis, aut delectationis mortiferæ erit frequenter mortale, Cajet. *ver. delectatio.* Val. *tom. 2. d. 6. q. 4.* De hac re lege Nav. *cap. 16. n. 10.* Azor *l 4. l. c. 6.* Sanch. *l. 9. d. 47. n. 7.*

ADDITIO.

Virginitas.

Virginitas amittitur pollutione voluntaria, saltem in causa, ut cum quis nocturnam optat, aut procurat voluntariè, & concubitu apto eam facere, etiam si per accidens non sequatur, quidam tamen dicunt sine pollutione eam non amitti. Syl. *v. virginitas n 3.* ex D. Thom. *ex 4. d. 33 art. ad 5.*

Per omnem voluntariam pollutionem amittitur virginitas, Cajet. *2 2 quæst. 154 art. 6. initio. & ad 3* vid. eund *q. 15. art. 1. ad 3* Sot. *d 49. q. 1 art. 1 colum. 4.* Syl *virginitas. 2.* Martin. apud Cajet. *l. c.* Vival. *in append. l. c. n. 25. Nocturnam.)* Vival. *l. c. n. 29. Apto.)* Non autem si eunuchus sit ad seminandum

dum ineptus. *Non sequatur*) Vival. *l.c.n.25. Non amitti sine pollutione*) Mart. Sylv. *l.c.*

ADDITIO.

Vita.

Non tenetur quis vitam producere, quantum potest, nec uti cibis delicatis, & salubribus, nec ad vitam servandam permittere sibi membrum abscindi, nec uti medicinis, aut remediis extraordinariis, aut valde pretiosis, vel laboriosis, nec abstinere pœnitentiis, quæ vitam possunt breviare. *Nec uti.*) Sot. *l.5.q.1 art.6.col.ult Nec.*) Sot. *l.c.q.2.art.1.* Tol. *l.5.c.6.n.8. Medicinis*) Sot *l c.* Lopez *p.1.cap.64.col. Nec abstinere,*) vid. Lopez *l c.* Nav *cap.15.num.120.* putat m.p. uti asperitatibus notabiliter vitam decurtantibus ei, qui advertit, idem ferè Covar. *lib.1. var.c.2.num.10.* vid Cajetan. 2. 2. *q.147. art.1.* P.N. *lib.2.c.3.num.85.* Hoc facere causa pietatis, erit veniale, Cajet. Covar. *l.c.* Sot. *de rat.teg.mem 1.q.concl.3.* vid. Tol. *l.5.c.6.n.14.*

Vitam potest quis exponere periculo pro suis, vel proximi rebus, & etiam pro honore, secundum quosdam, quod non concederet D. August. Potest quidem vitam suam quis exponere pro tuenda vita alterius, at pro re alia temporali, vel sua, vel aliena, non putarim licere, nisi essent ad vitam necessaria, aut valde ampla, vid Sot. *l.5. de just.q.1.art.6. com. 3. vitam.*) vid. Sot. *l.5 q.1.a 8. ver. Homicidium.n.6. 22. 24. 25. Potest*) Sot. *l c.art.6.* Nav. *c.1.n.87.*

Vnctio Extrema.

Vide v. *Sacramentum.*

1. Sacramentum extremæ unctionis est signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi unguntur oleo benedicto sub præscripta verborum forma, juxta Christi institutionem ad salutem animæ & corporis. *tom.1 de Sacramento Extremæ Vnctionis, d.sp.7.q un c punct 1.n.4.*

2. Materia remota sacramenti extremæ unctionis est oleum ex olivis expressum & benedictum ab Episcopo, ut patet Jacob.5. *Vngentes oleo.* proxima vero est unctio. *ibid. punct 2,3 & 4.*

3. Parochus potest licite oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet fore ut oleum consecratum non sufficiat: utrumque enim censetur consecratum per admixtionem, modo quod additur sit minoris quantitatis consecrato. *ibid. n.* 8.

4. Non est de necessitate sacramenti ut oleum fuerit eo anno benedictum, ex præcepto tamen debet esse benedictum eodem anno. *ibid. n.* 6

Forma, & minister hujus sacramenti.

4. Forma hujus sacramenti sunt hæc verba, quæ proferuntur à Sacerdote: *Per istam sanctam Vnctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum. Amen.* Hæc eadem forma adhibetur in unctionibus aliorum sensuum, expresso nomine singulorum sensuum, v.g. *per auditum*, quando inunguntur aures, &c. Hæc forma fit modo deprecativo, quia infirmus eget deprecatione aliorum; & Christus ita instituit. *ibid. punct.* 3 *n.* 1. & 3.

6. Invocatio sanctissimæ Trinitatis non est de essentia formæ, cum non contineatur in verbis formæ *Per sanctam & piissimam*, non videntur etiam de essentia, cum sensus verborum sit completus, & subsistat illis omissis *ibid. n.* 2. & 4.

7. Poterit Sacerdos existente periculo in mora & in casu necessitatis dicere ungendo aurem, nares, oculum & os: *Per istam sanctam unctionem & suam pissimam misericordiam paveat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum deliquisti. ibid. num* 5.

8. Proprius minister hujus sacramenti est solus Sacerdos, & non Diaconus aut Subdiaconus. Sacerdos non habens jurisdictionem aut ab Ecclesia impeditus, valide quidem administraret hoc sacramentum, sed non licite; nam qui non est proprius Sacerdos vel Parochus, aut qui facultatem non habet à proprio Parocho, graviter peccat administrando hoc sacramentum. *ibid. punct.* 4. *n.* 1. & *seq.*

9. Adde religiosos licet exemptos qui sine Parochi licentia, vel sine privilegio Sedis Apostolicæ administrant sacramentum extremæ unctionis, incidere in excommunicationem. *ibid. num.* 5.

10. Plures Sacerdotes possunt eodem tempore urgente necessitate uni & eidem conferre sacramentum extremæ unctio-

unctionis, modo unusquisque ungat independenter ab alio: non potest tamen unus ungere, & alter formam proferre. *ibid. n. 7. & 8.*

11 Alius Sacerdos debet perficere sacramentum inchoatum, si primus morte præoccupetur, indeque incipere, ubi alter finiit. *ibid. num. 9.*

12 Sacerdos non incurrit irregularitatem, si ægrotus ex hac vita decedat, dum Sacerdos curat illum revolvi ad unctionem impendendam; hæc enim irregularitas non extat in jure expressa. *ibid. num. 10.*

Subjectum hujus Sacramenti, & quæ partes ungendæ.

13 Subjectum extremæ unctionis sunt soli fideles de vita periclitantes, qui ratione utantur, vel certe antea usi sint, hocque sacramentum recipere optaverint. Ita habetur in Concilio Florentino. *ibid. punct. 5. nu. 1* Hinc

14. Phreneticis qui ante phrenesim optaverunt hoc sacramentum, potest conferri, sicut & iis qui optaverunt, saltem interpretative, quales sunt qui christiane vixerunt. *ibid. n. 2. & 3.*

15. Non est conferendum iis qui non laborant infirmitate, licet in magno vitæ periculo versentur, ut patet ex dictis: quales sunt gerentes bellum, existentes in mari, damnati ad mortem à judice, aut mulieres in partu existentes, quia non laborant infirmitate corporali. *ibid. n. 4.*

16. Hoc sacramentum conferri potest non solum adolescentibus post usum rationis ægrotantibus, verum etiam senibus, qui senectute conficiuntur absque alia infirmitate: nam senectus ipsa morbus est. Conferri potest præterea omnibus mortis propinquis ob morbum, ob pestem, ob tactum viperæ, ob vulnus, & ob rabidum morsum: caveat tamen Sacerdos ne rabidi hominis sputum, seu salivam attingat; nam inficit attingentem. *ibid n. 6.*

17. Non est expectandum extremum vitæ periculum, aut tempus quo infirmus sensu prorsus careat, aut quo omnis ejus desperata sit salus: sed hoc sacramentum administrandum est, si fieri potest, quando infirmus adhuc rationis usu gaudet, ut se magis ad fructum sacramenti recipiendum disponat, & sit capax alacritatis quæ conferri solet in hoc sacramenti. *ibid n. 7.*

18. Si infirmus dum ungitur ex hac vita decedat, Parochus debet ab unctionibus desistere, cum non sit amplius viator; quòd si dubitetur an sit mortuus, administrandum est sacramentum sub conditione, *si adhuc vivit. ib. n* 8 & 9.

19. Omittens hoc sacramentum tantummodo ex negligentia, non peccat mortaliter: tenetur tamen Parochus illud conferre, cum illi incumbat ex officio consulere saluti suorum subditorum. *ibid. num.* 11 & 12.

20. Dandum est hoc sacramentum etiam illi qui numquam actualiter peccavit, ex his verbis Jacob. 5. *Si in peccatis sit, dimittentur ei*: nam supponit posse conferri cuicumque infirmo. Quare conferri potest hoc sacramentum saltem sub conditione adulto, qui statim post susceptum Baptismum incidit in morbum lethalem. *ibid. nu.* 13. & 14.

21. Non est peccatum mortale conferre sacramentum extremæ unctionis ante sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ: quia infirmus potest per contritionem se ad illud disponere. *ibid. n.* 15.

22. De necessitate & essentia hujus sacramenti est ut inungantur quinque sensus corporis, oculi scilicet, aures, nares, os, & manus, repetita ad singulos forma: quod si quis careat uno corporis membro in quo viget aliquis sensus, ungenda est pars magis propinqua. Solæ autem hæ partes inunguntur, & non totum corpus, quia hoc sacramentum applicatur per modum medicinæ corporalis, quæ applicatur iis partibus à quibus morbus originem trahit. *ibid. num.* 16.

23. Unctio in pedibus vel renibus & umbilico adhiberi vel prætermitti potest juxta loci consuetudinem: semper tamen omittitur unctio in feminis in umbilico propter decentiam & honestatem. *ibid. n.* 18.

24. Sacerdotes non unguntur in palma, quia semel fuerunt inuncti in susceptione ordinis sacerdotalis, sed in superiori versa parte manus. *ibid. n.* 19.

25. Non est necessario ungendum utrumque organum unius sensus, exempli gratia uterque oculus, vel utraque manus, &c. quia significatio istius sacramenti satis salvatur per unctionem unius organi: ex præcepti tamen servanda est locorum consuetudo, quæ vim habet legis. *ibid.* 21.

Effectus Extremæ Vnctionis

26. Multiplices sunt hujus sacramenti effectus. Primo abster-

abstergit reliquias peccatorum, id est, expellit habitudines & proclivitates ad malum. Secundo sublevat infirmum à corporali ægritudine, & sanitatem confert si animæ saluti expedierit. Tertio confert gratiam non solum sanctificantem, verum etiam delet peccata venialia, juvatque contra tentationes & dæmonis incursus, qui eo præsertim tempore solent esse vehementes. Producit autem hos effectus in eo instanti in quo perficitur, id est, in ultima unctione, ut patet ex dictis in aliis sacramentis. *Ibid. punct. 6. num. 1. & seq.*

27. Sacramentum extremæ unctionis iterari potest, cum non imprimat characterem. Circa ritus & cæremonias quibuscum deferenda est extrema unctio ad infirmum, standum est Rituali consuetudini, & legibus Episcoporum. Non est necesse ut administrans extremam unctionem habeat ministrum qui respondeat. *Ibid. num. 4. 5. & 6.*

28 Peccat Sacerdos administrando hoc sacramentum prætermissis orationibus, quæ ab Ecclesia in ipsius administratione præscribuntur, si non sit periculum in mora, aut proximum mortis periculum; nam tunc omittere poterit, & post peracta essentialia sacramenti supplere, si infirmus adhuc superstes sit: non licet tamen etiam in necessitate hoc sacramentum administrare non adhibitis vestibus ab Ecclesia præscriptis *Ibid. nu. 7. & seqq.*

ADDITIO.

Quæres: An in periculo mortis religiosus possit sub ratihabitione parochi conferre alicui ægroto sæculari sacramentum extremæ unctionis. Videtur, quod non, quia *clem. 1 de priv.* infligit pœnam excommunicationis talibus, qui extremam unctionem porrigunt sine licentia parochi. Resp. cum Sot. *in 4 d. 23. q. 2. art 1.* & Cajet. *in summa v. excommunicatio*, eum posse conferre hoc sacramentum, eo quod non est verisimile, Ecclesiam in tali casu velle infligere excommunicationem, Busæus.

Quæres, An extrema unctio possit conferri amentibus. Resp. Perpetuo amentibus non posse conferri, quia illi semper caruerunt usu rationis; si autem amentes sint per intervalla, ac petiverunt inungi, nec timetur irreverentia, possunt inungi, imo etsi non petiverunt, modo ante amentiam confessi sint, & communicaverint. Addit Nav. [illegible] 22. n. 13 Anton.

Syl. & Palud. sufficere, ut ante amentiam, vel phrenesin, non fuerint in mortali peccato, eo quod de quolibet Christiano præsumendum sit, eum petere hoc sacramentum. Hæc Busæus.

Quæres, An præcepto divino, vel humano teneamur suscipere hoc sacramentum extremæ unctionis. Resp. Joan. Major, & P. Sot. non teneri ex præcepto divino. Cajet. *in summa*, jure Ecclesiastico tantùm. Sed probabilius D. Thom. Bonav. Rich. volunt esse consilii, modo absit contemptus. Et ratio est quia si esset præceptum, extrema unctio tempore pestis adhibenda esset, quod videtur valde periculosum. Busæus.

Quæres, An peccet saltem venialiter, qui citra contemptum negligit illud recipere. Respons. Peccare venialiter si commode possit recipere, vel etiam si ab eo petatur, non velit recipere. Busæus.

Quæres, In quot corporis partibus sit facienda unctio. Resp. Florent. in 7. faciendam esse, in quinque organis sensuum, renibus, & pedibus, hæc enim solent esse principia & fontes peccatorum. Hæc Busæus.

Quæres, Quid si æger caret oculis ac manibus? Resp. cum S. Thom partes vicinas inungendas esse, neque ideo falsa est forma, quia peccatum est in animo, vel voluntate, quæ potuit habere affectum peccandi per hæc membra, si ea haberet. Hæc Busæus.

Votum.

Vide v. *Matrimonium, Religiosus, Apostata, Hæres.*

1. Votum est voluntaria & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori. Ex hac definitione colligo ad votum non sufficere propositum, neque semiplenam advertentiam & deliberationem; & consequenter amentem vel infantem, &c. invalidè vovere; quamquam sufficit deliberatio virtualis, quando votum est in se volitum, *tom. 2 circa secundum Decalogi præceptum, disp. 4. quæst. 2 punct. 1 n. 1. & seq.*

2. Præterea votum debet esse voluntarium; & ideò promissio per errorem vel dolum circa substantiam, vel causam finalem extorta, non habet vim voti, cùm non adsit sufficiens voluntarium circa votum requisitum; quod nequit esse validum nisi volitum sit, saltem tacitè & implicitè aut virtualiter. *Ibid. num. 6. & 7.*

3. Qui

3. Qui suscipit ordines sacros, & positivè respuit votum castitatis illis annexum, tenetur adhuc castitatem servare, non quidem ratione voti, sed ratione statuti Ecclesiæ quæ præcipit observantiam castitatis illi qui noluit vovere, illumque inhabilem facit ad matrimonium. *Ibid.n.*8. Ut hæc clariora fiant, adverte:

4. Ex voto facto absque animo vovendi non oritur obligatio, cum votum ita factum non sit verum votum. Item ex voto facto animo vovendi, sed non se obligandi, non oritur ex vi voti obligatio, sed oriri potest vel ratione statuti Ecclesiæ, vel scandali. Item non oritur obligatio ex voto facto animo vovendi, sed absque expressa vel tacita intentione se obligandi, unde qui ignorat votum obligare, vel credit non obligare, non obligatur ad votum servandum: at ex voto facto animo vovendi & se obligandi, sed absque intentione adimplendi oritur obligatio ex vi voti, quia intentio non adimplendi votum, non tollit obligationem voti, seu promissionis quæ ex ipso voto vel promissione naturaliter sequitur. Adverte tamen votum invalidum defectu voluntatis vovendi, vel alterius causæ fieri validum per ratificationem, modo ratificans sciat aut credat votum quod ratificat, esse invalidum. *Ibid.num.*1 *& seq.*

5. Peccat venialiter qui fictè vovet absque animo vovendi & se obligandi, mortaliter verò peccat, qui votum cum animo non adimplendi emittit. *Ibid.num.*13.

6. Vota facta tam Sanctis, quàm Prælatis Ecclesiæ, semper habent respectum ad Deum, & illi soli fiunt; id est vovemus Deo nos facturos illud quod Sanctis promittimus. *Ibid.n.*17.

7. Materia voti debet esse de meliori bono, (hinc tamen non sequitur debere esse de optimo) quam sit ejus oppositum, unde qui vovet jejunium, validè vovet, quia licet jejunium non sit optimum inter omnes actus virtutum, est tamen melius quàm ejus oppositum, id est, quàm non jejunare; votum autem factum de eo, cujus oppositum est in chus, non obligat. Item votum factum de rebus quæ repugnant consilio, nisi varientur circumstantiæ, invalidum est. Item non valet votum de his suscipiendis, quæ valde implicant mentem rebus terrenis; nam hæc non sunt meliora quam eorum opposita. *Ibid.n.*18. *& seq.*

8. Possumus vovere opera ad quæ tenemur ex alio præcepto; votumque horum operum ex alio præcepto debitorum novam obligationem inducit. *Ib.n.*23. 9. Vo-

9. Votum obediendi Prælato in omnibus, vel non recitandi coronam nisi genibus flexis, vel non faciendi eleemosynam minorem decem aureis, vel non acceptandi quantumcumque ex sua parte Episcopatum, vel aliud publicum officium, validum est: sicut & votum nonpetendi juramenti, vel voti dispensationem, ut melius quis animæ suæ consulat, tenet, non poterit tamen impedire, si voveat (*ut si luserit, ex gr. non possit ab alio, quàm à Summo Pontifice absolvi.*) quin Episcopus adhuc possit eum absolvere, cum hujusmodi votum videatur de re impossibili. Non est tamen validum votum castitatis religionis, vel non nubendi factum ab eo, cui ob incontinentiam salubrius est matrimonium. *ib. n. 24. & seq.*

10. Vovens se non amplius lusurum sub pœna, quod si luserit, teneatur adire Romam ut absolvatur à Papa, adhuc poterit absolvi ab Episcopo, ut patet ex allata ratione. *Ibid. n. 30.*

11. Votum multiplex est; aliud est reale, aliud personale, aliud mixtum, aliud conditionale, aliud absolutum; aliud simplex, quod consistit in nuda promissione; aliud solemne, quod consistit in actuali quadam dedicatione & traditione propriæ corporis & libertatis acceptata ab eo qui vicem Dei tenet, cum quadam solemnitate, qualitate ac circumstantiis approbatis ab Ecclesia. *Ibid. punct. 2. n. 1.*

12. Votum factum sub conditione necessaria, aut honesta, contingente (non autem sub conditione quæ est contra substantiam voti aut rei quæ voto promittitur, aut sub conditione impossibili, aut turpi,) validum est. Quando votum sub pluribus conditionibus copulativè omissum est, non obligat nisi adimpletæ sint omnes conditiones copulativè positæ. Item vovens aliquid sub conditione futura, non potest quidquam facere, quo se reddat ineptum ad voti executionem secuta conditione, modo conditio sit possibilis, & moraliter reddatur eventura, & modo conditio non pendeat à voluntate voventis. Item vovens sub conditione tenetur votum adimplere, si per ipsum stet, ne conditio adimpleatur, nisi pendeat ab ipsius libera voluntate. Item promittens certam eleemosynam alicui, si Deus eum præservet ab aliquo peccato, tenetur ad eleemosynam, si sponte & scienter peccet, ne ad illam teneatur. *Ibid. n 3. & seq.*

13. Votum factum ex metu gravi illato à causa intrinseca, vel ab extrinseca, non ad extorquendum votum, sed ad alium finem, validum est, & obligat. At votum factum ex metu gra-

vi injustè incusso à causa extrinseca ad hoc, invalidum est, saltem jure Ecclesiastico, modo vovens cognoverit metum sibi incuti ad extorquendum votum *Ibid punct 3 n.5 & seq.*

14 Nullum est votum professionis à femina emissum ob timorem patris minantis graves injurias, etiam citra mortem aut exilium. Item suscipiens metu gravi ordines sacros, non tenetur voto castitatis eis annexo *Ib.n 8 & 9.*

15. Metus qui facit votum invalidum, sufficit etiam ad excusandum voventem à peccato. Quòd si dubitetur an factum fuerit votum per metum gravem, illud erit adimplendum: secus si constet factum fuisse ex metu gravi, etiamsi juramento firmatum fuisset. *Ibid.num.* 10 11. & 12

16 Votum factum per errorem aut dolum versantem circa substantiam & rem promissam, non obligat; quamobrem vovens adire limina Apostolorum, quæ credit non longè distare, non tenetur ad votum, si ea longius distent quam ipse putaret; & qui credit se profiteri in una religione, cum profiteatur in alia, invalidè profitetur. *Ibid. §. 2. num. 2. & seq.*

17. Votum simplex (non solemne) factum per errorem & dolum circa causam finalem & motivam, non est validum. Unde vovens eleemosynam eo quod falsò credat se institutum esse heredem, non tenetur ad eleemosynam errore cognito. Item puella, quæ vovit religionem eo quod falsò putaret aperiendos esse proprio sponso impudicos tactus cum alio adolescente habitos, non tenetur votum servare. Item qui vovit jejunium, quia credebat suum filium absentem ægrotare, non tenetur jejunare si tempore voti filius jam mortuus erat vel non ægrotabat. *Ib num.* 5. 6. 7. 8. & 9.

18 Cessante causa finali voti vel juramenti, cessat etiam ipsius obligatio; secus dicendum, si causa tantum impulsiva cesset: quia ea cessante votum adhuc fuisset emissum. Quod si dubitetur an causa voti finalis cessarit, votum erit servandum. *Ibid.nu.* 10 11. & 12.

19. Vovens tradere eleemosynam alicui ex motivo paupertatis, sed libentius eam vovit, eo quod credat illum probum esse, tenetur votum servare, quamvis is sit improbus. Imò tenebitur hic ad votum, etiamsi ita habitualiter dispositus esset, vel eleemosynam non promisisset cognita ipsius improbitate; secus tamen dicendum foret, si probitas quæ non subsistit, fuit causa finalis, & non impulsiva voti. Causa autem voti cognoscitur finalis vel impulsiva ex affectu quo quis movetur ad vovendum. *Ibid.n.* 14, & *seq.*

Ma-

Materia voti.

20. Opus malum non potest esse materia voti, consequenter si votum fiat de re mala, invalidum est, utpote Deo ingratum: tale est votum de re à superiore prohibita. *Ibid. punct. 1. §. 1. num. 1, & 2.*

21. Valet votum ab eo emissum, qui ex amore continentiæ vovet se non amplius peccaturum, nisi cum tali femina; cum hoc votum non sit de re mala, sed bona, scilicet abstinendi ab aliis feminis: at votum de immoderatis macerationibus invalidum est, quando conjunctæ sunt cum periculo mortis, aut alicujus morbi; secus dicendum de voto jejunandi toto anno etiam diebus Dominicis. *Ibid. num. 3. 5 & 6.*

22. Vovens opus malum vel bonum ad malum finem, peccat duplici peccato mortali, si materia & finis est mortalis. *Ibid. n. 9.*

23. Votum de re indifferente, seu de re quæ non habet rationem boni vel mali, non est validum: tale est votum quo quis vovit non abscindere ungues die Sabbati in honorem B. Virginis. Potest tamen res indifferens esse materia voti, quando adest bonus finis, si ea materia inserviat ad bonum finem consequendum, & si honestus finis tempore voti non cessaverit. Quod si vovens dubitet, an materia promissa sit indifferens, vel bona, tenetur votum adimplere. *Ibid. §. 2. num. 1. & seq.*

24. Votum rei bonæ factum ob finem indifferentem, aut ad obtinendum bona temporalia, validum est, modò non oriatur ex alia circumstantia. Non valet autem votum, si ejus materia ab initio erat indifferens, nec vovens sibi honestum finem constituit. Secus, si vovens intendit adimplere votum, quando materia non erit amplius indifferens, vel impossibilis. *Ibid. n. 6. 7 & 9.*

25. Qui vovit quotidie Missam audire dum existit in mari, in carcere, vel in excommunicatione, tenebitur illam audire data opportunitate. *Ib. n. 10.*

26. Materia quæ vovetur, debet esse in potestate voventis; propterea votum de non moriendo non est validum, cum nobis moriendum sit, velimus, nolimus. Si verò materia voti partim sit possibilis, partim impossibilis: partim bona, partim indifferens, &c. adimplenda est possibilis, bona, &c. quæ sepa-

rari

tari potest à parte indifferenti, impossibili & turpi. Quamobrem vovens ædificare totam Ecclesiam, si ob inopiam non possit totam ædificare, tenetur ad partem. Item vovens adire Romam genibus flexis, quod illi est impossibile, tenetur adire eo meliori modo quo potest Item si quis non possit perficere pedestrem peregrinationem, quam vovit, tenebitur eam equitando perficere, nisi aliter de voventis intentione colligatur. *Ibid.* §. 3. *num.* 1. 2. & §. 4. *n.* 3. 4 & 7.

27. Votum de numquam peccando mortaliter & venialiter, vel adhibendi specialem diligentiam ad evitanda omnia peccata, videtur validum. Et qui vovet se nihil coctum tali die comesturum, & præterea vovet alia die se nihil præter panem sumpturum, tenetur utrumque votum adimplere, si tempore secundi voti memor erat prioris emissi. *Ibid* §. 3. *nu.* 4 & *seq.*

28. Emittens duo vota incompossibilia eodem tempore adimplenda, invalidè vovet: secus, si diverso tempore sint adimplenda. *Ibid. n.* 8.

29. Votum factum sub forma disiunctiva, cujus una pars est apta materia voti, altera verò non, invalidum est, consequenter votum tradendi eleemosynam, aut furandi, invalidum est. Valet tamen votum disiunctivum de re, quæ tempore voti erat ipsius apta materia, licet postea una pars fiat inepta; & heres tenetur adimplere votum reale defuncti, qui votum disjunctivum emiserat, cujus una pars erat realis, altera personalis. *Ibid.* §. 5. *n.* 1. 2. 3. 4. & 5.

30. Promissio de re aliqua contra prius votum validum, est invalida, quia est promissio de re illicita quæ non obligat. Ideo qui vovit castitatem, & postea promittit alteri matrimonium, invalidè promittit *Ib* §. 6. *n* 1.

31. Vovens tenetur quam primum moraliter potest votum adimplere, si tempus ipse non determinavit, vel non est legitimè impeditus: unde qui vovit ingredi religionem, & nullum sibi præscripsit tempus, potest ingressum differre donec aptus sit ad labores religionis. Potest quoque differri votum usque ad tempus, quo credit vovens se illud majori cum devotione adimpleturum, si nullum sibi designavit tempus; si verò designavit, tenetur adimplere tempore sibi præscripto. Quod si illud non adimplevit tempore præscripto, adhuc tenetur vovens adimplere elapso termino si votum factum est absolutè & simpliciter; secus dicendum, si votum factum est in honorem & devotionem illius temporis principaliter seu dependen-

denter à tempore. Ex hac doctrina collige eum qui vovit singulis hebdomadis Adventus confiteri peccata sua, non teneri supplere confessiones, si eas aliquando omisit. Item voveus jejunare in vigilia proxima talis Sancti, non tenetur ad jejunium ejusdem vigiliæ anni futuri si hoc anno non jejunavit. Similiter qui non potest votum adimplere præfixo tempore, satisfacit anticipando, si terminus fuit præfixus ne ultra differetur voti executio: secus, si votum factum fuit principaliter in honorem talis temporis. *Ibid. punct. 5. § 1 num 1. & seq.*

32 Petes, utrum obligatio voti transeat ad heredes, seu an heres teneatur adimplere vota defuncti? Resp. heredem non teneri persolvere vota personalia, quæ defunctus non adimplevit; tenetur tamen solvere vota realia postquam hereditatem adiit, salva legitima portione, & modo non excedant vires hereditatis. Idem quoque militat, quando plures heredes existunt; his enim incumbit ad ratam persolvere vota defuncti realia.

Monasterium vel alius heres succedens alicui qui professionem fecit in approbata religione, non tenetur solvere illius professionis vota, nisi forte hæc vota fuerint acceptata ab eo, in cujus favorem facta sunt: at qui jure hereditario non successit ante professionem illius cujus est heres, tenetur vota religiosi realia persolvere, modo ejus Superior illa vota non irritaverit. *Ibid §. 2. n. 3 4 7. 8. 9. & 11.*

33 Heres tenetur votum mixtum quoad partem realem persolvere, si votum est æqualiter reale & personale, quia heres adeundo hereditatem, censetur inire contractum solvendi omnia debita realia defuncti, cujus personam quoad hoc repræsentat. Quod si bona defuncti non sufficiant ad satisfaciendum omnibus, heres tenebitur persolvere votum de meliori bono, si illud cognoscat, aliter tenebitur primum votum persolvere. Et si heredi non constet quodnam votum magis obligaret, dubitur heredi optio: sunt tamen vota præferenda legatis, non verò debitis ex justitia. Si defunctus duabus Ecclesiis vovit duas res æquales, sed diversi valoris, heres poterit pretiosiorem tradere cui voluerit, nisi aliter constet de voventis mente. *Ibid. num 10. 13. & seq.*

34. Heres certus de voto reali a defuncto emisso, sed dubius an illud adimpleverit, tenetur illud adimplere, quia positivo stat pro voto & dubitatur de ipsius executione. *Ib. num. 17.*

35. Votum parentum offerentium infantes religioni, non obli-

obligat infantes, nisi illud ipsi ratificaverint, quia in iis quæ pertinent ad vitæ statum, quilibet est sui juris. *Ibid. n.* 18.

36. Successor non obligatur vi voti ad servandum votum à communitate factum, nisi votum à singulis fiat vel acceptetur, aut nisi interveniat consensus Episcopi. Item donatarius in nullo casu tenetur loco donantis vota persolvere, quamvis donatarius sciat ipsum voventem per hanc donationem reddi impotentem ad voti satisfactionem. *Ibid. n.* 20. *&* 21.

37. Vovens adhuc videbitur obligandus ad vota realia, non verò personalia adimplenda, si post mortem ad vitam revocetur. *Ib. n* 22.

38. Vovens si fiat impotens ad votum personale adimplendum, non tenetur per alium satisfacere; secus dicendum de voto reali, nam qui non potest illud adimplere per seipsum, tenetur adimplere per alium: quare vovens tantam pecuniam in eleemosynam, satisfacit, si ea eleemosyna nomine suo ab alio erogetur; votum tamen non censebitur adimpletum, si supradicta eleemosyna ab alio fiat vovente invito. *Ibid.* §. 3. *num.* 2. *& seq.*

39. Votum mixtum quoad partem personalem, non potest per alium adimpleri; hinc fit ut is qui non potest perficere peregrinationem Lauretanam quam voverat, non teneatur in eleemosynam tradere sumptus, quos ipse in itinere fecisset. Item qui non potest votum adimplere, non tenetur votum in aliud quod præstare posset, commutare. *Ibid. num.* 6. 7 *&* 9.

40. Violatio voti ex suo genere est peccatum mortale, nisi parvitas materiæ excusat. Cognoscitur autem materia voti sufficiens ad peccatum mortale, vel ad veniale tantum, ex magno vel exiguo honore qui ex voti adimpletione redundat in Deum, & ex comparatione ad legem & ad alia præcepta; unde non peccat mortaliter ob levitatem materiæ, qui parum vini semel bibit contra votum non bibendi vinum. *Ibid.* §. *num.* 3. 5. *&* 6.

41. Non adimplens votum in materia gravi factum cum intentione obligandi se tantum sub veniali, venialiter tantum peccabit. Hocidem valet respectu illius qui generaliter proposuit obligare se solum sub veniali in votis, & hoc propositum numquam mutavit *Ibid num.* 7 *&* 8.

42 Qui dubitat an votum emiserit, non peccat illud non adimplendo; quia hoc est dubium juris, id est voti, quod est lex quædam privata: quamobrem qui dubitat an voverit casti-

tatem absolutam, vel tantum abstinentiam à conjugio, tenetur abstinere à conjugio tantùm *Ibid. n. 9 & 10.*

43. Quando materia voti est debita ex alio præcepto, qui illam violat, duo saltem peccata committit. *Ibid. n. 11.*

44. Vovens sufficienter votum adimplet, dum nihil cogitans de voto, illud adimplet. Item qui vovit invisere limina Apostolorum, satisfacit voto, si adiit Romam causa negotiorum, & limina invisit ea occasione. Similiter ille quem pœnitet vovisse, non peccat mortaliter, nisi habeat intentionem omittendi rem promissam *Ibid. n. 12. & seq.*

45. Qui habet votum castitatis vel virginitatis, tenetur abstinere à matrimonio, peccatque si contrahat, si petat debitum vel consummet matrimonium. *Ibid. § 5. num. 1. & 2.*

46. Qui votum habet non nubendi, peccat nubendo, facit enim contra votum: contracto tamen matrimonio potest petere & reddere debitum, quia votum non nubendi, non æquivalet voto castitatis, sed solùm importat negationem status matrimonialis; quæ negatio cùm sit facta impossibilis per matrimonium jam contractum, sequitur obstrictum eo voto posse licitè petere & reddere, etiamsi causam habeat divortii. Adde non peccare fornicando, aliud enim est votum non nubendi, & aliud votum non fornicandi. *Ibidem num. 6.*

47. Qui vovit ingredi certam religionem, tenetur eam ingredi, quando in ea viget regularis observantia, licet tempore voti ea non servaretur. Item qui vovit determinatam religionem, potest aliam æquè arctam ingredi. Item qui vovit mori in religione, censetur vovisse professionem & perseverantiam in ea. Item qui vovit aliquam certam religionem, ad quam non fuit admissus, liber est ab obligatione voti, modò per ipsum non stet ne recipiatur, & verè repulsam tulerit. Quod si ad religionem non fuit admissus ob imperitiam, tenebitur acquisita scientia votum adimplere. Item tenetur scientiam addiscere, ut admittatur ad religionem, si tempore voti sciebat necessariam esse scientiam ut admitteretur. Qui autem vovit religionem in generali, tenetur aliam inquirere, si ad aliquam non admittatur; quamquam non tenetur omnia monasteria adire, ut recipiatur, sed satisfaciet adeundo diversa diversorum ordinum. Item qui vovit religionem ad quam credit se admittendum patefacto voto, tenetur illud manifestare. *Ib. §. 6. n. 3. 4. 7. 10. & seq.*

48. Fœmina quæ vovit religionem, non tenetur extra patriam

tiam adire, si in patria ad eam non admittatur. *Ib. n.* 14.

49. Qui vovit religionem ad quam in perpetuum non admittatur, potest matrimonium inire manendo in sæculo, si credat fore ut numquam admittatur; nisi fortè principaliter voverit castitatem. Item qui post votum religionis matrimonium contraxit, tenetur ante illius consummationem religionem ingredi. Similiter qui vovit religionem in genere antequam ingrederetur, & profiteretur; non tenebitur aliam inquirere, si ab ea in qua professionem emisit, expellatur. Item qui vovit strictiorem religionem, & nihilominus professus est in laxiori; quamvis graviter peccet ratione professionis istius in laxiori, tamen si ab ea ejiciatur, non tenetur strictiorem ingredi. *Ib. n.* 18 *& seq.*

50. Qui simpliciter vovit religionem sine intentione profitendi in ea, satisfecit, si postquam bona fide est ingressus, statim ante professionem exeat. Quod si non constet de voventis intentione; præsumendum est voviſſe solùm ingressum in religionem, non verò professionem *Ibid. num.* 22. *&* 23.

51. Professus, propter incorrigibilitatem ejectus, tenetur extra monasterium paupertatem & castitatem servare ratione voti solemnis *Ibid. n.* 26. *&* 27.

52. In explicatione voti si non constet de voventis intentione, attendi debent verba voventis, & explicari secundùm communem sensum; hinc fit, ut qui vovit non bibere vinum, possit bibere cervisiam, quia cervisia verè non venit nomine vini quamvis inebrietet & qui vovit jejunare quolibet die Sabbati, tenetur jejunare quamvis in eum diem incidat dies Natalis Domini, modò vovens hunc diem non exceperit. Præterea votum strictè explicari debet servata verborum proprietate: propterea qui vovit non bibere vinum, potest sumere utramque ablutionem in Missa. Et qui aliquid vovit modo indeterminato, potest eligere quod minus est. Et qui vovit jejunare non definiens dies, satisfacit si uno die jejunet: si vovit jejunare pluribus, satisfaciet jejunando duobus diebus. Et qui vovit peregrinationem, potest equitando satisfacere. *Ibid. punct.* 6 *n.* 1. *& seq.*

53. Denique quando dubitatur de intentione voventis, votum explicandum est ad modum legis divinæ vel humanæ; hinc sequitur ut qui vovit audire Missam, vel recitare officium debeat ea cum attentione præstare; & qui vovit abstinentiam à carnibus, teneatur etiam abstinere à jure, seu brodio. Item

qui vovit jejunare toto aliquo menſe, non teneatur jejunare diebus Dominicis in eo menſe contentis, niſi hoc expreſſe intenderit. Item qui vovit tradere calicem Eccleſiæ, quem emit, tenetur adhuc alium tradere, ſi primus voventi ante traditionem fuit ſurreptus, quia non vovit individuum, ſed ſpeciem, quæ non corruit deſtructo uno individuo. *ibid. num.* 21. 22. 25. & 30.

54. Petes, an obligatio voti tollatur ceſſatione cauſæ, aut notabili mutatione ſuperveniente? Reſpond. obligatio voti ceſſat ſublata cauſa finali propter quam factum fuit votum. Item ceſſat ſuperveniente notabili impedimento, quo cognito vovens non voviſſet. Item votum non obligat quando ſervari non poteſt ſine magno damno vel vitæ periculo; aut ſi tempore adimpletionis voti, materia voti facta eſt illicita, impeditiva majoris boni, vel indifferens: at non ceſſat obligatio voti vel juramenti ob ſupervenientem mutationem, quæ ſi cognita fuiſſet à principio à vovente, adhuc voviſſet vel juraſſet. *ibid. punct.* 7 §. 1. *n.* 1. 2. 3. 5. & 7.

55. Obligatio voti tollitur ne irritatione? Reſp. omnia illorum vota irritari poſſe, qui ſubjecti ſunt alteri, vel in omnibus, vel ſaltem quoad id quod eſt materia voti: Papam verò poſſe irritare tantùm ea vota, quæ ipſius adminiſtrationi obeſſe poſſunt; unde non poteſt irritare votum illius, qui vovit carnis ſuæ macerationem, neque poteſt diſpenſare in omnibus votis clericorum, ſed ſolum in iis, in quibus clericus à Summi Pontificis arbitrio pendet. Et quod dictum eſt de Pontifice, dicendum eſt a fortiori de Epiſcopo. Poteſt tamen Papa irritare vota religioſorum, quæ poſſunt irritari à ſuis Prælatis. *ibid.* §. 2. *n.* 1. & *ſeq.*

56. Vota ſervorum ſive facta ſint ante ſervitutem, ſive tempore ſervitutis, poſſunt à domino, etiam invitis ſervis, irritari, ſeu potius ſuſpendi, ſi ipſi domino præjudicant; ſicut & heri poſſunt etiam vota ſuorum famulorum obſequio ipſis debito præjudicantia ſuſpendere; & mariti vota uxorum quæ impediunt domus gubernationem & actum matrimonialem irritare; excipe tamen ea quæ uxores emiſerunt adimplenda poſt mortem maritorum. Adde maritum poſſe adhuc valide vota uxoris irritare, etiamſi emiſſa ſint de ipſius mariti licentia. At uxor poteſt ea ſolum vota mariti irritare, quæ ſibi præjudicant. *lib. n.* 7. & *ſeq.*

57. Omnia vota realia, perſonalia, vel mixta filiorum impuberum

berum possunt irritari à patre, curatore, vel habente ipsorum curam, saltem intra tempus impubertatis. Imò possunt filiorum impuberum vota irritari etiam acquisita pubertate, modò impubes jam pubes factus illa non ratificaverit. Quod verò attinet ad vota filiorum puberum, dicendum patrem non posse irritare vota personalia (nisi dubitetur an emissa sint ante vel post pubertatem) neque etiam realia, quæ à filiis relata sunt in tempus quo erunt sui juris. *Ibid. num.* 18.19.21. & 22.

58. Non valet irritatio voti realis à filio emissi, facta ab eo, qui credebatur voventis pater: at curator regulariter potest irritare vota realia & mixta minorum puberum; quamvis ea sint juramento confirmata quamdiu minor est. *Ibid. num.* 23. & 25.

59 Omnia religiosorum vota, excepto voto arctioris religionis, irritari possunt à Prælato, seu ab iis qui vices superiorum gerunt, modò generalem facultatem & jurisdictionem habeant. Nec refert quod ipsi in religiosorum vota consenserint, quamquam peccabunt, si hoc faciant absque justa causa. Vota novitiorum non possunt irritare, sed tantùm suspendere. *Ibid. nu.* 26. & *seq.*

60. Religiosus potest ea vovere sine licentia sui Superioris, quæ non repugnant regulæ, vel Superioris præcepto; & idem dicendum de commutatione. *Ibid. n.* 34

61. Petes, utrum obligatio voti tollatur per commutationem, & quinam possint vota commutare? Quilibet potest vota sua commutare in evidenter melius; melius autem in præsenti materia est illud, quod omnibus consideratis est Deo gratius; ideo qui vovit aliquid alicui Ecclesiæ, potest tradere Ecclesiæ aliquid melius, relicto primo voto, nisi fortè jam fuerit acceptatum votum à prima Ecclesia. Præterea votum reale potest ex justa causa commutari in personale, si sit magis gratum Deo: imò probabile est voventem posse sua vota propria auctoritate commutare in evidenter æquale *Ib.* §. 3. *n.* 3.5 & *seq.*

62. Qui potest in votis dispensare, potest etiam ea commutare, quia commutatio est quid minus contentum in potestate dispensandi: sufficitque si commutatio quæ fit per privilegium, fiat in minus, modo adsit justa & rationabilis causa. *Ibid. n.* 10. & 11.

63. Facultas dispensandi vel commutandi vota alicui con-

cessa, extenditur etiam ad vota post concessionem facultatis facta; non extenditur tamen ad vota reservata Papæ, etiam tempore Jubilæi, nisi hoc exprimatur. *Ib. n.* 12. & 13.

64. Qui voluntariè vel ex oblivione tempore Jubilæi non curavit commutari vota quæ habebat, probabilius est non posse transacto eo tempore à simplici Confessario eorum dispensationem vel commutationem obtinere: sunt tamen qui velint Confessarium posse adhibito prudenti arbitrio tempore Jubilæi validè commutare vota illius qui expresse non meminit numeri votorum, sed solùm recordatus est talis objecti; aut si Confessarius tempore habili, seu Jubilæi, vel indulti inchoavit causam, posse illam transacto Jubilæi tempore absolvere, seu dispensare vel commutare, modo vovens consecutus sit Jubilæum. Adverte tamen eum qui tempore Jubilæi omnimodam voti commutationem non obtinuit, peccare non servando interim votum prius emissum. *Ibid. num.* 14. & 15.

65. Non reviviscunt vota tempore Jubilæi commutata, quamvis qui eorum commutationem obtinuit, non præster ea quæ sunt ad Jubilæi consecutionem necessaria. *Ibid. nu.* 18.

66. Votum in quod præcedens fuit commutatum, potest multoties commutari, factaque commutatione voti liberum est voventi prius votum servare, tenetur tamen qui veti commutationem obtinuit, prius votum servare, si illud primum de novo ratificet. Idem militat in commutatione voti in minus, si qui eam obtinuit, illi postea cessit, eamque noluit servare. Item qui commutationem obtinuit prioris voti, & de novo vovit priorem materiam, tenetur utrumque votum servare, nisi aliter ipse intenderit. *Ib. n.* 19. & *seq.*

67. Potestatem dispensandi in votis, seu nomine Dei condonandi obligationem voti quam vovens erga Deum contraxerat vovendo, habent Prælati jurisdictionem habentes in foro externo, & Episcopi respectu suorum subditorum etiam extra propriam diœcesim; modò vota non sint Papæ reservata, aut non sint vota Catechumenorum: hocque fiat ex justa causa, & votum non sit factum in favorem tertii, ab eoque acceptatum. Archiepiscopus quoque potest dispensare in votis suorum Suffraganeorum *Ib. num.* 1 3 4. 7. & 8.

68 In votis religiosorum exemptorum dispensare possunt illi omnes, qui sunt capaces potestatis dispensandi, de licentia tamen Superioris eorumdem religiosorum, & in iis omnibus in

in quibus ipse Superior dispensare potest. *Ibid. num. 9. & 10.*

69. Vota reservata Papæ, in quibus Episcopus non potest dispensare, sunt quinque; votum castitatis perpetuæ, votum religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Apostolorum, aut ad S. Jacobum Compostellanum, aut votum in terram sanctam. *Ibid. num.* 11.

70. In generali concessione dispensandi in votis, non comprehenditur facultas dispensandi in hujusmodi votis Papæ reservatis. Quod si Papa concedat facultatem dispensandi in tribus votis minoribus peregrinationis, non censetur facultatem concedere dispensandi in majoribus, castitatis scilicet & religionis, quamquam potest aliquando Episcopus in voto castitatis dispensare, quando imminet grave periculum expectando dispensationem Papæ vel Legati; & quando votum castitatis per metum etiam levem emissum est; item quando votum est conditionale sub conditione de futuro, modò conditio nondum sit adimpleta. *Ib. n* 12. 13. 15. *&* 17.

71. Habentes facultatem commutandi votum, possunt etiam commutare pœnam, quam vovens incurrit ob fractionem & violationem voti. *Ibid. num.* 18.

72. Votum non est reservatum eo quod vovens intenderit illud suum votum Papæ reservare; sicut neque votum emissum de materia reservata remanet reservatum, si vovens tempore voti habuit intentionem obligandi se sub veniali tantum quia hoc non censetur votum perfectum. *Ib. n* 19 *&* 20.

73. Papa potest aliquando dispensare in voto solemni castitatis & religionis ex justa causa; quia potest dispensare in voto simplici castitatis; ergo potest etiam in solemni, cum solemnitas dependeat à Constitutione Ecclesiæ. *Ibidem numero* 22.

74. Qui petit dispensationem voti simplicis castitatis vel religionis quam Papa commisit Confessario, potestne adhuc ab eo Confessario dispensari? Potest, quamvis ante dispensationis consecutionem multoties repetierit idem votum. *Ibid. num* 23.

75. Parochi, aut alii Sacerdotes non possunt in votis dispensare, nisi speciale privilegium habeant; item neque Abbatissæ in votis monialium. *Ibid. n.* 26. *&* 29.

76. Prælatus vel alius habens facultatem generalem dispensandi, potest secum dispensare, & alteri facultatem dare, qui secum dispenset. Superior censetur cum eo dispensare,

quem ad aliquem actum admittit, sciens ipsum habere impedimentum ad talem actum *Ibid.* 31. & 35.

ADDITIO.

De voto D. Thom cum Cajet. 2.2 *quæst.* 88 Sot. *toto l.7.* & Azor. *l* 11, *art. cap.* 13 fusissim Val. *t.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. Theologi *in* 4 *dist.* 38. Lopez *p.* 1. *à c.* 43. Nav. *c.* 12. *à n.* 24. Coron. 3. *p.* 9. Tol *l* 4. *c.* 17. 8.

In dubio an voveris, vel an, cum vovisti, compos esset mentis, votum servandum est, vel petenda dispensatio. Azor. *l.* 11, *c.* 15. *q* 2. cum Archid. Ang. & Syl Mod. *l* 1. *c.* 13 *§.* 1. Lopez *c.* 46. *col. pen* Graff. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. ex Sot. *l* 7 *q.* 3 *col.* 2.

Ob malum finem facta vota non valent. Cajet. 2. 2*q.* 88 *a.* 2.

Votum parentum de filiis, istos non obligat, nisi se obligent ipsi approbando Vid. Syl *l. c. n.* 11. Graff. *l. c. c.* 26. *n.* 8

De votis rerum minimarum Graff. *l. c. c.* 23.

Votum de numquam peccando, non obligat, quia est de impossibili, secus si fiat de non peccando mortaliter. Navar. *n.* 65 Azor. *c.* 13 *q.* 4. Sot. *l. c. qu.* 1. *art. concl.* 3

Votum de impossibili non obligat, etsi postea fiat possibile.

In voto servandum possibile, & honestum, omisso impossibili, & turpi.

De irritatione voti v. Azor. *c.* 17. Lopez. *l. c. c* 47. 48. Nav. *à n.* 63 De dispensatione, & commutatione, Sot. 4. Coron. *l.* 6. Syl *votum.* 4.

Commutare votum, est materiam mutare, quæ si melior sit, ipse vovens mutare potest, si æquivalens, vel inferior, mutatio ad prælatum & Episcopum spectat, sed requiritur justa causa.

Dispensare, est relaxare voti obligationem. Prælati & Episcopi, justa de causa, subditorum vota relaxare possunt, exceptis votis simplicis religionis, castitatis perpetuæ, peregrinationis S. Jacobi, Jerusalem, & SS. Petri & Pauli, si sint absoluta, nam in pœnalibus, & conditionalibus dispensat Episcopus. Qui votum fregit, à peccato fracti voti à Confessario absolvi potest, sed post absolutionem remanet voti obligatio.

Quæres, De votis servorum & mancipiorum. Resp. de communi sententia DD. servos non posse vovere ea, quæ sunt in præjudicium dominorum suorum, possunt tamen vovere, quæ non impediunt corporale ipsorum obsequium, si au-

si autem sub conditione voveant, ut se post libertatem receptam ingressuros religionem, votum tenet, & libertate donati, tenentur ingredi. Busæus.

Quæres, Utrum votum ante annos pubertatis factum, possit à parente post 10. annos irritari. Soto quidem putat, non posse, eo quod potestas irritandi, quæ erat in patre, expiravit. Resp Busæus: Si pater ante annos pubertatis intellexit esse factum votum, & in illud consenserit, certum est, ab eo non posse irritari. Si autem non cognovit ante illos annos, filius autem post illos annos confirmavit suum votum, non potest etiam irritari à patre, quia idem est, ac si tunc voveret, si autem non confirmavit, & mallet se non voviſſe, potest à patre irritari. Per accidens autem est, quod non fuerit ante irritatum, quia vid. parens illud non cognovit. Ita manet votum vere impuberis, & irritabile. Hæc Busæus.

Quæres, An post commutationem factam liceat uti priori voto. Resp. quod sic, quia commutatio non est facta nisi in favorem voventis. Busæus.

Quæres, Quæ causa requiratur in commutatione voti. Resp. Si votum commutatur in bonum majus, requiri magnam causam, quia miscetur dispensatio; si vero in bonum melius, nulla requiritur. Si vero in æquale, requiritur aliqua causa, v. g. difficultas operis, & executionis, vel levitas vovendi, ut docet Cajet. & Panormitan. Hæc Busæus.

Quæres, Num votum factum in favorem alicujus personæ, vel Ecclesiæ, possit relaxari sine ipsius consensu. Resp. Si votum, seu promissio illa accepta sit ab Ecclesia v. g. de offerendo calice aureo, non posse relaxari sine consensu Ecclesiæ, quia illa relaxatio cederet in præjudicium tertii. Si vero non sit acceptata, poterit relaxari sine ejus consensu, ut docet Cajet. Hæc Busæus.

ADDITIO.

Usufructus, Usus.

Usufructuarius potest vendere tolam, quantum opus est, ad solvendam vecturam rei longè distantis necessariæ. Quidam tamen dicunt, posse vendere arbores cæduas, fructife-

ras vero nec incidere posse. De usufructu Mol. *d. 7. 8. 9.* vid. Mol. *vers. eod. n. 1.*

Usufructuarius non tenetur ad expensas magnas pro rerum conservatione, vel defensione, sed potest repetere à proprietario. Quidam tamen ajunt, si sit legatus usus fructus omnium bonorum, teneri ad expensas etiam magnas proficienda re Sylv. *n. 9.* Mol. *l. c. col. 3.* tenetur tamen ad expensas exiguas ad rem, qua fruitur, reficiendum, Mol. *ibid.*

Tenetur solvere rei tributum, & collectas, & onera, nisi essent tanta, quòd legatum redderetur inutile, ad onera vero pro habendo jure fructuum, tenetur proprietarius, vid. Mol. *col. ult.* Sylv. *l. c.*

Non tenetur solvere debita, sed heres, qui ea solvet de proprietate, & usufructu, is enim intelligitur deducto ære alieno, si tamen ille esset usufructuarius non omnium bonorum, sed rei certæ, non tenetur de ea re dare ad solvenda debita, Sylv. *l. c.* §. *quartus.* dicit bonorum omnium usufructuarium æs alienum solvere debere. Fum. *l. c. n. 5.*

Fructus maturi tempore mortis usufructuarii ad proprietarium pertinent, Mol. *dist. 7. col. 1. Inst. de rer. div. §. in vero.*

Si usufructuarius amittat civitatem, succedit ei pater, & heres, dum ille vivit, Syl. *l. c.* Ang. *eod. n. 29.*

Perit usus fructus per non usum decem annorum, inter præsentes, & viginti inter absentes, Mol. *d. 70. col. 2.* Syl. *l. c. fi.*

Usurarius tenetur ad expensas, quod si proprietarius participet rei commodo, ipse solus tenetur.

Vsura, Vsurarius.

Vide v. *Cambium, Census, Mutuum, Societas.*

1. Usura est lucrum immediatè proveniens ex mutuo. Usura alia est realis, quæ contingit quando intervenit pactum saltem implicitum reddendi aliquid supra sortem; alia mentalis, ut quando mutuans intendit lucrum ex mutuo recipere, quamvis nullum pactum exterius apponat. Præterea alia est expressa & formalis, alia virtualis & implicita. Hinc sequitur committi usuram mentalem ab eo qui speratvel intendit lucrum immediatè ex mutuo tamquam sibi debitum

bitum ex obligatione justitiæ; hoc est, si speret vel intendat lucrum non ex liberalitate aut amicitia mutuatarii, sed tamquam pretium ex mutuo. Sequitur ulterius licitum esse sperare amicitiam ex mutuo, cum amicitia sit quid honestum, nec sit aliquid pecunia æstimabile; non est tamen licitum in mutuo deducere eam in pactum, hoc enim esset alteri obligationem imponere. *tom.2. de contract. disp.3. q.3. punct. 2. num.1. & seq.*

2. Non peccat peccato usuræ, qui pecuniam mutuat alteri indigenti, sperans illum gratum fore ac liberalem; secus dicendum de eo qui dat mutuò pecuniam Principi, sperans etiam minus principaliter lucrum ex mutuo tamquam pretium, & in recompensationem non gratuitam nec liberalem; estque graviter reprehendendus mutuator qui excitat mutuatarium ad aliquid sibi liberaliter tradendum in remunerationem mutui; hoc enim redolet labem usuræ. *ibid. num.8. & seq.*

3. Usura adeò illicita est, ut qui eam licitam esse pertinaciter asseruerit, censeatur hæreticus. Prohibita est jure divino & Ecclesiastico, ut constat ex Concilio Viennensi. *ibid. num.12.*

5. Quæres, An quælibet obligatio imposita mutuatario sit usura? Respond. omnem pactionem & conventionem, per quam imponitur mutuatario onus & obligatio quasi ex justitia, ad quam mutuatarius alias non tenebatur, labem usuræ continere: quam ob causam usura ab eo committitur, qui tradit alteri mutuum cum pacto, ut præstet munus & officium à lingua, (v.g. alloqui Regem) vel ab obsequio, vel à manu. Item usura committitur ab eo, qui mutuat alteri cum pacto ut mutuatarius sibi quamvis digno vel alteri conferat aliquod officium vel privilegium, imponit enim obligationem pretio æstimabilem. Item usura est dare mutuo oleum, vel pecuniam cum pacto ut restituatur res diversæ rationis, aut vendatur vinum, vel triticum tempore messis pretio communi. Item non excusatur ab usura qui alteri mutuum dat ea conditione ut mutuatarius remutuare teneatur statim vel in futurum: non est tamen illicitum sibi vicissim mutuum dare, aut vicissim se obligare ad mutuandum; tunc enim contrahentes sunt pares in obligatione. Erit præterea usura, si quis mutuet alteri cum pacto ut veniat ad suum molendinum vel apothecam, aut Medico, hoc pacto

cto ut teneatur curare & mederi, aut feminæ cum intentione vel pacto ut sui copiam faciat in pretium mutui: aut si quis (præciso tamen lucro cessante) mutuet alteri pecuniam, vel triticum cum pacto, ut illud sibi non restituat nisi tunc temporis quo plus valebit; nam ex contractu mutui obligat mutuatarium ad dandum sibi lucrum supra sortem, incrementum scilicet valoris tritici aut pecuniæ. At non committit usuram qui mutuat cum pacto ut mutuatarius ineat contractum pignoris vel hypothecæ pro securitate mutui; neque qui mutuat cum pacto ut mutuatarius restituat quod sibi debetur ex justitia; neque mutuat ad redimendam vexationem tam propriam quàm alienam, aut ad obtinendam remissionem rancoris & odii; neque committit usuram is, qui suas merces credito vendit, ut plures attrahat emptores ad emendum, modò non excedat in justo pretio. *ib. punct. 3. num. 1. & seq.*

6. Committitne usuram, qui mutuum dat alicui, ut tantundem restituatur quando plus valebit? Non committit usuram si æqualiter dubitetur an res tempore solutionis sit plus vel minus valitura, & æquale periculum sit ascensus & descensus valoris rei; sic enim uterque contrahens æqualem subit sortem lucrandi & perdendi, & par est utriusque conditio. *ibid num. 20*

7. Consultius est in contractu mutui, imò etiam in omnibus aliis contractibus, ut cambio, censu, &c. solutionem facere juxta valorem, quem pecunia aut res habebat tempore contractus, sive valor decrescat, sive crescat; quia hoc pacto servatur æqualitas inter datum & acceptum, modò aliud in pactum non deducatur: unde non committitur usura ab eo qui mutuat alteri decem modios tritici valentes quinquaginta nummis aureis, cum pacto ut sibi restituantur duodecim cum dimidio, si tempore restitutionis pretium tritici ita decreverit, ut duodecim cum dimidio sint æquales illis decem in æstimatione. Item non committitur usura obligando mutuatarium ad restituendam pecuniam ejusdem materiæ & formæ; committeretur verò usura obligando ad restituendam pecuniam pretiosiorem; non enim servaretur æqualitas. Denique non committitur usura ab eo, qui certam pecuniam quam timet in futurum minus valituram ob decretum Principis, mutuat cum pacto, ut sibi restituatur

stituatur idem valor & pretium quo æstimatur tempore mutui, *ibid. num.* 21. 25. 28. & 29.

8. Quæres, An mutuator possit aliquid accipere à mutuatario ratione damni emergentis, vel lucri cessantis? Resp. quod mutuator possit in principio contractus pacisci de aliquo lucro, seu pecunia sibi solvenda ratione damni emergentis præcisè causa mortui, vel ratione periculi damni. Imò mutuatarius existens in mora solvendi, tenetur de damno emergente, etiam quando de illo nulla facta fuit mentio expressa in contractu mutui, modò tamen mutuator non consentiat in mora. Et hoc verum est etiamsi mutuator elapso termino non petat solutionem: nam terminus petit, & interpellat pro creditore virtute pacti ab initio præstiti. Dicitur autem mutuatarius, vel alius debitor esse in mora, quoties non solvit termino constituto, cum possit solvere; propterea tenetur resarcire creditori detrimentum quod creditor passus est ob variationem valoris rei, aut pecuniæ. Præterea qui mutuat alteri centum cum pacto exigendi decem ultra sortem, sciens se ex eo mutuo passurum damnum decem, non committit usuram. *ibid. punct.* 4. *nu.* 2. *& seqq.*

9 Denique qui injustè coegit mutuantem ad sibi mutuandum, tenetur ad restitutionem lucri cessantis mutuanti, etiamsi nullum præcesserit pactum de hujusmodi lucro restituendo, quia injuriam extorquendo mutuum censetur causa injusta damni, *ibid. n.* 9.

10. Mutuator potest ab initio pacisci, ut mutuatarius solvat sibi lucrum cessans causa mutui, concurrentibus his tribus conditionibus: videlicet ut mutuatio sit causa, cur cesset lucrum quod habebatur in spe certa vel probabili; ut lucrum non statim exigatur, & ut non tantum exigatur ratione lucri cessantis, quantum re ipsa futurum esset lucrum, sed quantum valet spes lucri, detractis expensis, quas fecisset mutuator negotiando, vel alio modo impendendo suam pecuniam, quia lucrum in spe quod non est certum, minus valet quam lucrum in re. *ibid nu.* 12. & 13.

11. Licitum est præterea in mutuo aliquid supra sortem accipere ratione periculi amittendi capitale, vel illud recuperandi cum expensis vel laboribus & diligentiis etiam extraordinariis, modò non plus exigatur ratione istius periculi, quàm communiter æstimetur hujusmodi periculum;

&

& modò verè sit periculum amissionis capitalis & expensarum; aut modo mutuator non compellat mutuatarium ad suscipiendum se ipsum pro assecuratore vel fidejussore, sed mutuatario libertatem relinquat exigendi quem velit. *ibid. punct. 5. n. 1. & 2.*

12. Non est usura mutuare centum cum pacto, ut si mutuatarius moriatur intra duos annos, nihil teneatur solvere; si verò supervivat, restituat centum & quinquaginta; quia uterque se periculo exponit lucrandi & perdendi, eique contractus sortis qui est licitus. *ibid. n. 4.*

14. Non licet aliquid exigere pro carentia pecuniæ, & obligatione expectandi solutionem mutui usque ad certum tempus, seu non repetendi mutuum intra tantum temporis; quia sic defendi posset omnis contractus usurarius, apponendo pactum non repetendi, nisi post tantum temporis. Potest tamen mutuator pactum inire cum mutuatario, ut nisi solverit tempore præfixo, solvat aliquam pœnam, id est aliquid supra sortem in pœnam moræ; cavendum est tamen ne pœna apponatur in fraudem usuræ, seu ad palliandam usuram; & ne pœna quæ apponitur, sit immoderata & ne culpam excedat: & præterea debet mutuatarius verè esse in culpabili mora solvendi; secus si ob impotentiam nequeat solvere. *ibid. punct. 6. nu. 1. & punct. 7. nu. 1. & 2.*

13. Non committitur usura quando apponitur pactum in mutuo, ut nisi mutuum solvatur intra talem terminum, pignus acceptum in mutuo vendatur justo pretio, aut maneat venditum, tacitè intelligendo, justo pretio; quia non fit in gravamen pro mutuo, sed ut mutuator se ipsum servet indemnem, & rem suam debito tempore recuperet: hujusmodi pactum censetur appositum in pœnam. *ibid. punct. 8 num. 3.*

15. Quæres, An creditor seu mutuator sibi retinere possit fructus pignoris accepti ad securitatem crediti? Non potest, sed deductis expensis debet eos reddere debitori, aut computare in sortem capitalis, nisi aliqua causa justa subsit, ratione cujus possit eos retinere; aut in sortem non computare; talis causa est ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, vel alimentorum debitorum: nam vidua mortuo marito alenda est ab hæredibus; dos enim traditur ut uxor alatur, & onera matrimonii sustineantur; & maritus potest retinere fructus pignoris accepti

cepti pro dote non soluta, etiamsi concesserit socero seu alteri dilationem ad solvendam dotem; imo gener potest aliquid accipere donec solvatur dos ratione compensationis debitæ pro sustinendis interea oneribus matrimonii: committeret tamen gener usuram (secluso lucro cessante) tradendo socero pecuniam dotis mutuò, cum pacto, ut socer tradat rem aliquam frugiferam in pignus, non computando fructus in sortem. Item committeret adhuc usuram gener, si socero volente dotem solvere, renuit illam acceptare, sed petit pignus frugiferum cum intentione non computandi fructus in sortem; cùm perinde se habeat, ac si mutuaret socero pecuniam cum pacto aliquid recipiendi supra sortem. *ibid. punct.* 9. *n.* 1. *& seq.*

16. Secluso lucro cessante, aut damno emergente, committitur usura, anticipata solutione emendo minoris chirographa, seu credita in posterum exigenda, id est emendo jus quod alter habet ut aliquid in futurum solvatur; & debitor non potest minoris redimere & extinguere debitum in posterum solvendum secluso damno, vel alio justo titulo. At creditum non planè certum, sed periculosum ac litigiosum & cum difficultate exigendum, potest absque labe usuræ ab eo qui non est causa difficultatis, minoris emi quàm valeat, prout difficultas & incertitudo solutionis major vel minor fuerit; minus enim valet cum tali periculo & difficultate. Et hinc patet minoris emi posse credita, seu stipendia, seu salaria debita militibus aut famulis nobilium virorum, cum habeant hujusmodi credita adjuncta pericula, incommoda & molestias in ipsis exigendis. Quod valet etiam non solum in creditis in futurum solvendis, verum etiam in creditis quæ persolvenda erant tempore præterito, aut præsenti, sed nondum soluta sunt. Adverte tamen iis qui sunt causa difficultatis aut malignæ solutionis, aut quibus incumbit onus solvendi, non licere hujusmodi chirographa creditorum minoris emere; quia par non est ut hi commodum reportent ex delicto suo. *ibid. punct.* 10. *numer.* 2. *& seq.*

17. Quæres, An liceat accipere quinque pro centum in mutuo? Per se loquendo non licet, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel ratione periculi cui exponitur capitale, &c. Difficultas est utrum accipiens quinque vel sex pro centum in contractu trium, id est, societatis, assecu-

ratio-

rationis capitalis, & assecurationis lucri certi pro majori incerto, peccet, & teneatur ad restitutionem? Resp. negativè. & hoc verum est, etiamsi isti contractus expresse non incantur, sed tantum tacitè & æquivalenter seu intentione implicita celebrentur; ut accidit quando quis tradit pecuniam mercatori credens se posse quinque vel sex pro centum exigere, intendensque contrahere eo modo quo licitè potest: ut si dicat, confero centum in societatem, ut solvas quinque vel sex salvo capitali, modo licito, vel eo modo quo docent Doctores: propterea excusari possunt viduæ & pupilli, qui pecuniam suam tradunt mercatoribus cum pacto accipiendi quinque vel sex pro centum, si prædictam habeant intentionem; secus si tradant suas pecunias alicui quem sciunt non esse mercatorem, & non negotiaturum illis pecuniis.

Imò excusari potest is, qui prædictos contractus celebrat, tradendo pecuniam mercatoribus cum assecuratione capitalis & lucri certi, ut evitet incommodum conficiendarum rationum & accepti, vel quia non est certus de fidelitate socii, nec facilè debet ei fidere. Idem valet pro eo quoque qui ponit solam industriam in hujusmodi contractu. *ibid. punct* 11. *n.* 1. *& seq.*

18. Petes, quid sit mons pietatis, & utrum in eo inveniatur usura? Per *montem pietatis* intellige summam pecuniæ, aut frumenti, aut alterius rei similis publicè deputatæ ad subveniendum pauperibus: & in hoc non est usura, sed potius pietas & justitia; cum ex hac summa soleat dari mutuum pauperibus, accepto pignore ab ipsis ad certum tempus ea conditione ut pauperes qui mutuum accipiunt, aliquid salvant pro sustentatione ministrorum ad hoc munus deputatorum; & pro aliis laboribus & expensis necessariis ad hoc munus præstandum, ut ad custodiendum pignus, & referendum in libros rationum dati & accepti, &c. Si autem contingat mutuatarios non solvere termino præfixo, venditur pignus sub hasta, ut ex eo vendito satisfiat monti, & ejus ministris: quod verò superest, restituatur domino pignoris. Fiet tamen hic mons usurarius, si aliquid accipiatur ad augendum montem, vel ut dominus montis aliquod lucrum referat; sic enim acciperetur aliquid supra sortem in mutuo absque justo titulo. *ibid. punct.* 12. *num.* 1. & 4.

19 Li-

19. Licetne petere mutuum ab usurario, quem mutuatarius scit non mutuaturum nisi sub usuris? Non licet, secluſa extrema necessitate, quia non licet mihi petere quod alter non potest facere sine peccato, hoc enim esset alium inducere ad peccatum; quamquam non videtur illicitum petere mutuum absolutè ad sublevandam necessitatem propriam vel alienam, seu ex justa causa; secus si petatur ad vana & inutilia, ut ad superfluas epulas, ad ludos otiosos, &c. etiamsi usurarius alias paratus esset dare ad usuram. *ibidem punct. 13. n. 1. & seq.*

20. Usurarius non acquisivit dominium eorum quæ susceptа sortem ob mutuum, & ob usurarium contractum accepit, quamdiu ea quæ accepit, possunt discerni à propriis rebus. Et hoc valet etiam respectu fructuum quos percepit ex re aliena accepta per usuram; quia res vero domino (qualis non est usurarius) fructificat. Adverte tamen usurarium vendentem rem per usuras acceptam, fieri dominum pretii, quando emptor emit rem illam bona fide, nesciens alienam esse, ut dictum est v. *Venditio. ibid. punct. 14. num. 2. & 4.*

21 Petes, quinam teneantur ad restitutionem propter usuras? Tenentur hi: Usurarius realis; & qui aliquid accepit mala fide seu mente usuraria, credens illud non sibi liberaliter donari, sed dari tamquam pretium mutui; tenetur quoque ad restitutionem rei acceptæ donec cognoscat rem sibi liberaliter fuisse datam. Item qui aliquid accepit credens illud sibi donari, cùm tamen id tamquam pretium mutui tradatur, tenetur ad restitutionem statim ac cognoscit illud tamquam mutui pretium sibi datum fuisse. *ibid. punct. 15. num. 3. 4. & 5.*

22. Qui vendit alteri merces rigoroso pretio, & illas posteà redimit pretio infimo vel medio, secluso pacto retrovendendi minori pretio, non tenetur ad restitutionem, quia sunt duo contractus distincti. *ibid. n. 6.*

23. Qui celebravit contractum, quem si cognovisset esse usurarium, alium justum celebrasset, non potest retinere lucrum eo contractu acquisitum; nisi uterque contrahens expresserit velle se obligare omni meliori modo, aut velle contrahere meliori modo quo posset: nam expressio illa, qua celebrantes contractum usurarium intendunt se obligare eo meliori modo quo possunt, hoc operatur, ut cum ille con-

tractus sit invalidus, alius validus succedat in ipsius locum. *ibid n.9.& 10.*

24. Præterea concurrentes effectivè ad contractum usurarium, vel ad exactionem usurariam, agendo partes usurarii, tenentur in solidum ad restitutionem, quia cooperantur efficaciter ad damnum alterius; secus dicendum de eo qui cooperatur ad usuram, agendo partes mutuatarii, quia quod agit, agit volente & sciente mutuatario; volenti autem & scienti non fit injuria & injustitia. Tenebitur tamen ad restitutionem, si consulat vel suadeat celebrare contractum usurarium, vel mutuare sub usuris. *ibid. n. 11. & 12.*

24 Hæredes usurarii tenentur ad restitutionem, si usurarius non restituit, dum viveret, sicut etiam tenentur hæredes furis in defectum furis, *cap. tua nos, de usuris.* Quod si duo sint hæredes usurarii, & unus nolit aut non possit restituere, alter non tenetur ad integram restitutionem, sed solum ad ratam hæreditatis; nisi res eadem numero obnoxia sit restitutioni; nam tunc illa restituenda est à quocumque retineatur. Sed petes, an hæredibus usurarii nolentibus restituere, legatarii aut donatarii teneantur ad restitutionem? Resp. negativè, modò usurarius reliquerit hæredibus bona sufficientia ad satisfaciendum debitis, & præterea legitimam, vel quartam, quæ ipsis de jure debetur, juxta locorum statuta *ibid. num. 13. 14. & 15.*

25 Usurariorum notoriorum (seu qui tergiversari non possunt, aut à judice condemnati sunt,) pœnæ sunt ut non admittantur ad Eucharistiam, donec publicè satisfecerint; neque ad sepulturam Ecclesiasticam; ut nullus interfit testamento (quod est irritum) usurarii manifesti, nisi prius præstiterint satisfactionem, quam præstare possunt; & ante non admittantur ad confessionem sacramentalem; denique ut sint infames, & ut non admittantur ad oblationes. *ibid. punct. ult n. 1.*

ADDITIO.

Quæres, An hæredes, uxor, famuli, & alii, qui dona acceperunt ab usurariis, teneantur quovis casu restituere? Nam bona quæ isti ab usurario acceperunt, posse esse duplicis generis, nam vel erant in se aliena, quæ dicuntur obligata reali obligatione, ut sunt bona non usu consumptibilia,

ptibilia, domus, ager, vinea; vel non erant in se alienabilia, quæ dicuntur obligata personali obligatione, nempe, quia sunt bona eius, qui est obligatus restituere usuras, ut sunt bona usu consumptibilia, ut sunt pecuniæ. Resp. ergo, si erant bona prioris generis, ut ager, domus, tenetur ea, quæcumque habet restituere vero domino, id est, mutuatario; si autem erant posterioris generis, tunc opus est distinctione, vel enim ex acceptione talium rerum factus est usurarius impotens ad solvendum, vel non: si non est factus, nullus tenetur ea restituere, si ab usurario acceperit; si autem factus est impotens, tenetur restituere, etsi fortè illa consumpsisset. Busæus.

Quæres, An quinarius numerus possit esse justum pretium centenarii in aliquo contractu, præsertim Germanico. Affirmativè respondetur. Probatur, quia in Germania ad Imperatorem, Principes, & status pertinet, rebus certa constituere pretia, id enim justum est, ut habetur *l 1. C de episc. aud.* quod à Principe & Repub. definitum est, at Imp Caro V. anno 48. constituit justum pretium 5. pro 100. idque in censu redimibili, ex parte venditoris tantùm, ut habetur *c. 17. ordin. polit.* Ergo 2. quia hoc pretium maximè consentaneum & conforme est juri communi, & consuetudini superiorum temporum. Juri quidem, quia in eo id censetur justum pretium annui census quando pensio in 20. annis sortem æquat, ut habetur gloss *in auth. de non alien bon. Et el §. quia verò Leonis* Consuetudini vero, quia tempore Concilii Constant. ut loquitur ex casu ante proposito. 5. pro 100. licitè recipiebantur. Contra quoque 83. *de contr Conc.* 7 dicit, suo tempore in Germania unum florenum pro 20. æstimatum pro debita proportione, cum pacto de revendendo. Busæus.

Usurarii bona esse tacitè hypothecata pro usuris, quidam ajunt, sed melius alii negant. De hac re Covar *l 3 var. à c. 1.* Nav *l. 5. consil. & in c. si fœneraveris* 14, *q* 3. *& c* 17 *à nu.* 206. Sot. *lib. 6 q* 1. Bannes. 2 2. *q.* 78. Val. Mol *ad* 302. *Aiunt.*) vid. *gloss. cum tu c tua nos de usu. Negant*) Covar. *l. c c.* 3 *n.* 6. Mol. *d.* Cajet. Nav. & alii ab eo citati.

Usurarius qui nulla alia habet bona, nisi restitutioni obnoxia, si donet, aut in dotem det, non tenetur, Syl. *usura* 8 *q.* 1. Tabien *usura* 6 §. 2. Sot *lib* 6 *q.* 1. *art.* 4. Mol. *disp* 228. & 330. Tol. *l.* 5 *c.* 35. De *dote.*) vid. Nav. *c.* 17. *n.* 231 Nav. *c.* 17. *n.* 265. & alii citati à Sot. *l.* 6. *q.* 1 *art.* 4. scribit, transferri usurarum do-

minium, at D. Thom. 2.2.qu.78.art.4. Alenſ 3 p.q.66. Joan. Med. q.4. de reb per uſur. acquiſ. & alii cum Mol. d.326. negat.

Lucrum ex officio per uſuram acquiſito, non eſt reſtituendum, nec res empta, nec pecunia uſuraria.

Acquiſita ex rebus uſu non conſumptibilibus, reſtituenda ait D. Thom l.c. & alii Mol. d.327. Tol. l.5.c.35. Nec res.) Mol. l.c. Non eſt uſura, pecuniam locare, aut vendere. Cajet. verſ. uſura.

Uſurario manifeſto, id eſt, qui nulla poteſt tergiverſatione celari, nullum adminiſtrandum ſacramentum ante ſatisfactionem, aut cautionem ſaltem ſufficientem: ſecus ſi non eſt manifeſtus, & non poteſt reſtituere. Eſt autem uſurarius manifeſtus juris infamis. *Vſurario.*) vid. c. in omnibus, c. quamquam. de uſur. l.6 Mol d.334. Tol. l.5. cap. 36. *Cautionem.*) Pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, creditoribus, vel aliis pro iis, aut ſi nullum ex eis adſit, ordinario, vel parocho coram teſtibus & notario, ſi nequeat cautionem dare inter ſe, quantum poterit, curaturum reſtitutionem. vid. Nav l.c.n.279, Mol. l.c. Eſt autem. 3.3.q 7 c. infame. Mol l.c. Infamibus autem portæ dignitatum non patent. Reg infam. de reg. jur. in 6.

Merus executor uſurarii non tenetur reſtituere, ſecus eſt de principali agente, hic enim cauſam dat. vid. Cajet. verſ. uſura Nav. n.166. Mol. l.c. Bannes. l.c. putat omnes, vices & negotia uſurariorum exercentes, teneri ad reſtitutionem.

De uſura inter ſæculares, poteſt cognoſcere etiam Judex ſæcularis, ſive de jure, ſive de facto quæratur, vid Mol. d. 333. Covar. 3. var. reſol c.3.n.1. Syl. uſura 9.

Qui juravit non repetere uſuras, poterit Eccleſiæ denuntiare, & ipſa cogere reſtitui. Quod ſi juravit non denuntiare, non tenet juramentum ſecundum quosdam, quia eſt illicitum.

ADDITIO.

Vulnerare.

Vulnerare non licet filios parentibus, nec dominis ſervos.

ADDI-

ADDITIO.

Xenodochium, sive Hospitale.

Hospitale sine Episcopi auctoritate constructum, est locus profanus, nec gaudet immunitate, nisi superveniat Episcopi auctoritas, vid. Syl. *Hospitale q.* 3. & *Immunitas.*

Hospitali, cum instituitur, debet dos assignari, ut Ecclesiæ, & cum læditur, restituitur in integrum, sicut Ecclesia.

Potest in eo poni rector sine Episcopi auctoritate, nisi habeat curam animarum, servanda tamen consuetudo.

Hospitalis etiam sine auctoritate Episcopi facti cura ad Episcopum pertinet, est enim pater pauperum, non tamen tenetur ad procuratorem Episcopi visitantis vid. Triden. *sess.* 7. *c. ult.*


Hospitalis administrator non tenetur rationem reddere ordinario, si id expresse cautum in ejus institutione, *Ex Congreg Conc.*

Hospitali, seu alii loco pio relicta, posteaquam sunt incorporata, non possunt alienari sine Juris solemnitate. Summistæ *verb. alienat.* Panorm. & alii DD. *in c. nulli de reb. Eccl. non alien.* Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *de reform. Extravag. c. ambitiosa de reg. Ecc. non alien.*

Hospitali habenti curam, vel annexo Ecclesiæ curatæ, potest præfigi religiosus.

FINIS.




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN